D. 4.

L. ANNAEI SENECAE

PHILOSOPHI

OPERA OMNIA

QVAE SVPERSVNT

RECOGNOVIT ET ILLVSTRAVIT

FRIDERICVS ERNESTVS RVHKOPF.



VOLVMEN SECVNDVM.



LIPSIAE

IN LIBRARIA WEIDMANNIA

MDCCC.



5049

92819



PRAEFATIO.

Si in epiſtolis, quas nobis ex antiquitate graeca vel romana transmiſſas gaudemus, reperiantur, quae magno honore dignae ſint, iis certe, quae Senecae tribuuntur, praecipuum locum aſſignandum eſſe, neminem opinor qui neget inveniri. Sive enim ad animi emendationem, quam inde nanciſcaris, accurate legendo exſequens, ſpectaveris, ſive ingenii expolitionem et culturam tractare malis, haud ulli veterum Epiſtolographorum Senecam virtute ſecundum ſtatues. Tanta eſt dignitas gravitasque argumentorum, quae ſibi exponenda ſumſit, cuilibet coelo, cuilibet hominum generi accommodatorum, quippe quae

philoſophum, amicumve ſemper, raro aut numquam hominem romanum referunt. Summa enim cura id agi videmus, ut animus legentis a iudiciorum vitiorumque anfractibus retractus in rectum virtutis, at quantae virtutis! tramitem deducatur, et veris, magnis utiliſſimisque ſententiis et praeceptis inſtructus Deo dignum ſe praeſtare diſcat. Tanta vi et ſeveritate de dignitate hominis, eiusque origine divina, atque de ſtudio fineque philoſophiae recto lectorem admonet, ut hisce epiſtolis nihil facile efficacius cogitari ad animum emendandum poſſe confidam. Quibus proinde curatius legendis niſi animo egregia ſuboriantur conſilia vitae bene agendae, niſi recta, deterioribus calcatis et reiectis, probentur et ſola bona ideoque honeſta enixiſſime expetenda et actu exprimenda videantur, ei verendum fuerit, ut ullus fructus ex aliorum librorum quamvis utilium lectione ſatis idoneus percipi queat. Atque ſi ingenii cultura in eo poni debet, ut facultates ingenii habeant,

quo

quo explicentur meditando, comparando, cogitando, inveniendo, profecto nec has epiſtolas materia carere dixeris egregia, qua illae vires excolantur, formentur. Recte itaque nobis gratulamur, quod tam bene ceſſerit Senecae conſilium poſteritati ſcribendi, haud ſemel ab eo declaratum [1]), et quod nobis fortunae quodam ludo transmiſſum ſit iſtud epiſtolarum volumen per ſeptemdecim, et quod excurrit ſaecula magni aeſtimatum [2]).

Quod cum ceteris ex Antiquitate nobis relictis epiſtolis comparatum, omnes, ſi Ciceronem exceperis, epiſtolas facile ſuperabit. Ciceronis enim epiſtolae, praeter multa praeclara

1) Vide v. c. Ep. XXI, 5. Quod Epicurus amico ſuo potuit promittere, *hoc tibi promitto, Lucili. Habeo apud poſteros gratiam, poſſum mecum duratura nomina educere.*

2) Nam non omnes Senecae Epiſtolas morales aetatem tuliſſe patet ex Auli Gellii Noct. Attic. XII, 2. ubi laudat quaedam ex lib. XXII. Epp. quae in deperditis ſunt. De diviſione Epp. in libros cf. Fabricii Bibl. Lat. Vol. II. p. 107. not. *q.* ed. Ern.

clara, tot tantaque ad hiſtoriam iſtius temporis ſpectantia indicia et documenta continent, aliunde vel non petenda, vel iam per ſe ſatis gravia, quippe ab homine tantae auctoritatis tantique momenti ad res ſui temporis profecta, ut iam eo nomine non poſtponendae eſſent, niſi etiam elegantia aliaeque ſermonis dotes, quibus Cicero omnes ſuae nationis ſcriptores ſuperat, primas ei partes iure meritoque deferrent. Longe aliter iudicandum eſt de Plinii iun. epiſtolis. Quas ut dem ſermonis nitore et elegantia Senecae palmam praeripere, tamen res ipſae, quas tractant, tantum abſunt, ut eandem praeſtantiam prae ſe ferant, ut ne comparationem quidem permittant.

Accedit, quod Senecae morales epiſtolae unicum ſui generis exemplar ex antiquitate nobis transmiſſum haberi debeant. Quid? quod haud ſciam, an Seneca primus et unus in tota antiquitate fuerit auctor talium epiſtolarum ſcribendarum. Nam etſi Platonem, Epi-

Epicurum aliosque sciam epistolas philosophicas composuisse, tamen non id egisse eos patet, ut idem consilium ac Seneca inirent. Quae observatio si voluptatem haud exiguam legenti afferat, altera ex parte non desunt, quae eidem quoque fiduciam aliquanto maiorem instillent, intelligenti, senem atque adeo hominem summo loco constitutum, multoque rerum usu et hominum peritia instructum has epistolas composuisse, eo adeo consilio, ut posteris prodesse possent [3]).

Temporis itaque, in quo scriptae sint, definitionem certam si quis inde facile confici posse putaverit, haud scio an recte iudicaverit, quamquam et Lipsius in praefat. ad has Epistolas huic opinioni calculum suum adiecerit, omnes eas, affirmans, intra biennium, Consulibus Memmio Regulo et Virginio Rufo, itemque Lecanio et Licinio, a. V. C. 816 et 817. i. e. haud longe ante Senecae mortem,

3) Senem fuisse, ipse ait. Cf. Epp. XII, 1. XXVI, 1. XXXIV, 1 etc.

quae incidit in annum V. C. 818. compoſitas eſſe. Vnica tamen temporis finitio occurrit ſatis luculenta, cui fidere, atque ad dirimendam hanc litem uti licet. In Epiſt. XCI, 4. agit Seneca de incendio, quo Lugdunenſis colonia exſtincta erat: „huic coloniae," addit, „ab origine ſua centeſimus annus eſt. A Planco deducta in hanc frequentiam loci opportunitate convaluit." Iam quum certum ſit, Lugdunum in Gallia Celtica ſ. Lugdunenſi, a Lepido et L. Planco conditum eſſe, ut Viennenſes ab Allobrogibus e ſedibus pulſi haberent ubi habitarent, a. V. C. 711. memorante Dion. Caſſ. XLVI, 50.; nullum dubitationi locum eſſe putem, quin hae epiſtolae ſex ſeptemve annis ante Senecae mortem ſcriptae ſint. Lubens omitto cetera temporis indicia, quippe leviora, quam ut iis uti poſſis [4]).

Inci-

4) Quum enim Ep. XXIII hiemis, Ep. LXVII init. veris, Ep. LXXXVI, 14 Iunii, et Ep. LXX longi intervalli meminit, poſt quod Pompeios viderit, quos

Incidit igitur hoc litterarum commercium, si tamen verum commercium fuit, in id tempus, quo Nero malignitatem animi ostendere inciperet, et Seneca consuetudinis parum honestae cum Agrippina, quamquam falso, insimulatus, gratiam, qua apud Neronem floruerat, sensim frigescere intelligeret. Cf. Dio Cass. LXI, 10. Vnde factum esse videtur, ut omni fere reipublicae administratione idemtidem omissa, tum otio literario et philosophico magis magisque se traderet, tum itineribus, quibus delectabatur, faciendis, accedente quoque valetudine mala, ad Baianas thermas, Neapolin, Puteolos, ad villas suas Albanum, Nomentanum etc. secederet, animi relaxandi et corpus curandi causa. Quare plurimae epistolae Baiis, Neapoli etc. scriptae sunt.

De *Lucilio Iuniore*, ad quem epistolas has scripsit Seneca, omnia vestigia historiae

quos Ep. XLIX. a se conspectos nunciat, nihil certi inde ad liquidum colligi potest.

et politicae et literariae tam radicitus ſublata et deleta ſunt, ut niſi Senecae vaticinatio ſupra adducta exitum habuiſſet, ideoque eius libri de providentia, hae epiſtolae, et naturales quaeſtiones Lucilio inſcripti memoriam huius viri conſervaſſent, prorſus nihil de eo ſciremus: quamquam magnus fuerit in provincia Sicilia (Ep. XLIII, 2.), cuius procurator, quae fuit nobilitas equeſtris, (v. Taciti vit. Agricol. c. 4. et Dio Caſſ. LIII, 15.) ex more a Caeſare electus erat. Locus claſſicus de origine et fatis eius eſt Natur. Quaeſt. IV. prooem., ex quo aliisque epiſtolarum locis videmus, eum humili loco natum, ut videtur, in Campania [5]), ſtudio literarum bonarum et iurisperitia tantopere enituiſſe, ut eques

5) Nunc mihi incertum eſt, an Neapoli eum oriundum eſſe dicamus, quod ex Ep. LIII. colligitur. Ibi Seneca ad Lucilium ſcribit, *a Parthenope tua usque Puteolos.* Alibi autem Ep. XLIX. et *Pompeiorum tuorum conſpectum* memorat, quae repetit Ep. LXX, 1. Ceterum omnia quae de eo ſcire licet, iam a b. Wernsdorfio Tom. IV, p. 11. ſqq. Poet. Min. Latinorum collecta ſunt.

eques Romanus factus esset (Ep. XLIV, 1.: Eques Romanus es, et ad hunc ordinem summa te produxit industria) et mox pericula vitae aulicae feliciter eluctatus procurationem Siciliae acciperet.

Mores eius modestos, animi candorem, constantiam et humanitatem, tum ingenii dotes egregias, doctrinam et studium poeseos saepissime laudat Seneca. Philosophum eum fuisse Epicureum colligit Wernsdorf cum Lipsio ex Epist. XXIII, 7. *Possum enim vocem tibi Epicuri tui reddere:* cui iudicio equidem assentior hactenus, ut eclecticae philosophiae deditum Epicuri, quem non sine iudicio legit (v. Epp. IX, 1. X. XIII, 1.) doctrinae multum tribuisse colligam ex Epp. IX. XXII. CVII. CXIV. Facile itaque explicare est, quod procuratione abdicata, in otium philosophicum, a Stoicis pariter ac Epicureis praelatum administrationi reipublicae, secedere voluerit, accedentibus incommodis et inimicitiis, tristitiaque et gravitate mentis, ad quam exhi-

exhilarandam itinera e. c. per Siciliam fecit. Videas Epp. XXII. XXIV. XXVIII, 1. XLIV.

Iuniorem eum Seneca fuisse non solum totus epistolarum tenor docet, sed epistola quoque XXVI, 7. *Iunior es? quid refert? non dinumerantur anni.* Quem locum recte ad aetatem referas cum Lipsio, qui tamen quum diceret, Iunior non fuisse Lucilii cognomen, non advertebat Nat. Qu. III, 1. *Sive ut apud te, Iunior carissime, invenio* etc., et lib. IV praef. *Ita est, mi Iunior* etc. [6]).

Non praeterire hoc loco licet fortunam eximiam, qua ornatus est hic Lucilius nostris demum temporibus a Viris duobus humanissimis

6) Cf. Wernsdorf l. l. p. 12. Addi nunc potest Iunioribus aliis a *W.* ibi allatis Iunior poeta, cuius epigramma elegans nuper primus protulit Ennius Quirinus *Visconti* in libro docto: Lettera su duc monimenti, ne' quali è memoria d'Antonia Augusta p. 20. et vindicavit M. Pompeio iuniori, iam ex Anthologia (Brunk. Anal. II, p. 105.) noto. Quo iure, alii viderint. Vide Götting. gel. Anz. anni 1800. nu. 36. p. 360.

mis et doctiſſimis, qui quum ex hisce epiſtolis reſciviſſent, Lucilium noſtrum poetam in animo habuiſſe, memorabilia Siciliae, atque ideo Aetnam verſibus ſuis celebrare, ambo eodem tempore at diverſis locis, alter Io. Chriſti. *Wernsdorf*, Prof. Helmſtad. abhinc aliquot annis pie defunctus [7]), alter Frid. Chriſti. *Matthiae*, Gottinga oriundus ibique Sodalitio philologico, cui Deus faveat, mecum adſcriptus, atque intima amicitia ex iſto tempore mihi iunctiſſimus, nunc Profeſſ. antiq. litt. in Academia Moguntina, animi et ingenii virtutibus vir inſignis [8]), eximia doctrina et ſummo ſtudio id egerunt, ut Lucilium Iuniorem poematis *Aetna* inſcripti et Cornelio Severo tribui ſoliti, auctorem eſſe demonſtrarent.

Argumenta quibus uterque uſus eſt ad poema illud Lucilio Iunioni vindicandum, ingenio-

7) Vide Poetarum Minorum Latin. Tom. IV. init.

8) Videas Götting. gel. Anz. anni 1785. nu. 148. p. 1479.

genioſe quidem inventa et eleganter expoſita vidi, ut vi ſua non deſtituantur ad perſuadendum lectori: ſed ſi curatius rem inſpexeris, omnis illa aſſenſio vereor ne animo elabatur. Hoc tantum inde certo ſequi mihi perſuadeo, Cornelium Severum huius poematii auctorem eſſe non potuiſſe: ſed an Lucilius Iunior eius auctor ſit, incertum manere, quamquam Lucilius, ſi tamen auctorem certum anonymo praeferas, is fortaſſe ſit, cui aliqua veriſimilitudine illud coniectando tribuere poſſis. Enimvero ex argumentis quae a Wernsdorfio fuſius expoſita ſunt, hoc nondum efficitur.

Totus autem cardo argumentationis in Senecae Ep. LXXIX in. vertitur, unde videmus, Lucilium iam diu deſcriptionem Aetnae paraſſe. Sed enim cupidius iuſto inde colligeremus, ergo conſilium illud etiam confectum eſſe. Senecam autem ibi de maiore carmine loquutum eſſe, qualia ſunt Virgilii Aeneis, Ovidii Metamorphoſes, et Cornelii Severi

veri epos nunc deperditum, Bellum Siculum (Octaviani cum Sext. Pompeio, cum Wernsdorfio l. l. p. 26. puto) inſcriptum, nec ſingulare poema de Aetna intellexiſſe, verba ex Ep. laud. docere videntur, in margine appoſita [9]). Iam vero ex hisce verbis colligere tantum licet, Senecam ſuaſiſſe Lucilio, ut epiſodii loco Aetnae deſcriptionem carmini de Sicilia ſ. Memorabilibus Siciliae inſerat. Si enim de ſingulari carmine cogitaſſet noſter, certe dicere non potuit: *attingas*, quippe quo verbo epiſodia et ſimilia deſignari ſolent. Atenim totus poematii huius tenor et compoſitio quemque lectorem ab ullo opinionis commento integrum docebit, non eſſe epiſodium, aut fragmentum ut Heſiodi ſcutum [10]).

Reli-

9) *Non eſt autem, quod iſtam curam imputes mihi: morbo enim tuo* (enthuſiaſmo poetico) *daturus eras, etiamſi nemo mandaret tibi, donec Aetnam deſcribas in tuo carmine, et hunc ſollennem omnibus poetis locum attingas.*

10) Quum in eo eram, ut haec prelo pararem, intelligebam e literis amiciſſimi Matthiae ad me datis, ſibi nunc eandem ſententiam probari.

Reliquis argumentis a *W.* docte expoſitis non immoror. Nulla enim cauſa eſt, cur non omnia ea, quae adhaec afferuntur, ad poema illud Lucilio vindicandum in poetam alium quamvis ſeriorem cadere poſſint.

Paullo moleſtior eſſe videtur quaeſtio illa, quam et Lipſium in praef. ad has Epiſtolas attigiſſe video: Epiſtolas has ita ſcripſit et inſcripſit, non quia verae ſint, et aſſidue miſſae: non ego arbitror: ſed placuit et ratio ſcribendi libera, in qua incipias, deſinas quum lubet; inſeras, varies, ut lubet; neque adſtringeris ad ordinem aut materiem certam. Cui iudicio cur non ſubſcribendum ſit, nulla cauſſa ſubeſſe videtur.

Quum de conſilio quod in hac editione ſequendum ratus, et de ſubſidiis, quae mihi ſe obtulerunt, iam in Praef. ad Vol. I. pluribus egerim, breviter hoc loco addenda ſunt, quibus in his epiſtolis recognoſcendis adiutum me ſenſi. Ac primum hic laudanda mihi eſt egregia illa benignitas, qua *Harleſius*

Vir

Vir et meritis ſummis, quibus de literis bonis inclaruit, et animi candore, quo nemini ſecundus eſt, vere Illuſtris, me ſibi plane ignotum amplexus ad maximas quas poſſim gratias devinxit. Miſit autem mihi Vir eximius collationes codd. Norimbergenſis et Erfordienſis (diverſi tamen ab illo, unde amiciſſimus Matthiae varietatem lectionis enotatam mihi miſerat) una cum editione vetere, quam ex auctione Bibliothecae Gottl. Corttii, Profeſſoris quondam Lipſ. emerat, et editionem Variorum, cui paſſim notulas quasdam haud ſpernendas adſcripſerat, aliaque. Neapolitanae quoque editionis, quae primum locum inter edd. meretur, nondum collatae, quam e bibliotheca Viri egregii Vindobonam migraſſe audio, excerptas lectiones primae epiſtolae mihi mittendas curavit. Quibus omnibus me gratiſſimo animo uſum eſſe publice profiteor. Quamvis illi codd. plerumque cum Gruterianis conſpirarent, nec in locis dubiis aut corruptis quidquam auxilii praeberent,

berent, quippe e codice recentiore, ut videtur, descripti, saepe tamen iudicium meum rexerunt. Editio illa vetus est sine loco et anno, at e codice expressa. Praestitit illa interdum lectiones quibus reliquae vett. edd. carent [11]). Scribebam Bielefeldae Mense Maio ineunte MDCCC.

11) Cf. de ea Acta Eruditorum a. 1725. p. 429. laudata ab Ernestio ad Fabricii Bibl. Lat. Vol. II, p. 108 not. Ibi vocatur editio Epistolarum pervetus, si non princeps, quae eo nomine MSS. anteferri posset, quod integras περικοπὰς oppido elegantes habet, quae in nullis edd. occurrunt etc. Quasdam hic excerptas dabo: *Prima. De colligenda et sistenda fuga temporis, et quod pauper non est, cui quantulumcunque supersit sat est. Tertia: De modo eligendi et colendi amicum, et quod tam vitium est, omnibus credere, quam nullis, sicut vel semper inquietum esse vel semper quiescere.*

L. AN-

L. ANNAEI SENECAE
AD LVCILIVM
EPISTOLAE.

EPISTOLA I.

ARGVMENTVM.

Admonet Lucilium noſter, ut pergat in bono temporis uſu, quemadmodum is perſcripſerat Senecae, ſe nunc quidem facere, laudatque. Eſſe autem, adiicit, rem haud parvi momenti ad vitam bene beateque agendam, tempore ſuo bene uti: multis elabi tempus male collocatum, uſu quippe eius in aliud tempus reiecto. Qua dilatione nihil eſſe peius, quum tamen nihil magis in noſtra poteſtate poſitum ſit, quam tempus, a cuius recto uſu quemvis temere ſe abſtrahi pati queritur. Hoc certe videndum, ne omnia pereant. — Haud immerito haec epiſtola agmen inſequentium ducit, quandoquidem de graviſſimae rei uſu non ſubtiliter exponit, ſed quaſi praeludit, ut in epiſtolis fieri ſolet. Tempus autem in bonis a natura rationi humanae conceſſis primarium ferme locum obtinere videri poteſt, ut quod ampliſſimam facultatibus mentis copiam anſamque praebet ſe explicandi atque erudiendi. Quapropter et hoc nomine ſenſuque inter prima naturae a Stoicis recte referri tempus poterat. Caeterum discrimen ab iis factum inter τὰ μὲν ἐφ' ἡμῖν, τὰ δὲ οὐκ ἐφ' ἡμῖν quivis vel ex Epicteti Enchiridio recordetur. Et Horatius III Carm. 29. egregie uſus eſt. Cf. Conſol. ad Marc. X, 3 not.

Ita fac, [a]mi Lucili: vindica te tibi, et tempus quod adhuc aut auferebatur, aut surripiebatur, aut excidebat, collige et serva. Persuade tibi sic esse, ut scribo: quaedam tempora eripiuntur nobis, quaedam subducuntur, quaedam effluunt. Turpissima tamen est iactura, quae per negligentiam venit: et si volueris attendere, magna vitae pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agen-
2 tibus. Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem aestimet? qui intelligat se quotidie mori? In hoc enim fallimur, [b]quod mortem prospicimus: magna pars eius iam praeteriit. quidquid aetatis retro est, mors tenet. Fac ergo, mi Lucili, quod facere te scribis, omnes horas complectere: sic fiet, ut minus ex crastino pendeas, si hodierno manum inieceris. Dum differtur vita, transcurrit.

VARIETAS LECTIONIS.

a. *Ita fac mi Lucili.* In editione Neapolitana: Ita fac *ergo* m. L. in nullis aliis codd. comparuit. Ponere solet Seneca hanc voculam, si quando admonitionem adiicere velit ex antecedentibus aptam: quod hic nullum locum habet. Ideo e §. 2. intrusa esse videtur. Mox: *Persuade tibi hoc sic esse* eâdem abundantiâ praestant nonnulli codd. ap. Gruter. et Amplonianus, cum Erasm. ed.

b. *quod mortem prospicimus.* Mira varietas in codd. obtinet, nonnullis ap. Pincian. *quod m. procul esse coniicimus*, nonnullis ap. Gruter. alia haud multum abludentia suppeditantibus, nonnullis cum editione Neapolit. *quod mortem non prospicimus* etc. Vulgatam Erasmiani atque alii tuentur et doctiorem et Seneca digniorem. Prospicere est ex alto videre, ideoque ventura et quae procul absunt (Drakenborch. ad Livium 22, 6, 8). Varietas et ex ignorantia, qua laborabant librarii, acutioris dicti, et e captatione argutiarum orta est, iudicibus Erasmo et Lipsio.

ANIMADVERSIONES.

§. 1. Lucilio, homini occupato, multum temporis perire debuit per muneris, quo fungebatur, procurationis Siciliae, officia tempus *auferentia* vi, tum per salutationes ipsi praestari solitas, et per eius negligentiam.

2. *Sic fiet — inieceris*] Lipsius laudat Senecam de Brevit. vit.

currit. Omnia, mi Lucili, aliena sunt: tempus tantum nostrum est. In huius rei [c]unius fugacis ac lubricae possessionem natura nos misit, ex qua nos expellit quicunque vult. Sed tanta stultitia mortalium est, ut, quae minima et viliſſima sunt, certe reparabilia, imputari sibi, quum impetravere, patiantur: nemo se iudicet quidquam debere, qui tempus accepit; quum interim hoc unum est, quod ne gratus quidem potest reddere. Interrogabis fortasse, quid ego faciam, qui tibi ista praecipio? Fatebor ingenue: quod apud luxuriosum, sed diligentem, evenit, ratio mihi constat im- 3 4

A 2

c. *unius* i. unicae. Omnes fere codd. tuentur, sensu postulante: est res unica, quam natura possidemus. *Nimis* est in ed. Erasmi et uno cod. ap. Grut. Confusio harum vocularum in MSC. facilis. Mox: *ex qua expellit quicunque vult* antiqua eaque sinceriſſima lectio, quam tamen Grut. in codd. suis non inveniebat, sed *ex qua expellitur quicunque vult*, *ex qua non expellitur quicunque vult*, *ex qua expellit quemcunque vult* cum Erasmi ed. *ex qua non expellit q. v.* Vulgatam etiam ex uno gallicano observatam recte defendit Gronov. utique toto epistolae tenore perversitatem hominum maxime temporis prodigorum increpante permotus. Cum Gron. et cod. Amplon. *τὸ nos* ante expellit, induxi. Mox §. 4. *non suo vitio* omnium codd. et edd. lectio. Sed si vocula *non* abesset, equidem nihil desiderarem. Luxuriosus enim suo vitio ad inopiam redigitur: et si cui succurritur, certe ei subvenimus, qui non suo vitio infelix est.

vit. IX, 1. Ne effugiat tempus, uti occasio apud Phaedrum Fabb. V. 8. vi illud retineas. *dum differtur — transcurrit.* Lipsius laudat Stobaei Florileg. Serm. XVI. (Schow. p 336.) Epicurum. Parilia attulit Gatacker ad Antonin. p. 59. Observatio haec fuit antiquiſſima, quam Heraclitus sic extulit: *δὶς ἐς αὐτὸν ποταμὸν οὐκ ἐμβαίνομεν* ap. Platon. Cratyl. To. III. p. 267. 268. Bip.

3. Sibi non constant homines, quod quum minima eaque viliſſima, quae petentibus concessa sint, beneficii loco habeant, nemo fere tempus tamquam beneficium maximum, cuius usuram debeat, reputandum existimet. Cf. de Brevit. vit. c. 3.

4. Luxurioso se patrifamilias comparat propterea, quod vita aulica, quam degebat Seneca, multum temporis auferebat: proinde tabulas accepti et expensi diligenter dispensare, et temporis iacturam eiusque causas accurate computare

ce

impensae. Non possum dicere, me nihil perdere: sed quid perdam, et quare, et quemadmodum, dicam: causas paupertatis meae reddam. Sic evenit mihi, quod plerisque non suo vitio ad inopiam redactis: omnes ignoscunt, nemo succurrit. Quid ergo est? non puto pauperem, cui, quantulumcunque supersit, sat est. Tu tamen malo serves tua, et bono tempore uti incipias. Nam, ut visum est maioribus nostris: „Sera parsimonia in fundo est.“ Non enim tantum minimum in imo, sed pessimum remanet.

EPISTOLA II.

Lucilium, qui Senecae scripserat, se lectioni librorum operam navare, nec locorum mutationibus delectari, laudat, et ut in his inceptis pergat, hortatur. Prope idem argumentum Epist. XXVIII est. Addit egregia consilia de recte et utiliter legendis libris, quae in memoriam revocant illud Quinctiliani Instit. Orat. X, 1. multa magis quam multorum lectione firmandam mentem, et ducendum esse colorem: sive quod alio loco acute praecepit, non multa, sed multum legere oportere. Egregium tandem illud consilium, ut Lucilius sibi quotidie e lectione sua praeceptum aliquod efficax excerpat, a se ipso custodiri ait Seneca, ideoque finit epistolam dicto Epicureo: honestam rem esse laetam paupertatem. Saepius revertitur noster ad haec consilia de lectione recte instituenda. Cf. de Tranquill. Anim. IX, 4. Epist. XLV. LXXXVIII etc. — Mature autem vitia, quae in legendis libris committerentur, fuisse observata a viris intelligentibus, docent vel Aristarchi et Aristophanis Byzant. praecepta, sive indices librorum ad legendum fructuosissimorum, sub nomine canonum notissimi. Quibus tamen illa vitia non prorsus sublata esse, ex studio hominum isto, quo videri quam esse malint, satis superque pateret, nisi

et tenere poterat. *Maioribus nostris* i. romanis: recte Bentleio notante ad Horat. A. P. 270. *Sera — est.* Iam Erasmus laudavit Hesiodeum illud ex Ἔργ. καὶ Ἡμ. 339. (Brunk. Gnom. Poet. Gr. p. 162.) δειλὴ δ' ἐνὶ πυθμένι Φειδώ. *non enim — minimum.* laudat post alios Muretus Antiphanis Comici versus, in quibus vita nostra vino adsimilatur: quod ubi paulum supersit, acescat, apud Brunk. Gnom. Poet. Gr. p. 186. n. VIII. Cf. Senec. Epist. CVIII, 26.

nisi adhuc Polybius III, 57 p. 513 sq. Tom. I. ed. Schweighaeuf. de eo quaereretur. Sed haec obiter et quasi perfunctorie hic tantum attingere licet.

Et ex his quae mihi scribis, et ex his quae audio, bonam spem de te concipio: non discurris, nec locorum mutationibus inquietaris. Aegri animi ista iactatio est. Primum argumentum compositae mentis existimo, posse consistere, et secum morari. Illud autem vide, ne ista lectio multorum auctorum, et omnis generis voluminum, habeat aliquid vagum et instabile. Certis ingeniis immorari et innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui ubique est. In peregri- 2
natione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est iis qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim et [a]properanter transmittunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumtus emittitur. Nihil aeque sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cica-

a. *properanter* cum Erasmo et uno cod. Pal. ap. Gruter. reduxi. Antea properantes.

§. 1. *Aegri animi — est*] Hoc animi vitium saepe taxat, inprimis de Tranquill. Animi II, 11 sq. *certis ingeniis — sedeat.* ad scriptores, qui certo scribendi genere clari sint, ideoque ad eos, quos *probatos* appellat, animum applicari, et iis innutriri, ἐντρέφεσθαι, suadet. Vix dubitandum est, quin et illos, quos Quinctil. X, 1. Inst. Orat. probari videmus, pro classicis habuerit auctoribus. *trahere* i. accipere, nanciscì. Sic navigium trahit aquam de Ira II, 10, 5. molestia ex pernicie trahitur, cognomen trahitur, ap. Ciceronem etc.

2. *Hospitia*] quae inter homines diversarum urbium nationumque, tesseris datis, institui solebant: ne de deversoriis nostris antiquitati incognitis, cogites. Caeterum similia, quae sequuntur, magis luxuriantis quam vere elegantis ingenii esse indicia, uno tantum verbo monemus.

tricem, in quo crebro medicamenta tentantur. Non convaleſcit planta quae ſaepe transfertur: nihil tam
3 utile eſt, [b]quod in transitu proſit. [c]Diſtringit animum librorum multitudo. Itaque quum legere non poſſis quantum habueris, ſat eſt habere quantum legas. „Sed modo," inquis, „hunc librum evolvere volo, modo illum." Faſtidientis ſtomachi eſt, multa deguſtare: quae ubi varia ſunt et diverſa, [d]coinquinant, non alunt. Probatos itaque ſemper lege: et ſi quando ad alios devertere libuerit, ad priores redi. Aliquid quotidie adverſus paupertatem, aliquid adverſus mortem auxilii compara, nec minus adverſus ceteras
4 peſtes. Et quum multa percurreris, unum excerpe, quod illo die [e]excoquas. Hoc ipſe quoque facio: ex pluribus quae lego, aliquid apprehendo. Hodiernum hoc eſt, quod apud Epicurum nactus ſum; ſoleo enim et in aliena caſtra transire, non tanquam transfuga, ſed tanquam explorator. „Honeſta," inquit, „res

b. *quod in transitu proſit.* Erlangenſ. et Erfurtenſes codd. *ut*: ſed eſt aberratio librarii. Suppleas: quam illud, quod locum ſuum tenet. c. *Diſtringit* i. diſtinet et ligat, Lipſio interprete, ex nonnullis Lipſii, Erlangenſi et Erfurtenſi cod. B. recepi: eſt noſtro familiare verbum. *Distrahit* antea legebatur: hac vi vocis hoc ipſo loco tantum adſtructa. d *coinquinant* Eraſmi et omnes Gruteriani codd. probant: Pinciani et alii: *inquinant*: illud Seneca dignius putans probo. Mox *devertere* dedi: pro aberrationibus aut explicationibus mihi ſunt varietates codd. *transire; diverti.* Hoc ſenſu verbum *devertere*, non, *divertere*, eſſe ſcribendum, conſtat. Clav. Cic. *devertere.* e. *excoquas* reduxi omnibus codd. permotus. Gruter. addit: quibusdam id mutatum eſſe in *concoquas.*

3. *Itaque — legas*] Quum plures libros legere velis, quam poſſideas, ſis quaeſo contentus iis, quos habeas. *Faſtidientis — alunt:* non eſt ſermo de doctis diſquiſitionibus, quae haud dubie plerumque multorum et eorum diverſorum librorum copiam uſumque liberum requirunt, ſed de ea lectione, qua te emendare, ingenium acuere, et mentem firmare velis. *peſtes*, i. mala.

4. *Honeſta — paupertas*] Egregium haud dubie dictum Epi-

„res eſt, laeta paupertas.“ Illa vero non eſt pau-
pertas, ſi laeta eſt. Cui enim cum paupertate be- 5
ne convenit, dives eſt. Non qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt. Quid enim refert, quantum illi in arcâ, quantum in horreis iaceat, quantum paſcat, [f]quantum feneret, ſi alieno imminet, ſi non acquiſita, ſed acquirenda computat? Quis ſit divitiarum modus, quaeris? Primus, habere quod neceſſe eſt, proximus, quod ſat eſt.

EPISTOLA III.

Familiariter reprehendit Lucilium, quod amici nomine, ut vulgus ſoleat, uſus ſit, monetque, cum demum vere ac proprie amicum eſſe, quocum, ſi probatus fuerit, omnia noſtra aeque ac nobiſcum communicare poſſimus. Vnde hoc nos proficere, addit, ut nec ipſi mali quid committamus, et amicum conſtantem reddamus et fidelem. In quo et a vulgo ſeiungamus nos oportet, quippe qui, nullo amici diſcrimine facto, vel omnes amicorum loco habent, vel amicitiae praeſtantiam ignorant. (Cf. Epiſt. IX. ubi alio eoque ſtoico more hunc locum perſequitur.) Quae quidem obſervatio de hominum inconſtantia ſimilem eorum errorem in eius mentem revocat, utpote qui induſtriam in circumcurſione perpetua et quietem in omni vacuitate a motu ponunt. Satis laxo vinculo adhibetur Pomponii dictum, clauſulae loco, eiusdem fere argumenti. Ceterum et de amicitia omnes egiſſe auctores, qui de officiis expoſuerint, conſtat. In Stoicis autem hac re tractanda clari fuere Poſidonius, Hecato, Panaetius. Vide Diog. Laert. VII. 124; quibus et Cicero in libro egregio de amicitia, dialogo praeſtantiſſimo Platonis cui titulus eſt: Lyſis, in partes vocato, idemtidem uſus eſſe videtur.

Eraſmus cum ſequentibus edd. habet: *concoquat.* Senſu nihil differunt. f. *quantum* et quatuor codd. Gruter. atque Erfurtenſi B, et uſu Senecae permotus reduxi; antea: *aut.*

Epicuri, quo digniſſimum fuit, eiusque vitae rationi, quam in horto cuſtodivit, convenientiſſimum. Cf. Diogen. Laert. X, 11 ſq. Senec. Ep. XVIII, 7. XXI, 7 ſq. et Cic. Paradox. VI.

5. *Quid enim refert — feneret*] diverſa divitiarum genera recenſet: *quantum — paſcat* i. quantum pecoris, boum, oviumque alat in paſcuis ſuis. In Apulia inprimis haec pecu-

Epistolas ad me perferendas tradidisti, ut scribis, amico tuo. Deinde admones me, ne omnia cum eo ad te pertinentia communicem, quia nec soleas ipse quidem hoc facere. Ita eâdem epistolâ illum et dixisti amicum, et negasti. Itaque sic priore illo verbo quasi publico usus es, et sic illum amicum vocasti, quomodo omnes candidatos bonos viros dicimus; quomodo obvios, si nomen non succurrit, dominos salutamus. [a]Hoc abierit! Sed si aliquem amicum existimas, cui non tantundem credis quantum tibi, vehementer erras, et non satis nosti vim verae amicitiae. [b]Tu vero omnia cum amico delibera, sed de ipso prius.

a. *Hoc abierit!* Sensus probus est, sive *hoc ab.* sive *hac ab.* cum codd. et edd. legas: hoc modo excusari dictum tuum potest, explicante Fr. Modio Ep 2 Nov. lect., quem Gruter. laudat. Abesse tamen haud bene potest, quamvis codd nonnulli concinant. Gronov acute emendavit: Hic (sc. amicus tuus) abierit: de re, non de homine loquar tecum, in thesi non in hypothesi. At vulgata bene habet.

b. Ante: *Tu vero* sequentia ap. Erasmum, Gruterum eiusque quinque codd. al. legebantur: Errat autem, qui amicum in atrio quaerit, in convivio probat. Nullum habet maius malum occupatus homo et bonis suis obsessus, quam quod amicos sibi putat, quibus ipse non est. Muretus haec verba delenda censuit, ut invecta huc ex ep. 19, 11. Probavit hoc iudicium Gruterus et insecuti editores: haud immerito. Sunt enim alienissima ab hoc loco, e margine interpolata.

pecuaria fiebat. Cf. Tom. I. p. 337 not.

§. 1. *publico*] i. quod vulgo usitatum, commune est. Sic mos fuit, ut qui in Senatu Candidatum produceret, bonum eum vel optimum virum diceret. Cuius quidem rei vestigium apparet in Plinii Panegyrico: faciebas ergo, quum diceres optimos. Gruterus huc trahit Ciceron. de Orat. II, 64. *Dominos*, honoris caussa, ut apud recentiores: Herr, Monsieur, Sir. Saepe autem huius moris, non solum honoratiores, parentes, fratres, (cf. epist. CIV, 1.) sed etiam obvios quosque, quorum nomen non statim succurreret, hoc titulo compellandi, mentio iniicitur apud veteres. cf. Sueton. Aug. 53 not. Tacit. Annal. II, 87. cum Excurs. Lipsii P. Eadem ratione utebantur in mulieribus iam inde a decimo

prius. Post amicitiam credendum est, ante amicitiam iudicandum. Isti vero praepostere officia permiscent, qui contra praecepta Theophrasti, quum amaverint, iudicant; et non amant, quum iudicaverint. Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit: quum placuerit fieri, toto illum pectore admitte: tam audacter cum illo loquere, quam tecum. Tu quidem 3
ita vive, c ut nihil tibi committas, nisi quod committere etiam inimico possis: sed quia interveniunt quaedam, quae consuetudo fecit arcana, cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas misce. Fidelem si putaveris, facies. Nam multi fallere docuerunt, dum timent falli: et aliis ius peccandi suspicando fecerunt. Quid est ergo, quare ulla verba coram amico meo retraham? quid est, quare me coram illo non putem solum? Quidam quae tantum amicis committenda sunt, 4
obviis narrant, et in quaslibet aures, quidquid illos urit, exonerant: quidam rursus etiam carissimorum conscientiam reformidant, et, si possent, ne sibi quidem crediturі, interius premunt omne secretum. Neutrum faciendum est. utrumque enim vitium est, et

 omni-

c. *ut nihil tibi committas.* Erasmi editio cum libris vett. praestat hanc lectionem, quam a Mureto sine ulla caussa adiecta immutatam in: *ut nihil committas* recte restituendam duxit Gronov. qui exponit: ut *conscire sibi* est, pravi facti conscientiam habere ap. Horat. I. Ep. 1, 61, ita *committere sibi* est conscientiam alicuius facti admittere. Itaque revocavi.

mo quarto aetatis anno. Vide Epicteti Manual. CXL. edit. Schweighaeuf. ubi Vptoni notae (Tom. III. p. 163 Epictetеae Philof. Monum.): addas Spanhem. de Vfu et P. N. To. II. p. 487, Petron. c. 62. p. 330. Burmann.

2. *Theophrasti*] Occurrit quoque apud Plutarchum de fraterno amore Tom. X. p. 45. Hutt. Τοὺς μὲν γὰρ ἀλλοτρίους, ὡς ἔλεγε Θεόφραστος, οὐ φιλοῦντα δεῖ κρίνειν, ἀλλὰ κρινοῦντα φιλεῖν. Locus huius dicti erat fortasse in libro περὶ Ἔρωτος, si hariolari licet. Cf. Fabricii Bibl. Graec. Vol. III, p. 449. ed. Harlef.

omnibus credere, et nulli: sed alterum honestius dixerim vitium, alterum tutius. — Sic utrosque reprehendas, et eos qui semper inquieti sunt, et eos qui semper quiescunt. Nam illa tumultu gaudens, non est industria, sed exagitatae mentis concursatio: et haec non est quies, quae motum omnem molestiam iudicat, sed dissolutio et languor. Itaque hoc quod apud Pomponium legi, animo tuo mandabitur. „Quidam adeo in latebras refugerunt, ut putent in turbido esse quidquid in luce est.“ Inter se ista miscenda sunt, et quiescenti agendum, et agenti quiescendum est. Cum rerum natura delibera, illa dicet tibi, se et diem fecisse et noctem.

EPISTOLA IV.

Hortatur amicum, ut perseveret in philosophia et in emendando animo; quo maiores enim profectus faciat, eo maiorem voluptatem sensurum esse, virili animo assumto et puerilitate deposita. Praecipua autem utilitas huius studii est contemtus animae, sive mortis: quam quum ex frivolis causis contemnant interdum homines, e solidioribus virtutis causis multo magis eam esse parvifaciendam, monet. Vitam itaque una cum bonis eam comitantibus non esse amandam, sed omnem pro illa sollicitudinem deponendam, quum ex tot levissimis causis mors nos occupare possit. Finem epistolae facit dictum Epicuri de veris divitiis. Hoc emblema per se egregium satis bene cum antecedentibus coniungi potest, quandoquidem ei, qui paucis contentus nec avidus

5. *Pomponium*] Lipsius ait: „poetam tragicum hoc nomine scio, sed et alios. At ista non olent poetam: estque in meo libro optimo: Pompeium philosophum“. Vixit autem ille Pomponius (nam varietas a Lipsio e codice allata pro aberratione librarii habenda est) sub Augusto et superstes fuit Tiberio. Tacit. Annal. V, 8, ubi vir morum elegantia et ingenio illustris audit. Cf. Lipsius ad Taciti Annal. XI, 13. Si cum Lipsio e carmine haec esse petita, negaveris, quamquam in iis afferendis sententiam quin sequeretur, verbis relictis, nihil impedit, altera tamen ex parte non pervideo, quidni poetam tragicum et libros philosophicos composuisse putemus?

ius est verum in vita supervacanearum, minus metus obiicere potest mors, quam iis, qui contrariam vitae rationem inierunt: quamquam in hisce clausulis illam arctam cum antecedentibus coniunctionem quaerere velle, ipsius auctoris consilio repugnaret.

Persevera ut coepisti, et quantum potes propera: quo diutius frui emendato animo et composito possis. Frueris quidem etiam dum emendas, etiam dum componis: [a] alia tamen illa voluptas est, quae percipitur ex contemplatione mentis ab omni labe purae et splendidae. Tenes utique memoriâ, quantum senseris gaudium, quum praetextâ positâ, sumsisti virilem togam, et in forum deductus es: maius exspecta, quum puerilem animum deposueris, et te in [b] virum philosophia transcripserit. Adhuc enim non pueritia in nobis, 2
sed, quod est gravius, puerilitas remanet: et hoc quidem peius est, quod auctoritatem habemus senum, vitia

a. *alia. altior* coni. Heumann in Poecile II, 1. p. 31. ingeniose. Sed vulg. bene habet.

b. *virum* antiquior lectio ab omnibus edd. et codd. Gruter. firmata. Muretus ex vetere libro legendum esse ait: *viros*, attici instituti memor, ex quo qui incipiebant per se censeri iamque res suas libere tractare atque administrare, qui περίπολοι fuerant (Wesseling. Obss. 1, 2) in viros transcribebantur. Vocabatur hoc ap. Athen. ἐγγράφεσθαι εἰς ἄνδρας, εἰς ληξιαρχικὸν (τοῦ δήμου). Res nota vel ex Lamb. Bosii Antiqq. Graec. Sed illi veteres libri Mureti quum non satis locupletes testes sint, antiquiorem coniecturâ lectionem retinendam duxi, ideoque revocavi. Transcribi in virum i. declarari publice tamquam vir. Sic ap. Senecam in Thyest. 13 est: in quod malum transcribor? i. mutor, deferor.

Contemplatione — splendidae.] Spectant haec ad dogma antiquum philosophicum, Pythagoreorum, et Stoicis perquam familiare, de animo in corpus tamquam in custodiam et vincula coniecto, ubi multum maculae et labis attraxit, a qua nonnisi Philosophiae opera liberari debet ae potest. cf. Senecae Nat. Quaest. I. praef.

praetexta toga: fiebat hic actus sollennis anno aetatis decimo quarto quintove. vide ad Consol. ad Marc. XI, 1. To. I. p. 254.

2. *illa levia — utraque.*] Muretus perquam appositе comparat Lucretium II, 54 sq. ubi Creechius laudat Senec. Epist. CX, 6.

tia puerorum: nec puerorum tantum, sed infantium. Illi levia, hi falsa formidant: nos utraque. [c] Profice modo, et intelliges, quaedam ideo minus timenda, quia multum metus afferunt. [d] Nullum magnum, quod extremum est. Mors ad te venit, timenda erat, si tecum esse posset: necesse est, aut non perveniat, aut pertranseat. „Difficile est," inquis, „animum perducere ad contemtum animae." Non vides, quam ex
3 frivolis causis contemnatur? Alius ante amicae fores laqueo pependit; alius se praecipitavit a tecto, ne dominum stomachantem diutius audiret; alius, ne reduceretur e fuga, ferrum adegit in viscera. Non putas virtutem hoc effecturam, quod efficit nimia formido? Nulli potest secura vita contingere, qui de producenda nimis cogitat, qui inter magna bona multos
4 consules numerat. Hoc quotidie meditare, ut possis aequo animo vitam relinquere, quam multi sic complectuntur et tenent, quomodo qui a torrente rapiuntur, spinas et aspera. Plerique inter mortis metum, et vitae tormenta, miseri fluctuant: et vivere nolunt, et mori nesciunt. Fac itaque tibi iucundam vitam, omnem pro illa solicitudinem deponendo. Nullum bonum iuvat habentem, nisi ad cuius amissionem praepara-

c. *Profice.* prospice, et mox *auferunt* loco *afferunt* aberrationes librarr. d. *Nullum magnum, quod extremum est:* antiqua lectio. Erasmi et omnium insecutorum edd. addunt post magnum: *malum*, quod tamen omnibus codd. deest. Itaque exsulet. Nihil magni momenti est, quod e. e.

3. *alius se — viscera.*] de servis loquitur. *qui inter magna bona — numerat* i. iteratum consulatum: nam sub principibus consulatus communior factus pluribus dari simul poterat, quum alii consules ordinarii, alii suffecti, s. minores, quin etiam honorarii crearentur. Cf. Dio Cass. XLVIII, 35 et ad III de Ira 31, 2.

4. *et vivere — nesciunt.* Laudat Lipsius Epicteti (fragm. XCV. p. 98. Tom. III. Epicteteae

paratus est animus. Nullius autem rei facilior amissio est, quam quae desiderari amissa non potest. Ergo 5
adversus omnia quae accidere possunt etiam potentissimis, adhortare te et indura. De Pompeii capite pupillus et spado tulere sententiam: de Crasso crudelis et insolens Parthus. Caius Caesar iussit Lepidum [e]Dextro tribuno praebere cervicem: ipse Chaereae praestitit. Neminem eo fortuna provexit, ut non tantum illi minaretur, quantum permiserat. Noli huic tranquillitati confidere. momento mare evertitur: eodem die, ubi luserunt navigia, sorbentur. Cogita posse 6
latronem et hostem admovere iugulo tuo gladium: ut potestas maior absit, nemo non servus habet in te vitae necisque arbitrium. Ita dico, quisquis vitam suam contemsit, tuae dominus est. recognosce exemplum eorum, qui domesticis insidiis perierunt, aut aperta vi, aut dolo: et intelliges, non pauciores servorum irâ cecidisse, quam regum. Quid ad te itaque, quam potens sit quem times, quum id propter quod times, nemo non possit? At si forte in manus hostium inci- 7
deris, victor te duci iubebit, eo nempe quo duceris.

Quid

e. *Dextro* hanc scriptorum lectionem praetuli alteri: Decimo. Mox *permiserat* praestat τῷ *promiserat* nonnullorum codd., in quod et Heumannus in Poecile l. l. p. 32. coniectura inciderat. *mare evertitur* cum omnibus scriptis, Erasino, Grutero et Gronovio praetuli: i. turbatur. *vertitur* a Murero erat.

teteae Philos. Monum. edit. Schweigh.) increpitationem parilem: Θαυμαστοὶ ἄνθρωποι, μήτε ζῆν θέλοντες, μήτε ἀποθνήσκειν.

5. De *Pompeio* cf. ad II. de Ira 2, 4. De *Crasso* adi Plut. To. III. Vita M. Crassi c. 30 p. 488 ed. Reisk. *Caius Caesar* Caligula: narrat Dio Cass. LIX, 22: Lepidus Caligulae cognatus, Drusillae, ororis Caii, maritus, olim eiusdem Caii amasius, coniurationis crimine damnatus et a tribuno *Dextro* interfectus est. Sueton. Calig. XXIV. Lipsius ad Taciti Annal. III, 2. *Cassius Chaerea* una cum Cornelio Sabino Caligulam interfecit. Dio Cass. LIX, 29.

Quid te ipſe decipis, et hoc nunc primum, quod olim patiebaris, intelligis? ita dico, ex quo natus es, duceris. Haec et huiusmodi verſanda in animo ſunt, ſi volumus illam ultimam horam placidi exſpectare: cuius metus omnes alias inquietas facit. — Sed ut epiſtolae finem imponam, accipe quod hodierno die mihi placuit. et hoc quoque ex alienis hortulis ſumtum eſt. 8 „Magnae divitiae ſunt lege naturae compoſita paupertas.“ Lex autem illa naturae ſcis quos nobis terminos ſtatuit? Non eſurire, non ſitire, non algere. Vt famem ſitimque depellas, non eſt neceſſe ſuperbis aſſidere liminibus, nec ſupercilium grave, et contumelioſam etiam humanitatem pati: non eſt neceſſe maria tentare, nec ſequi caſtra. Parabile eſt quod natura deſiderat, f et appoſitum: ad ſupervacua ſudatur. Illa ſunt quae togam conterunt, quae nos ſeneſcere ſub tentorio cogunt, quae in aliena litora impingunt. Ad manum eſt, quod ſatis eſt.

EPI-

f. *et appoſitum* antiquiſſima lectio, quam coniectura mutaverat Eraſmus, adoptaverat Muretus: *et expoſitum*. Appoſitum eſt commodum, vicinum. Recte Gronov. revocavit.

7. *eo — duceris*,] inde a primo vitae die ſc. ad mortem.

8. *Magnae divitiae — paupertas.*] Sunt haec Epicurea: quod noſter indicaſſe videri poteſt verbis: *ex alienis hortis*. Hinc Epicurus *κηπολόγος* (Analect. Brunk. II, p. 53) philoſophus ex horto, eiusque philoſophia *κῆπος*, hortus, appellatur, v. c. ap. Themiſt. Orat. IV. *ὅτῳ μέλει ὁ κῆπος*. Sed vide quae ad Ep. XXI, 10 notamus de hac re. *lex naturae*. cf. de Vita beat. XIII. *Vt famem — pati*, tamquam cliens. *Supercilium* i. faſtum, ut gr. *ὀφρύς*, Bergler ad Alciphron. Epiſt. I, 34 p. 194. Wagner. Hunc morem Romanorum fores principum obſidendi reſpexit Lucian. Nigrin. c. 23 (ubi vide Hemſterhuſ. Tom. I. p. 259, 260 Bip.): *τοὺς πυλῶνας ἔωθεν ἐμπλήθουσι*, ſuperbis aſſident liminibus, ut ave ſuum portent, et coenas e ſportulis accipiant (*τὸ ἀπὸ σπυρίδος δεῖπνον* Athenae. VIII, 17. p. 365. Iuvenal. I, 95 ſq. et ad utrumque cf. Caſaub.) *illa* ſupervacua *ſunt, quae togam conterunt* in officiis civilibus, ſalutatione, deductione, ubi clientuli iſti ſemper togati. Lipſius.

EPISTOLA V.

Gratulatur amico, quod Philoſophiae operam navat indefeſſam, ſed monet ſimul, ut ab oſtentatione liberum ſe praeſtet: Philoſophiae enim ſtudium ad emendationem animi ac vitae adhibendam eſſe: qua una, ſi diſſimilitudo a vulgo eſſe debeat, admiratio ſit, reliqua, quae ad externam diſſimilitudinem pertineant, tamquam ridicula et odioſa ſint reiicienda. Emblema egregium ex Hecatone Stoico affert: Deſines timere, ſi ſperare deſieris.

Quod pertinaciter ſtudes, et omnibus omiſſis, hoc unum agis, ut te quotidie meliorem facias, et probo et gaudeo: nec tantum hortor, ut perſeveres, ſed etiam rogo. Illud autem te admoneo, ne eorum more qui non proficere, ſed conſpici cupiunt, facias aliqua, quae in habitu tuo, aut genere vitae notabilia ſint. Aſperum cultum, et intonſum caput, et negligentiorem barbam, et indictum argento odium, et cubile humi poſitum, et quidquid aliud ambitionem perverſa viâ ſequitur, evita. Satis ipſum nomen philo- 2
ſophiae, etiam ſi modeſte tractetur, invidioſum eſt: quid, ſi nos hominum conſuetudini coeperimus excerpere? Intus omnia diſſimilia ſint: frons noſtra populo conveniat. Non ſplendeat toga: ne ſordeat quidem.

1. Egregie haec dicta ſunt ad reprimendam oſtentationem, quam inter philoſophos cuiuscunque fere ſectae regnaſſe, vel ex Luciano, Horat. I. Epp. 19, 12 etc. notiſſimum eſt.

2. *invidioſum eſt,*] quia contra vitia omnis generis, quae utique in metropoli, aut quavis magna urbe, inprimis vero Romae dominabantur, invehebatur philoſophia quaelibet: ſive Stoicorum dogmata, naturam eſſe ſequendam etc. praecipientia, ſive Epicuri decreta atque ſententias, in quibus animi emendatio et inde manans voluptas (vide locum praeſtantiſſimum Luciani Tom. V. p. 106 Bip.) ſeveriſſime poſtulabatur, ſpectaveris. *Quid fieret ſi* hac modeſta tractatione omiſſa nos a moribus receptis hominum ſepararemus, alia eaque diverſiſſima vivendi inſtituta ſequentes? Itaque medium tene-

dem. non habeamus argentum, in quod ſolidi auri caelatura deſcenderit: ſed non putemus frugalitatis indicium, auro argentoque caruiſſe. Id agamus, ut meliorem vitam ſequamur, quam vulgus, non ut contrariam: alioqui quos emendari volumus, fugamus,
3 et a nobis avertimus. Illud quoque efficimus, ut nihil imitari velint noſtri, dum timent ne imitanda ſint omnia. Hoc primum philoſophia promittit, ſenſum communem, humanitatem et congregationem: [a] a qua profeſſione diſſimilitudo nos ſeparabit. Videamus ne iſta, per quae admirationem parare volumus, ridicula et odioſa ſint. Nempe propoſitum noſtrum eſt,
4 ſecundum naturam vivere. Hoc contra naturam eſt, tor-

a. *a qua profeſſione diſſimilitudo nos ſeparabit.* Antiquior lectio, cf. Gruter. h. ne profeſſione ab aliis diverſi ſimus, ſed vita, vid. Ep. 14. Eraſmus coniectura τὸ *nos* eiecerat: i. e. ait: a qua congregatione diſſimilitudo profeſſionis ſeparabit, vult enim nos intus habere philoſophiam, non profiteri.

teneamus inter cultum exquiſitum et aſperum. *non habeamus argentum — deſcenderit.* Recte Lipſius: „Emblema, ſ. Latinis inſerta.“ Spectant autem haec ad luxum, qui utique inter Romanos viguit, ut vaſis menſalibus argenteis ſigilla ex auro praeſertim, anaglypha intelligenter facta (*ſolidi auri caelaturam*), illigarent quae pro lubitu demi atque variari poterant: quandoquidem recentia vaſa eaque recenter ornata in conviviis, quae luxus factis frequentia apparavit, ſemper apponere non licuit. Cicero emblemata appellat. Cf. Erneſti Clav. Cic. *Caelatura* id q. τόρευμα. Cf. Heynii antiquar. Auſſaetze II p. 145 ſqq. et Schneider in Lexico graec. ad voc. τορεύω. Hic luxus Herculanenſibus antiquitatibus detectis et publici iuris factis in clariore demum luce poſitus eſt.

3. *ſenſum communem*] quo tempus, locum, perſonas obſervare et diſtinguere poſſumus, ne quid inepte faciamus. Sic explicat noſter de Benefic. I, 12. hanc phraſin, quae varie apud varios accipitur, quos erudite ſignificavit magnus Bentleius ad Horat. Sermon. I, 3, 65. noſtri loci non immemor. *ſecundum naturam*, commune philoſophorum axioma. vid. de Vita beata cap. III et VIII. Epiſtol. XLI fin. Lipſius.

torquere corpus ſuum, et faciles odiſſe munditias, et ſquallorem appetere, et cibis non tantum vilibus uti, ſed tetris et horridis. Quemadmodum delicatas res deſiderare, luxuriae eſt: ita uſitatas et non magno parabiles fugere, dementiae eſt. Frugalitatem exigit philoſophia, non poenam: poteſt autem eſſe non incomta frugalitas. Hic mihi modus placet. Temperetur vita inter bonos mores et publicos: [b] ſuſpiciant omnes vitam noſtram, ſed et agnoſcant. Quid ergo? 5
Eadem faciemus, quae ceteri? nihil inter nos et illos intererit? plurimum. Diſſimiles eſſe nos vulgo, ſciat, qui inſpexerit propius. qui domum intraverit, nos potius miretur, quam ſupellectilem noſtram. Magnus ille eſt, qui fictilibus ſic utitur, quemadmodum argento: nec ille minor eſt, qui ſic argento utitur, quemadmodum fictilibus. Infirmi animi eſt, pati non poſſe divitias. — Sed ut huius quoque diei lucellum 6
tecum communicem, apud Hecatonem noſtrum inveni, cupiditatum finem, etiam ad timoris remedia proficere. „Deſines, inquit, timere, ſi ſperare deſieris.“ Dices, quomodo iſta tam diverſa pariter ſunt? ita eſt, mi Lucili: quum videantur diſſidere, coniuncta ſunt. Quemadmodum eadem catena et [c] cuſtodiam et militem copu-

b. *ſuſpiciant omnes vitam noſtram, ſed et agnoſcant.* Praeſtat haec lectio antiqua coniecturae Gruteri: Non ſuſpiciant homines vitam noſtram, ſed agnoſcant. Senſus poſtulat: vita noſtra ita ſit comparata, ut non ſolum admiratio homines in vitam noſtram convertat, ſed etiam praeſtantiam eius imitandam ducant.

c. *cuſtodiam* ap. Scriptt. argenteae Latinitatis ſignificat eum, qui cuſtoditur. Male Gruteriani codd. *cuſtodem.* cf. ad de Tranq. An. 10, 3.

6. *Hecatonem*] Fuit is Stoicus ſatis celeber in antiquitate, Rhodius, Panaetii diſcipulus, cuius opera omnia periere. Cf. Fabricii Bibl. Gr. Vol. III, p. 563 Harleſ. Hoc dictum pertinet ad Apathiam Stoicorum. Vide noſtrum de Conſtant. Sap. XIX, 2. Eleganter de hoc loco diſſerit Muretus Var. Lect. XII, 6.

BIBLIOTEKA
BIBLIOTEKA W TORUNIU

copulat: sic ista quae tam dissimilia sunt, pariter in-
7 cedunt. Spem metus sequitur. Nec miror ista sic ire. utrumque pendentis animi est, utrumque futuri exspectatione [d] solicitum. Maxima autem utriusque causa est, quod non ad praesentia aptamur, sed cogitationes in longinqua praemittimus. Itaque providentia, maximum bonum conditionis humanae, in malum versa est. Ferae pericula quae vident, fugiunt; quum effugêre, securae sunt: nos et venturo torquemur, et praeterito. Multa bona nostra nobis nocent. timoris enim tormentum memoria reducit, providentia anticipat. Nemo tantum praesentibus miser est.

EPISTOLA VI.

Quum se emendari, quin transfigurari intelligat ope Philosophiae, cupit cum amico hanc animi mutationem communicare, quandoquidem amicis omnia communia esse debent. Hoc ipso efficitur, ut amico prosit, et sibi utilitatem creet, atque verum sapientiae fructum capiat: nam nullius boni sine socio iucunda possessio est. Proinde libros se missurum ei promittit, in quibus loca praestantiora a se iam insignita sint. Sed enim quum viva vox efficacior sit, optat ut se conveniat, quia exempla securius et efficacius docent, quam praecepta, uti experientia docet.

Egregium Hecatonis dictum huc spectans finem epistolae imponit. Est autem dogma Stoicum, illum qui se amet, i. e. bonum sapientemque faciat, hunc et alios sic amare, ut non sibi soli, sed toti genitum se credat mundo. Cf. de Clement. II, 5, 3. Cic. de Fin. III, 20. Eodem sensu iam Socrates se mundanum appellavit apud Ciceron. Tusc. disputat. V, 37. et Plutarch. de exilio To. X, cap. 5, p. 370 Hutten.

Intelligo, Lucili, non emendari me tantum, sed transfigurari: nec hoc promitto iam aut spero, nihil in

d. *solicitum.* Recte Gronov. praetulit e codice et tribus vett. edd. vulgatae: *soliciti.* Ep. 14, 16. De Brevit. Vit. 17, 1.

1. *transfigurari*] in alium habitum hominemque ire. Epist. XCIV, 46. Nam qui illam (Philosophiam) didicit et facienda ac vitanda percepit, nondum sapiens est, nisi in ea, quae

in me ſupereſſe, quod mutandum ſit. Quidni multa habeam quae debeant corrigi, quae extenuari, quae attolli? Et hoc ipſum argumentum eſt in melius translati animi, quod vitia ſua, quae adhuc ignorabat, videt. Quibusdam aegris gratulatio ſit, quum ſeipſi aegros eſſe ſenſerunt. Cuperem itaque tecum com- 2
municare tam ſubitam mei mutationem: tunc amicitiae noſtrae certiorem fiduciam habere coepiſſem; illius verae, quam non ſpes, non timor, non utilitatis ſuae cura divellit: illius, cum qua homines moriuntur, et pro qua moriuntur. Multos tibi dabo, qui non amico, ſed amicitia caruerunt. Hoc non poteſt accidere, quum animos in ſocietatem honeſta cupiendi par voluntas trahit. Quidni non poſſit? Sciunt enim ipſos 3
omnia habere communia, et quidem magis adverſa. Concipere animo non potes, quantum momenti afferre mihi ſingulos dies videam. Mitte, inquis, et nobis iſta, quae tam efficacia expertus es. Ego vero cupio iſta omnia in te transfundere, et in hoc gaudeo aliquid diſcere, ut doceam: nec me ulla res delectabit, licet eximia ſit et ſalutaris, quam mihi uni ſciturus ſim. Si cum hac exceptione detur ſapientia, ut 4
illam incluſam teneam, nec enuntiem, reiiciam. Nul-

quae didicit, animus eius transfiguratus eſt. Itaque mutario haec ſive μετασχηματισμὸς animorum eſt hominisque interni. Lipſius. *nec hoc* ſc. dicto: ideo quidni *corrigi — extolli*, prava refingi, ſuperba deprimi, humilia elevari? *Quibusdam — ſenſerunt*, ut in lethargo, ut in melancholia, ubi inſani maxime ſibi ſani (videntur). Lipſius.

2. *amico*] vulgari ſ. publico. Vide Epiſt. III, 1. *amicitia* vera, quae caſtigat, monet, communicat. Lipſius.

4. *Si cum hac exceptione — reiiciam.*] Egregia profeſſio! Similis eſt illa beati Leſſingii. Si Providentia mihi altera manu incluſam oſtenderet veritatem omni dubio liberam, altera illam, quae humanae conditioni convenire videtur, nondum omnibus dubiis exemtam,

ideo-

lius boni, ſine ſocio, iucunda poſſeſſio eſt. Mittam itaque ipſos tibi libros: et ne multum operae impendas, dum paſſim profutura ſectaris, imponam notas, ut ad ea ipſa protinus, quae probo et miror, accedas. Plus tamen tibi et viva vox et convictus, quam oratio, proderit: in rem praeſentem venias oportet. 5 Primum quia homines amplius oculis quam auribus credunt: deinde quia longum iter eſt per praecepta, breve et efficax per exemplа. Zenonem Cleanthes non expreſſiſſet, ſi eum tantummodo audiſſet. vitae eius interfuit, ſecreta perſpexit, obſervavit illum, an ex formula ſua viveret. Plato et Ariſtoteles, et omnis in diverſum itura ſapientium turba, plus ex moribus, quam

ideoque inquiſitioni patentem, retine, dicerem, illam, relinque hanc.

5. *Primum — credunt*] Recte haec dicta ſunt, quatenus a te ad iudicandum apto, nec ullis opinionum commentis praepedito, res accuratius diiudicari poſſunt, quam ſi auribus accipias. Tuetur hanc eandem ſententiam Horatius A. P. 180. Segnius irritant animos demiſſa per aurem, Quam quae ſunt oculis ſubiecta fidelibus, et quae ipſe tibi tradit ſpectator. Quintil. Inſt. Orat. XI, 2. acrior eſt oculorum quam aurium ſenſus. Altera tamen ex parte nec illi falſi ſunt, qui auribus maiorem vim quam oculis tribuant. Sic Candaules Herodoti I, 8 ait ὅτα τυγχάνει ἀνθρώποισιν ἐόντα ἀπιστότερα ὀφθαλμῶν, ubi vide Weſſeling. Strabo II, p. 178 ed. Lipſ. ἀκοὴ πρὸς ἐπιστήμην (ad notitias variarum rerum acquirendas) πολὺ κρείττων ἐστί. Lactant. Inſt. III, 9 plus eſt in auribus quam in oculis ſitum. *Cleanthes*, aeſtimatiſſimus Zenonis diſcipulus, quem ideo Epictetus una cum Socrate, Diogene et Zenone ad imitandum proponit, Diſſert. Arrian. III, 23, 32, cf. Diog. Laert. VII, 168 ſqq. *formula.* vide ad II de Clem. 3, 1. *Plato et Ariſtoteles — traxit.* Quum hic de contubernio ſermo ſit, Lipſius anachroniſmum commiſiſſe Senecam putat. Ariſtoteles enim Socratem, qui Ol. XCV, 1 obiit, ne vidit quidem, natus XCIX, 1. Calore itaque ſcriptionis noſtrum in errorem chronologicum abreptum fateamur oportet. *plus ex moribus.* Laudat Lipſius Xenophont. Memorab. Socrat. IV, 1, init.

quam ex verbis Socratis traxit. Metrodorum, et [6]
[a] Hermachum, et Polyaenum, magnos viros non ſchola Epicuri, ſed contubernium fecit. Nec in hoc te arceſſo tantum, ut proficias, ſed ut profis. plurimum enim alter alteri conferemus. Interim quoniam diurnam tibi mercedulam debeo, quid me hodie apud Hecatonem delectaverit, dicam. „Quaeris," inquit, „quid profecerim? Amicus eſſe mihi coepi." Multum profecit: nunquam erit ſolus. Qui ſibi amicus eſt, ſcito hunc amicum omnibus eſſe.

EPISTOLA VII.

Conſortium malorum quum ex pervetuſto proverbio vitioſitatem aliquam facillime vel optimis moribus affricare ſoleat, ſuadet Lucilio Seneca, ut turbam, ſive multorum converſationem devitet, qua nihil emendationi morum periculoſius ſit. A generali hoc praecepto devertitur ad ſpectacula gladiatoria, quibus nuper interfuerat. Qua occaſione data in illa ſpectacula, ſ. munera gladiatoria ideoque in populum qui iis tanta inſania gaudere ſoleat, acerbiſſime invehitur. Fortaſſe huius loci eſt, quaedam huc pertinentia breviter delibaſſe. Haec ſpectacula publica, Graecis liberis diu prorſus incognita, et quum cognoviſſent, odio habita, maximopere placuerunt Romanis (Auctor Dialogi de Cauſſis corr. Eloq. c. XXIX). Originem traxere a more ſaeviſſimo captivos ad placandos manes ſuorum in bello caeſorum inferiarum loco mactandi; quem et apud Graecos obtinuiſſe Homerus

 tra-

a. *Hermachum.* Sic omnes fere codd. omnium auctorum, ubi Hermachus memoratur. *Hermarchum* tamen ſcribendum eſſe putat Villoiſon in Anecdot. Graec. tom. II. p. 159. n. ex *Antichità di Ercolano* Vol. V. p. 71. tav. 17. et p. 721. Cf. Harles ad Fabric Bibl. Graec. Vol. III, p. 604. x) ubi et de Metrodoro Athenienſi p. 606. et de Polyaeno p. 609 conferas. Is Hermachus eſt Mitylenaeus, qui in ſchola et diatriba Epicuro ſucceſſit. Hanc eandem ſententiam de nomine hoc ſcribendo protuliſſe Klotzium in Actis liter. T. V. p. 367, qui eam ex Protome Hermarchi in della Antichità l. c. probaverat, intellexi e Wagneri nota ad Alciphron. II, ep. 2, p. 287 ſq.

6. *Metrodorus*] Athenienſis, diſcipulus Epicuri celeberrimus. Cf. Baylii Dictionn. hiſtor. et crit. Epicure (D). Ceterum vide de eo, Hermacho et Polyaeno Diogen. Laert. X, 15, 22 ſq.

tradit. Decimus Iunius Brutus a. u. c. CCCCXC captivos inter se pugnare iussit in honorem defuncti patris, ideoque munus gladiatorium edidit primus (Liv. Epit. XVI. Valer. Max. II, 4, 7.). Mox res in ludum versa mos factus est, ut a magistratibus et deinceps a Candidatis ad populi favorem sibi conciliandum, ederentur. Quare lanistae exorti sunt, qui viles homines et mancipia emta, familiam autem dixere, sub procuratore sagina gladiatoria alerent, et ludis gladiatoriis secundum dictata et leges exerceri iuberent. Quid, quod nobiles iique potentes gladiatorum adeo familias in ergastulis praediorum suorum, ubi detinebantur, alerent, teste bello Spartacio! Armis et modo pugnandi, quibus utebantur, genera gladiatorum constituebantur, et nomina. Ex iis, qui vulgari modo inter se pugnarent, ordinariis paribus, excerpere hic liceat duo genera, postulatitios et bestiarios. Quorum quidem priores a principibus privatim emtos alitosque, ideoque Caesarianos fiscalesque (Καίσαρος μονομάχους Epictet. Disc. I, 29, 37.) nominatos, a populo propter peritiam, qua inclaruerant, interdum in arenam fori s. Amphitheatri sibi commodari postulatos esse legimus, ubi pari inter se componebantur. Bestiariorum, ad mortem plerumque propter scelera commissa damnatorum, pugna erat cum bestiis e. c. leonibus, quam vel poenae loco, vel ultro, vel auctoramento s. mercede conducti pugnarunt: haec pugna vocata est venatio. Iam vero qui mane cum leonibus irrisque pugnaverant, meridie inter se depugnare cogebantur, nominati inde catervarii s. meridiani, gregatim temere ac sine arte mortis periculo obiecti. Plura dabit Meierotto ueber Sitten u. Lebensart der Roemer in verschiednen Zeiten der Republik, Tom. I. p. 127 sqq.

Iam quum haec saevitia velut contagione quadam animi proximum quemque invadere soleat, cum iis tantummodo versandum esse suadet Seneca, qui emendationem dare et recipere possint: sufficere, addit, sibi et meliovibus didicisse. Tria egregia dicta Democriti, Heraclitі et Epicuri afferuntur huc facientia: quae nostras Balde Sylva lyric. lib. VII, 14 in usum suum convertit, praeclare expressa ab Herdero, in Terpsichore T. II. p. 312. Allen immer gefallen ist ein Gluecksspiel etc.

Quid tibi vitandum praecipue exiſtimes, quaeris? turbam. Nondum enim tuto illi te commiſeris. Ego certe confiteor imbecillitatem meam. Nunquam mores quos extuli, refero. Aliquid ex eo quod compoſui, turbatur: aliquid ex his quae fugavi, redit. Quod aegris evenit, quos longa imbecillitas usque eo affe-

affecit, ut nunquam fine offenſa proferantur, hoc accidit nobis, quorum animi ex longo morbo reficiuntur. Inimica eſt multorum converſatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut neſcientibus allinit. Vtique quo maior eſt populus cui commiſcemur, hoc periculi plus eſt. Nihil vero eſt tam damnoſum bonis moribus, quam in aliquo ſpectaculo deſidere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia ſurrepunt. Quid me exiſtimas dicere? avarior redeo, ambitioſior, luxurioſior? immo vero crudelior et inhumanior, quia inter homines fui. Caſu in meridianum ſpectaculum incidi, luſus exſpectans, et ſales, et aliquid laxamenti, quo hominum oculi ab humano cruore acquieſcant. Contra eſt: quidquid ante pugnatum eſt, miſericordia fuit. Nunc omiſſis nugis, mera homicidia ſunt: nihil habent quo tegantur, ad ictum totis corporibus expoſiti: nunquam fruſtra manum mittunt. Hoc plerique ordinariis paribus et poſtulatitiis praeferunt. Quidni praeferant? non galeâ, non ſcuto repellitur ferrum. Quo munimenta? quo [a] gladii artes? Omnia iſta mortis morae

B 4 ſunt.

2 3

a. *gladii artes?* Nonnulli codd. et Eraſmi editio omittunt τὸ *gladii*, quod tamen in multis aliis additur, idque iure. Spectant autem hae gladii artes ad dictata et leges quas laniſtae gladiatoribus in ludis gladiatoriis commentari ſolebant. Cic. de Or.

1. *ex longo morbo*] i. vitioſitate. Ep. LXXV, 9. Sic declarant Stoici animi nondum emendati ſed paſſionibus laborantis ſtatum, nonniſi ope Philoſophiae purgandum. Cf. Cicer. Tuſc. Qu. IV, 10. coll. IV, 12 init. Diog. Laert. VII, 115. Stob. Eclog. ethic. p. 177. Tiedemann Syſtem der ſtoiſchen Philoſ. III, p. 263 ſqq. *ſine offenſa*, i. noxa, incommodo.

2. *populus*] turba, multi, ſtoico ſenſu, i. ſtulti pravique, φαῦλοι: ideoque opponuntur ſapientibus ſ. ſapientiae ſtudioſis, σπουδαίοις. *quia inter homines fui*, ſtultos et nulla philoſophia excultos, φαύλους. *luſus — acquieſcant*; mimos, pantomimosque etc.

3. *Quo — artes?*] i. cui bono ſunt iis munimenta, e. c. galea, ſcutum. Plura exempla

sunt. Mane leonibus et ursis homines, meridie spe-
4 ctatoribus suis obiiciuntur. [b]Interfectores interfectu-
ris iubentur obiici, et victorem in aliam detinent cae-
dem. exitus pugnantium mors est: ferro et igne res
geritur. Haec fiunt, dum vacat arena. — Sed la-
trocinium fecit aliquis. Quid ergo? meruit, ut sus-
pendatur. Occidit hominem: qui occidit, ille me-
ruit ut hoc pateretur: tu quid meruisti, miser, ut
hoc spectes? — Occide, ure, verbera! Quare tam
timide incurrit in ferrum? quare parum audacter oc-
5 cidit? quare parum libenter moritur? Plagis agun-
tur in vulnera, et mutuos ictus nudis et obviis pecto-
ribus [c]excipiunt. Intermissum est spectaculum? inte-
rim iugulantur homines, ne nihil agatur. Age, ne
hoc

III, 23. Suet. Iul. 26. b. *interfectores interfecturis iubentur obiici.* Ita mss. Pincianus et Gronov. invenerunt probaruntque. Lipsius lib. 2. Saturn. Serm. c. 15. ita quoque emendaverat probatum Grutero. *Interfectores interfectis* legebatur ante Muretum, ap. Erasmum et in multis codd. nullo tamen sensu. Muretus fecit *interfectores inter se.* Quam codd. dant lectionem sanam praetuli. Qui mane interfecerant, obiiciuntur aliis a quibus interfici debent. c. *excipiunt.* Gronov. ex nonnullis codd. praefert: *recipiunt*, allusum putans ad feralem illam victoris in arena vocem: recipe ferrum: cf. de Tranq. An. XI, 4. Ep. 57, 3 fin. Cic. Tusc. II, 17. At h. l. de catervariis s. meridianis sermo est, qui *plagis* i. verberibus in vulnera aguntur, nec de gladiatoribus ante probe exercitis, ad quos videlicet illa feralis vox spectabat. Itaque vulgatam tueor.

pla huius phraseos attulit Gronovius ad Senec. Nat. Quaest. I, 16, probatus a Bentleio ad Horat. I. Epp. 5, 12. Exquisitior autem usus est τοῦ· *quo* coniuncti cum accus., ubi *quo* antiquus dativus pro *cui* esse videtur, intellecto: adhibeam, aut simili verbo.

4. *ferro et igne res geritur.*] Donec arena, s. locus, in quo gladiatores pugnabant, vacua sit, omni vi saeviunt in se invicem. *Igne.* fugax, aut certe retrogradus in adversarium ire cogebatur. Iusiurandum, quo lanistae obligabantur gladiatores, occurrit ap. Petron. c. 117. cf. Horat. II, Serm. 7. 58. Senecae Epist. XXXVII, 1. uri, vinciri, verberari, necari non detrectabant. *Occide — moritur?* voces spectatorum. Cf. de Ira I, 2, 3. ibique Var. Lect.

hoc quidem intelligitis, mala exempla in eos redundare qui faciunt? Agite diis immortalibus gratias, quod eum docetis esse crudelem, qui non potest discere. Subducendus populo est tener animus, et parum tenax recti: facile transitur ad plures. Socrati, Catoni, et Laelio excutere mentem suam dissimilis multitudo potuisset: adeo nemo nostrum, qui quum maxime concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest. Vnum exem- 6
plum aut luxuriae, aut avaritiae, multum mali facit: convictor delicatus paulatim enervat et emollit: vicinus dives cupiditatem irritat: malignus comes quamvis candido et simplici rubiginem suam affricuit: quid tu accidere his [d]moribus credis, in quos publice factus est impetus? Necesse est aut imiteris, aut oderis. Vtrumque autem devitandum est: ne vel similis malis fias, quia multi sunt: neve inimicus multis, qui dissimiles sunt. Recede in teipsum quantum pot- 7
es. cum his versare, qui te meliorem facturi sunt: illos admitte, quos tu potes facere meliores. Mutuo ista fiunt, et homines dum docent, discunt. Non est ergo quod te gloria publicandi ingenii producat in medium, ut recitare istis velis, aut disputare: quod facere te vellem, si haberes isti populo idoneam

 [e]men-

d. *moribus.* Optime restituit Gronov. e membranis et vett. edd. explicans *his moribus:* horum hominum moribus et bonae licet indoli: non potest ea servari in turba, quae omnis eam destruere nata et operata est. Cf. Gronovii Obss. I, 24. p. 149

5. *Agite — discere.*] Lipsius et Muretus referunt haec ad Neronem, in cuius clementiae laudem, blande nec tamen falso, sub initia quidem imperii, haec dicta sint. *Docetis* de conatu, docere vultis. *adeo nemo nostrum — potest.* Lipsius laudat Epictet. Diss. Arrian. II, 16.

6. *rubiginem.*] Eadem fere habet Arrian. in Diss. Epict. III, 16, 3. Lipsio laudante.

8 mentem. Nemo eſt, qui intelligere te poſſit. Aliquis fortaſſe unus aut alter incidet: et hic ipſe formandus tibi erit, inſtituendusque ad intellectum tui. Cui ergo, inquis, iſta didici? non eſt quod timeas ne operam perdideris, ſi tibi didiciſti. Sed ne mihi ſoli hodie didicerim, communicabo tecum quae occurrerunt mihi egregie dicta circa eundem fere ſenſum tria: ex quibus unum haec epiſtola in debitum ſolvet, duo in anteceſſum accipe. Democritus ait: „Vnus mihi pro populo eſt, et populus pro uno.“ Bene et ille quisquis fuit (ambigitur enim de auctore) quum quaereretur ab illo, quo tanta diligentia artis ſpecta-
9 ret ad pauciſſimos perventurae? „Satis ſunt,“ inquit, „mihi pauci, ſatis eſt unus, ſatis eſt nullus.“ Egregie hoc tertium. Epicurus quum uni ex conſortibus ſtudiorum ſuorum ſcriberet: „Haec,“ inquit, „ego non multis, ſed tibi: ſatis enim magnum alter alteri theatrum ſumus.“ Iſta, mi Lucili, condenda in animum ſunt, ut contemnas voluptatem, ex plurium aſſenſione venientem. Multi te laudant. Ecquid habes cur placeas tibi, ſi is es quem multi intelligunt? introrſus bona tua ſpectent.

EPI-

(ed. Lipſ. 1755.). e. *mentem* i. ſi tibi cum populo conveniret; omnium fere codd. et edd. lectio, praeterquam quod nonnulli ſcripti habent: *mercem*, nullo ſenſu. Vnde Gronov. emendabat: *artem*. Sed vulgata bene habet.

8. *aliquis incidet:*] Similia exſtant ap. Perſium Sat. I, 2. Quis leget haec? — vel duo, vel nemo. *in anteceſſum.* Vox a foro et argentariis: ſignificat inante ſolvi et priusquam dies ceſſit etc. Lipſius. *Democritus.* Cf. de Ira II, 10, 2. *Heraclito* eſt ſequens dictum, ſi Symmachum lib. IX Epp. 105. ſequaris: ſecundum Heraclitum phyſicum, qui ſummam laudis arbitrabatur placere uni: is eſſet optimus, qui probaret.

EPISTOLA VIII.

Priori epistolae respondérat Lucilius, illum secessum, quem Seneca suaserat, contra Stoicorum esse dogmata, quae imperant in actu mori. Immo vero, respondet noster, ago quae prodesse possint pluribus: posterorum negotium ago, conscribendo illis salutaria praecepta, quae ipse expertus sum. Epicuri sententia: libertatem veram a Philosophia dari, bene cum antecedentibus cohaerens claudit epistolam. Vide de Tranquill. An. c. 3. et Argum. libri de Otio aut Secessu: quibus addas, quae Vptonus ad Arrian. Diss. Epictet. I, 10, 7. collegit, ubi Schweighaeuser huius Epistolae non immemor fuit.

„Tu me," inquis, „vitare turbam iubes, secedere, et conscientia esse contentum: ubi illa praecepta vestra, quae imperant in actu mori?" [a]Quid? ego tibi videor inertiam suadere? in hoc me recondidi, et fores clausi, ut prodesse pluribus possim. Nullus mihi per otium dies exit: partem noctium studiis vindico: non vaco somno, sed succumbo, et oculos vigiliâ fatigatos, cadentesque, in opere detineo. Secessi non tantum ab hominibus, sed etiam a rebus, et primum a meis. Posterorum negotium ago: illis aliqua quae 2
possint prodesse conscribo: salutares admonitiones, velut medicamentorum utilium compositiones, literis mando, esse illas efficaces in meis ulceribus expertus: quae

a. *Quid ego tibi videor inertiam suadere?* Gronovii est emendatio. Ille sic: „Scripti omnes (et edit. Erasmi): *Quod ego tibi videor interim suadere.* Forte: Quid? ego tibi videor inertiam suadere? Quae sequuntur, accipienda, quasi interpositum esset: Meum exemplum vide: in hoc me recondidi etc." Vulgatum erat, nescio inde: Quid? ego tibi videor interim sedere?

1. *conscientia*] sc. te tibi didicisse. *Nullus — exit.* Quisnam Titi imperatoris illud celeberrimum non recordabitur; diem non perdidi! Cf. Plinii Panegyr. LXVIII, 2. ibi Schwarz.

2. Spectant haec inprimis, ut opinor, ad Senecae Moralium libros nunc deperditos, in quibus de omni materia ad Philosophiam morum spectante fusius disputaverat, ut innuit ipse Epist. CVI, 2. CVIII, 1. CIX,

quae etiamsi persanata non sunt, serpere desierunt. Rectum iter, quod sero cognovi, et lassus errando, aliis monstro. Clamo: Vitate quaecunque vulgo placent, quae casus attribuit: ad omne fortuitum bonum
3 suspicioſi pavidique subsistite. Et fera, et piscis, spe aliqua oblectante decipitur. Munera ista fortunae putatis? insidiae sunt. Quisquis nostrum tutam agere vitam volet, quantum plurimum potest, ista viscata beneficia devitet: in quibus hoc quoque miserrimi fallimur, [b]habere nos putamus, habemur. In praecipitia cursus iste deducit: huius eminentis vitae exitus, cadere est. Deinde ne resistere quidem licet, quum coepit transversos agere felicitas. [c]Aut saltem rectis, aut

b. *habere nos putamus, habemur.* Multi ms. *putamus, haeremus* ut ad viscum referatur; quod *h. n. p. h.* Erasmus et Muretus. Sed vulgata recte defenditur codd. Pinciani, Erasmi et Mureti. Accedit quod antithesin amat noster: de Ira I, 16, 8. not. Ep. 119, 12. de Vit. beat. 22. fin.

c. *aut saltem rectis, aut temet fruere.* Lectio fere omnium codd.; et sic fere Erasmus: Aut rectis saltem, aut temet fruere. H. e. Aut emendatorum hominum consortio fruaris, vitatis quae vulgo placent, aut, si hoc tibi non contingat, recede in te ipsum, tibi vive. At Muretus his verbis nullum idoneum sensum inesse putans, e sua coniectura dedit: *aut rectus sta, aut semel fuge.* Nec Gronovius vulgata contentus emend.: *Aut statum rectus, aut temet tene. non vertet fortuna; se cernuet et allidet.* Equidem vulgatam teneo, nec hic quaedam, ex Lipsii opinione, excidisse puto.

CIX, 14. Cf. Lactant. I, 16, II, 2. VI, 17. *serpere* i. contagione grassari, ingravescere. De ulceribus est vox propria. *ad omne fortuitum bonum — subsistite.* Nam Stoicorum dogma est, illa tantummodo bona esse in iisque rebus ponenda, quae in nostra potestate sint. Arrian. Diss. Epict. II, 16, 1. Antonin. VI, 32. Hinc *fortuita* idem valent, quod *aliena* §. 8. cf. Cort. ad Sallust. Iug. I. Proinde *viscata beneficia* bene nominat illa bona, quae nos ab officio avocare, et morbis quos vocant Stoici, i. perturbationibus implicare solent.

3. *Aut saltem rectis*] Recta sunt Stoicis ea, quae sapientis consensu approbantur, τὰ καλὰ, ὀρθὰ, honesta. (v. Upton. ad Arrian. Diss. Epi-

aut temet fruere. Qui hoc faciunt, non evertit for- 4
tuna, ſed cernuat et allidit. Hanc ergo ſanam et
ſalubrem formam vitae tenere memento, ut corpori
tantum indulgeas, quantum bonae valetudini ſatis eſt.
Durius tractandum eſt, ne animo male pareat: cibus
famem ſedet, potio ſitim exſtinguat, veſtis arceat fri-
gus, domus munimentum ſit adverſus infeſta corpori.
Hanc utrum ceſpes erexerit, an varius lapis gentis
alienae, nihil intereſt: ſcito hominem tam bene cul-
mo, quam auro tegi. Contemne omnia, quae ſuper- 5
vacuus labor velut ornamentum ac decus ponit. Co-
gita, in te, praeter animum, nihil eſſe mirabile:
cui magno nihil magnum eſt. — Si hoc mecum, ſi
hoc cum poſteris loquor, non videor tibi plus prod-
eſſe, quam quum ad vadimonium advocatus deſcende-
rem,

Epictet. I, 18, 20, p. 221 ed. Schweighaeuſ. T. II. P. I.) Aut his honeſtis, quae fortuna offert, fruere, aut eius beneficia prorſus aſpernans, tibi vive, vulgo et fortunae iſtis beneficiis inacceſſus.

4. *cernuat*] i. turbat, σφάλλει: plus eſt, quam *evertit*, quod praeit. Sic Ep. IX, 7. τῷ *florere* opponitur *everti*. *forma* i. ratio vitae ita inſtituatur, ut beneficiis iſtis fortunae bene careas, parum ſollicitus, utrum domus tua ſit caſa ſ. tugurium, an *lapide vario* i. marmore varii coloris externo (Plin. XXXIII, 1.) exſtructa. Marmora autem paria, caryſtia, Hymettia, Numidica etc. ideoque gentium alienarum domibus exſtruendis ornandisque eſſe adhibita vel ex Plin. libr. XXXVII. notum eſt: Italiae enim marmora illis poſthabita ſunt, e. c. Lunenſe marmor (Carrarium nunc vocant), quod etſi non longe ante Caeſarem inventum eſſet, (Strabo V, 2, 5. p. 130 ed. Lipſ. iam memorat cum laude.) diu tamen peregrinis illis ceſſit honore, nec a delicatioribus facile adhibitum eſſe videtur. Sed hoc in disquiſitione de aetate ſtatuae Apollinis (in Belvedere dicti) ad liquidum deductum eſt. Cf. Les Oeuvres de Raph. Mengs, T. II. p. 9 ſqq.

5. *cui magno — eſt:*] quae ſi cum animo ſapientia imbuto comparaveris, parvi ſunt momenti. *ad vadimonium advocatus*, ab amico reo tamquam ſpon-

rem, aut tabulis teſtamenti annulum imprimerem, aut in ſenatu candidato vocem et manum commodarem? Mihi crede: qui nihil agere videntur, maiora agunt,
6 humana divinaque ſimul tractant. Sed iam finis faciendus eſt, et aliquid, ut inſtitui, pro hac epiſtola dependendum. id de meo non fiet. adhuc Epicurum [d]replicamus, cuius hanc vocem hodierno die legi. „Philoſophiae ſervias oportet, ut tibi contingat vera libertas.“ Non differtur in diem, qui ſe illi ſubiecit et tradidit. ſtatim circumagitur. hoc enim ipſum philoſophiae ſervire, libertas eſt. Poteſt fieri, ut me interroges, quare ab Epicuro tam multa bene dicta
7 referam potius quam noſtrorum? Quid eſt tamen, quare tu iſtas Epicuri voces putes eſſe, non publicas? Quam multa poëtae dicunt, quae a philoſophis aut dicta ſunt aut dicenda? Non attingam tragicos, aut togatas noſtras: habent enim hae quoque aliquid ſeveritatis, et ſunt inter comoedias et tragoedias mediae: quantum diſertiſſimorum verſuum inter mimos iacet? quam multa Publii, non excalceatis,

. ſed

d. *replicamus.* Optimorum codd. lectio. *Complicamus* nonnulli codd., unde Eraſmus fecerat: *compilamus.*

ſponſor praeſentiam amici coram iudice mea fide et periculo meo promittens. Clav. Cic. *aut — commodarem:* nam ſub Tiberio Comitia e Campo in Curiam ſunt translata. Tacit. Annal. I, 15. Plin. Epp. III, 20.

6. *Philoſophiae — libertas*] Egregie idem aſſerit Epictetus in Arrian. Diſſ. II, cap. 1, ubi §. 25 ait: Οἱ φιλόσοφοι λέγουσιν, ὅτι οὐκ ἐπιτρέπομεν ἐλευθέροις εἶναι, εἰ μὴ τοῖς πεπαιδευμένοις. Dicit autem Stoicos. Eodem ſenſu Zenodotus Stoicus in Brunkii Analect. II, 78. Zenonis diſciplinam ματέρα ἐλευθερίας appellat. Nam ſapiens ſolus rex et liber eſt. Cf. Cicero de finib. II, 75. Paradox. V. Epictet. Diſſ. IV, 1. de libertate, ubi vide Vptonum. *circumagitur*, στρέφεται, manumittitur ritu ſolenni coram praetore per vindictam.

7. De *Publio* Syro mimographo Laberii aequali et aemulo cf. not. ad Conſol. ad Marc. IX,

sed cothurnatis dicenda sunt? Vnum eius versum, qui 8
ad philosophiam pertinet, et ad hanc partem quae modo fuit in manibus, referam, quo negat fortuita in nostris habenda:

Alienum est omne, quidquid optando venit.

Hunc versum a te dici non paulo melius, et adstrictius, memini:

Non est tuum, fortuna quod fecit tuum.

Illud etiamnunc melius dictum a te non praeteribo:

Dari bonum quod potuit, auferri potest.

Hoc non imputo in solutum, de tuo tibi.

EPISTOLA IX.

Stilponi Megarensi et Stoicis obiecerat Epicurus, male eos dicere: sapientem se ipso esse contentum, ideoque amico non indigere. An recte haec ab Epicuro reprehensa sint scire desideraverat Lucilius. Respondet noster, hanc reprehensionem non cadere in Stoicos, quippe qui aliam ἀπάθειαν, quam Stilpo cum suis acciperent. Megarici enim omnem mali sensum in sapiente excludunt, Stoici non item. Atque licet utrisque commune sit dogma illud vere magnificum, sapientem sibi ipso esse contentum; amico tamen Stoicus et gaudere potest, et revera gaudet, quamquam et sine amico esse possit. Enimvero quum faciendarum amicitiarum peritissimus sit, numquam amico carebit. Egregie huc facit Hecatonis dictum: Si vis amari, ama, et illud Attali: iucundius esse, amicum facere, quam habere. Quibus allatis docet ideo praesertim a Stoico sapiente desiderari amicum, ut amicitiam exercere possit, non ut ea sibi auxilium comparet, ad modum Epicuri, qui utilitatis caussa amicitias iungendas esse praecepit, temporarias illas quidem, quae Stoico satisfacere non possunt. Alte-

IX, 4. de Tranquill. An. XI, 6. Vixit sub Caesare et denatus est sub Augusto. Vide Fabricii Bibl. lat. Tom. I, p. 477 sq. Ern. *togatas* comoedias, quae argumenta romana tractabant, et admodum ludicra; ***excalceatis*** i. comoedis s. mimis qui soccis in theatro utebantur, quum tragoedi cothurnis incederent. Cf. du Bos reflexions crit. Tom. I. sect. 21.

8. *Hunc versum — de tuo tibi*] In quonam poemate hi versus occurrerint, ignoramus.

Altera ex parte perperam interpretantur sapientem. Non se contentus est ad vivendum, sed ad beate vivendum. Nulla re indiget, sed multis illi rebus opus est, ideoque et amico, ut vivat, non ut beate vivat. Naturali autem irritatione ad amicitiam, ad coniugium etc. fertur: appetit societatem, amorque sui. Si tamen ei idem quod Stilponi acciderit, et ille omnibus amissis, sua se virtute involvet. Neque tamen Epicurum dissimilia his docuisse monet quippe qui dixerat: Si cui sua non videntur amplissima, licet totius mundi dominus sit, tamen miser est.

Huic Apathiae descriptioni, quam apud omnes fere Stoicos iteratam invenimus, utique posteaquam Peripatetici duriorem, quam primi Stoae magistri statuebant, apathiam impugnaverant, multo maior laus tribui debet, quam illi antiquiori: quamquam nec sic omnes, quibus systema laborabat, difficultates effugere poterant Stoici. Cf. Lipsii Manuduct. III, Disc. 10, 9. et Tiedemanni System der stoischen Philosophie III, p. 187 sqq.

An merito reprehendat in quadam epistola Epicurus eos, qui dicunt sapientem seipso esse contentum, et propter hoc amico non indigere, desideras scire. Hoc obiicitur Stilponi ab Epicuro, et his, quibus summum bonum visum est animus impatiens. In ambiguitatem incidendum est, si exprimere ἀπάθειαν uno verbo [a]cito voluerimus, et impatientiam dicere. Poterit enim contrarium ei, quod significare volumus, 2 intelligi. Nos enim eum volumus dicere, qui respuat

a. *cito* omnium codd. et edd. ante Pincian. lectio, quam ille et Dionys. Godofredus Coniectur. et var. lect. (Basil. 1540. 8. per Euseb. Episcopium) p. 18 in *scite* emendavit. Enimvero haec Senecae sententia non fuit; si statim ἀπ. uno verbo exprimere v., ait, posset hoc fieri. At scite id non factum esse, ambiguitas interpretationis satis docet. Scitius factum esset, verbo: imperturbatio, cum Lipsio, delecto. Simili modo Cicero Tusc. Disp. I, c. 7. omne pronuntiatum (sic enim mihi in praesentia occurrit,) ut appellarem ἀξίωμα etc. Restituendum itaque duxi.

1. *Hoc obiicitur Stilponi*] de quo Philosopho Megarensi in Antiquitate celeberrimo, Zenonis magistro, qui floruit circa Ol. CXX. cf. Fabricii Bibl. Graec. III, p. 627 ed. Harl. et de Constantia Sap. C. V, 3 not. *et his* sc. Stoicis. Multa autem dogmata Megaricis et Stoicis fuere communia, inprimis illud de Apathia.

at omnis mali ſenſum: accipietur is, qui nullum poſſit ferre malum. Vide ergo, num ſatius ſit, aut invulnerabilem animum dicere, aut animum extra omnem patientiam poſitum. Hoc inter nos et illos intereſt. Noſter ſapiens vincit quidem incommodum omne, ſed ſentit: illorum, ne ſentit quidem. Illud nobis cum illis commune eſt, ſapientem ſeipſo eſſe contentum: ſed tamen et amicum habere vult, et vicinum, et contubernalem, quamvis ſibi ipſe ſufficiat. Vide quam 3
ſit ſe contentus. aliquando ſui parte contentus eſt, ſi illi manum aut morbus, aut hoſtis incîderit. Si quis oculum [b] caſu excuſſerit, reliquiae illi ſuae ſatisfacient: et erit imminuto corpore et amputato tam latus, quam integro fuit. [c] Sed quae ſibi deſunt, num deſiderat? Non deeſſe mavult. Ita ſapiens ſe contentus eſt, non ut velit eſſe ſine amico, ſed ut poſſit: et hoc quod dico, poſſit, tale eſt. amiſſum aequo animo fert: ſine amico quidem nunquam erit. in ſua poteſtate habet, quam cito reparet. Quomodo ſi perdiderit Phidias 4
ſtatuam, protinus alteram faciet: ſic et hic faciendarum

b. *Caſu* i. fortuito: omnium librorum lectio. *Caſus* praetulit Gruter. e coniectura: nulla cauſſa.

c. *Sed quae ſibi deſunt, num deſiderat? Non deeſſe mavult.* Omnium edd. ante Pincian. qui per transpoſitionem verborum ſcribendum putabat. Quae ſibi deſunt, non deſiderat, ſed non deeſſe mavult. Antiquiorem lectionem, quae bonum ſenſum fundit, praeſtare malui, quam coniecturam. Cf. Gruter.

2. *patientiam*] Vox hoc ſenſu, quo Graeci τῷ πάσχειν, τῷ παθητῷ utuntur, Stoicis propria, ad ſenſum declarandum. cf. Ep. XIII, 6. Abeſt igitur a vulgari ſignificatione quam definit Cicero de Inventione II, 54. Sentit quidem Stoicus ſapiens malum, ſed ita ut nullus inde affectus oriatur, nullum vulnus morbumque accipiat.

4. *Phidias*] celeberrimus ille coaevus Periclis et Socratis, idemque artifex laudatiſſimus, cuius ſtatuae immortales exſtabant, Iupiter Olympiae, Minerva Athenis. Vi-

rum amicitiarum artifex ſubſtituet alium in locum amiſſi. Quaeris quomodo amicum cito facturus ſit? dicam, ſi illud mihi tecum convenerit, ut ſtatim tibi ſolvam quod debeo, et quantum ad hanc epiſtolam, paria faciamus. Hecaton ait: „Ego tibi monſtrabo amatorium, ſine medicamento, ſine herba, ſine ullius veneficae carmine. Si vis amari, ama.“ Habet autem non tantum amicitiae uſus, veteris et certae, magnam voluptatem, ſed etiam initium et comparatio novae. 5 Quod intereſt inter metentem agricolam, et ſerentem: hoc inter eum qui paravit amicum, et qui parat. Attalus philoſophus dicere ſolebat: Iucundius eſſe amicum facere, quam habere; quomodo artifici iucundius eſt pingere, quam pinxiſſe. Illa in opere ſuo occupata ſolicitudo, ingens oblectamentum habet in ipſa occupatione. Non aeque delectatur, qui ab opere perfecto removit manum. iam fructu artis ſuae fruitur: ipſa fruebatur arte, quum pingeret. Fructuoſior eſt 6 adoleſcentia liberorum, ſed infantia dulcior. — Nunc ad propoſitum revertamur. Sapiens etiam ſi contentus

de Plin. XXXIV, 19, (8 ſect. 19). De quo poſt Iunii catalogum conferendi ſunt Heyne Antiquar. Auffaetze I, et Voelkel in deſcriptione Iovis a Phidia confecti. Cf. Epiſt. LXXXV, 34. *dicam — convenerit.* Si hoc mihi ante permiſeris, ut tibi ſolvam debitum, ideoque *paria faciamus*, i. neuter in alterius aere ſit. *Amatorium*, philtrum, quo et pertinent *medicamenta* i. venena, et *herbae* ſucci herbarum, *φάρμακα* et *carmina* incantationes. cf. Tibulli Elegg. II, 4, 55 ſqq. et Ovidii Art. amat. II, 99, 599. ubi ſimile praeceptum occurrit: ut ameris, amabilis eſto. *Hecaton — ama.* Frequens hoc praeceptum veteribus. Nonnulla laudat Wernsdorf ad Poet. Lat. Min. T. IV, p. 258 ad Saleii Baſſi Carm. ad Piſon. 120.

5. *Attalus.*] De eo Seneca pater in ſuaſoria II. haec habet: Stoicus qui ſolum vertit a Seiano, magnae vir eloquentiae: ex philoſophis, quos noſtra aetas vidit, longe et ſubtiliſſimus et facundiſſimus. cf. Ep. CVIII. 3.

tus est se, tamen habere amicum vult: si [d]ob nihil aliud, ut exerceat amicitiam, ne tam magna virtus iaceat: non ob hoc quod Epicurus dicebat in hac ipsa epistola, ut habeat qui sibi aegro assideat, succurrat in vincula coniecto vel inopi: sed ut habeat aliquem, cui ipse aegro assideat, quem ipsum circumventum hostili custodiâ liberet. Qui se spectat, et propter hoc ad amicitiam venit, 7
male cogitat: quemadmodum coepit, sic desinet. Paravit amicum adversus vincula laturum opem: quum primum crepuerit catena, discedet. Hae sunt amicitiae, quas Temporarias populus appellat. Qui causa utilitatis assumtus est, tamdiu placebit, quamdiu utilis fuerit. Hac re florentes amicorum turba circumsedet: circa eversos ingens solitudo est: et inde amici fugiunt, ubi probantur. Hac re ista tot nefaria exempla sunt, alio- 8
rum metu relinquentium, aliorum metu prodentium. Necesse est initia inter se et exitus congruant. Qui amicus esse coepit, quia expedit; placebit ei aliquod pretium contra amicitiam, si ullum in illa placet pretium praeter ipsam. In quid amicum paro? ut habeam pro quo mori possim, ut habeam quem in exsilium sequar, cuius me morti opponam et impendam. Ista quam tu describis, negotiatio est, non amicitia: 9

C 2 quae

d. *ob nihil aliud* et mox *ob hoc* Erasmus a, nisi quod alii *aliud nisi ut* e. alii *si nihil aliud ut* e. omisit τῶ *ab*, et mox alii: *non hoc quod Epicurus*, alii *non ad hoc quod E.* legunt.

6. *Epicurus*] Diogen. Laert. X, 120. ex emendatione Gassendi, qui ibi plura et ea egregia de amicitia ex mente Epicuri congessit: *καὶ τὴν φιλίαν, διὰ τὰς χρείας εἶναι μὲν καὶ παρασκευάζεσθαι, καθὰ καὶ τὴν γῆν σπείρομεν.* Vide et Plutarch. de amore prolis Tom. X, p. 75. ed. Hutt. si tamen locus ille sanus sit. Muretu laudat Horat. I. Serm. I, 80.

8. *Hac re*] i ideo, proinde, propter utilitatem. *eversos*, infelices, ad gestatem redactos Ep. VIII, 4. *probantur* i. examini submittuntur. Laudat haec verba satis apposite Bentleius ad Horat. Carm. I, 35, 22.

quae ad commodum accedit, quae quid consecutura sit, spectat. Non dubie habet aliquid simile amicitiae affectus amantium: possis dicere, illum esse insanam amicitiam: numquid ergo quisquam amat lucri causa? numquid ambitionis aut gloriae? Ipse per se amor, omnium aliarum rerum negligens, animos in cupiditatem formae, non sine spe mutuae caritatis, accendit. 10 Quid ergo? ex honestiori causa coit turpis affectus? Non agitur, inquis, nunc hoc, an amicitia propter se, an propter aliud sit expetenda. nam si propter seipsam expetenda est, potest ad illam accedere, qui seipso contentus est. Quomodo ergo ad illam accedit? quomodo ad rem pulcherrimam: non lucro captus, nec varietate fortunae perterritus. Detrahit amicitiae maiestatem suam, qui illam parat ad bonos casus. 11 Se contentus est sapiens. Hoc, mi Lucili, perperam plerique interpretantur: sapientem undique submovent, et intra cutem suam cogunt. Distinguendum est autem, quid et quatenus vox ista promittat. Se contentus est sapiens, ad beate vivendum, non ad vivendum. Ad hoc enim multis illi rebus opus est; ad illud tantum animo sano, et erecto, et despiciente fortunam. 12 Volo tibi Chrysippi quoque distinctionem indicare. Ait: „sapientem nulla re indigere, et tamen mul-

11. *intra cutem suam,*] i. intra se. Proverbiale et, ut in Horatio (Serm. I, 6, 12.) quoniam in propria non pelle quiesscm. Martial. (Ep. II, 16, 6.) — memento Intra peliculam cerdo manere tuam. Lipsius. Sensus est: illi metiuntur sapientem ex se suisque viribus, ideoque sapiens submovetur, i. is, quem interpretantur, non amplius sapiens haberi meretur.

12. *Volo tibi Chrysippi — eget.*] Muretus hic notat, non idem esse apud Stoicos: egere et indigere, i. δεῖσθαι et ἐνδεῖσθαι. Nam egere eum dicunt, qui ita caret aliqua re, ut angatur animo, et eius desiderium non ferre possit: indigere autem eum modo, qui caret re aliqua, qua uti scit, quaeque utilis esse ei potest. Illud est stulti, ideoque mali, φαύ-

multis illi rebus opus esse: contra, stulto nulla re opus est, nulla enim re scit uti, sed omnibus eget.“ Sapienti et manibus, et oculis, et multis ad quotidianum usum necessariis opus est, sed eget nulla re: egere enim, necessitatis est: nihil autem necesse sapienti est. Ergo, quamvis seipso contentus sit, amicis illi opus est. hos cupit habere quam plurimos, non ut beate vivat: vivet enim etiam sine amicis beate. Summum bonum extrinsecus instrumenta non quaerit, domi colitur: ex se totum est. incipit fortunae esse subiectum, si quam partem sui foris quaerit. Qua- 13
lis tamen futura est vita sapientis, si sine amicis relinquatur in custodiam coniectus, vel in aliqua gente aliena destitutus, vel in navigatione longa retentus, aut in desertum litus eiectus? qualis est Iovis, quum resoluto mundo, et diis in unum confusis, paulisper cessante natura, acquiescit sibi, cogitationibus suis traditus? Tale quiddam sapiens facit. in se reconditur, 14
secum est: quamdiu quidem illi licet suo arbitrio res suas ordinare, se contentus est: et ducit uxorem, se contentus est: et liberos tollit, se contentus est: et

φαύλου, hoc sapientis, σπουδαίου. Noster quidem hoc discrimen h. l. non observavit. Haec attigit Cic. Tusc. Qu. I. multo melius Plutarch. in libro de communibus notionibus adversus Stoicos. Cf. Lipsius in Manud. III, Disc. II, qui hanc Chrysippi distinctionem ex Plutarch. l. l. affert: ὡς οὐ δέονται μὲν, ἐνδέονται δὲ οἱ φαῦλοι (mali non egent, sed indigent). Cic. Tusc. Q. IV, 9. indigentia libido inexplebilis.

13. *qualis est Iovis — traditus?*] Stoicorum dogma est (cf. Lipsii Manud. in Physiol. II. Disc. 22.): omnia conflagratione, ἐκπυρώσει, in se aliquando conversum iri. Ait igitur noster, sapientem ita victurum in solitudine, si res ferat, ut Iovem exiguo illo tempore, quo conversis in se omnibus, ideoque et diis, paullisper a generatione cessat. Heracliti fuit illa opinio, quam Stoici adoptarunt. Ceterum sapientem Iovi assimilasse Stoicos constat.

tamen non vivet, si fuerit sine homine victurus. Ad amicitiam fert illum nulla utilitas sua, sed naturalis irritatio. nam ut aliarum nobis rerum innata dulcedo est, sic amicitiae. Quomodo solitudo in odio est, sic
15in dulcedine appetitio societatis. Quomodo hominem homini natura conciliat, sic inest huic quoque rei stimulus, qui nos amicitiarum appetentes faciat. Nihilominus quum sit amicorum amantissimus, quum illos sibi comparet, saepe praeferat: omne intra se bonum terminabit, et dicet quod Stilpon ille dixit, Stilpon quem Epicuri epistola insequitur. Hic enim capta patria, amissis liberis, amissa uxore, quum ex incendio publico solus, et tamen beatus exiret, interroganti Demetrio, cui cognomen ab exitio urbium Poliorcetes fuit: „Numquid perdidisset?“ „Omnia,“ inquit,
16„bona mea mecum sunt.“ Ecce vir fortis ac strenuus, ipsam hostis sui victoriam vicit! „Nihil,“ inquit, „perdidi!“ dubitare illum coëgit, an vicisset. Omnia mea mecum sunt: Iustitia, virtus, temperantia, prudentia, hoc ipsum, nihil bonum putare quod eripi possit. Miramur animalia quaedam, quae per medios ignes sine noxa corporum transeunt: quanto hic mirabilior vir, qui per ferrum et ruinas et ignes,
17illaesus et indemnis evasit? Vides, quanto facilius sit totam gentem, quam unum virum vincere? Haec vox illi est communis cum Stoico. aeque et hic intacta bona per concrematas urbes fert. Se enim ipso contentus est, hoc felicitatem suam sine designat. Ne exisi-

14. *Ad amicitiam fert — irritatio.*] In his noster nobiliori Stoicorum parti accessit: fuere enim quoque, qui amicitiam propter utilitatem petendam esse censent. cf. Cic. de Fin. III, 21.

15. *Stilpon*] Eadem fere occurrunt in Senecae libro de Constant. Sap. V, 3. De *Demetrio* Poliorceta similia narrat Plutarch. in eius vita T. V. p. 16 sq. 6. 9. Reisk.

exiſtimes nos ſolos generoſa verba iactare: et ipſe Stilponis obiurgator Epicurus, ſimilem illi vocem emiſit, quam tu boni conſule, etiamſi hunc diem iam expunxi. „Si cui," inquit, „ſua non videntur ampliſſi- 18
ma, licet totius mundi dominus ſit, tamen miſer eſt." Vel ſi hoc modo tibi melius enuntiari videtur: id enim agendum, ut non verbis ſerviamus, ſed ſenſibus. Miſer eſt, qui ſe non beatiſſimum iudicat, licet imperet mundo. Vt ſcias autem hos ſenſus communes eſſe, naturâ ſcilicet dictante, apud poëtam comicum invenies:

Non eſt beatus, eſſe ſe qui non putat.

Quid enim refert, qualis ſtatus tuus ſit, ſi tibi vide- 19
tur malus? Quid ergo? inquis, ſi beatum ſe dixerit ille turpiter dives, et ille multorum dominus, ſed plurium ſervus: beatus ſuâ ſententiâ fiet? Non quid dicat, ſed quid ſentiat, refert: nec quid uno die ſentiat, ſed quid aſſidue. Non eſt autem quod verearis, ne ad indignum res tanta perveniat. Niſi ſapienti ſua non placent. omnis ſtultitia laborat faſtidio ſui.

EPISTOLA X.

Solitudinem ut amet, hortatur. Quam etſi hominibus multis et iis imprudentibus utique non ſuadeat, quoniam malo iis et incommodo eſſe potius ſoleant, quam utilitati, Lucilio tamen, quippe cui multum fidat, potiſſimum commendandam eſſe putat. In ſalute et bona mente

17. *expunxi*] q. d. hunc diem, quo tibi ſententiam debebam, eo ex tabula debitorum meorum delevi, quia tibi debitum iam perſolvi. Sunt, qui male de bene exacto die intelligant.

18. *Si cui — miſer eſt.*] Meminit huius ſententiae Epicuri Diogen. Laert. X, 120. ubi vid. Menag. qui Aelian. V. H. IV, 13 laudat. *poetam Comicum*, Publium Syrum. Laudat Gruterus Eraſmi Adag. 4504. Vide Lipſii Manud. II, Diſſ. 17.

comparanda ſit illa occupata. Quare monet, ut nonniſi ea, quae eo ſpectant, Deum roget. Quibus monitis bene annectit Athenodori dictum: Nihil Deum roges, niſi quod rogare poſſis palam.

Sic eſt, non muto ſententiam. fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam unum. Non habeo cum quo te communicatum velim, et vide quo iudicium meum abeat: [a]tibi haereas: audeo te tibi credere. Crates, ut aiunt, huius ipſius Stilponis auditor, cuius mentionem priori epiſtola feci, quum vidiſſet adoleſcentulum ſecreto ambulantem, interrogavit, quid illic ſolus faceret? „Mecum,“ inquit, „loquor.“ cui Crates: „Cave,“ inquit, „rogo, et diligenter attende, ne cum homine malo loquaris!“ Lugentem timentemque cuſtodire ſolemus, ne ſolitudine male utatur: nemo eſt ex imprudentibus, qui relinqui ſibi debeat. Tunc mala conſilia agitant: tunc aut aliis, aut ipſis futura pericula ſtruunt. Tunc cupiditates improbas ordinant: [b]tunc quidquid aut metu aut pudore malus celabat animus, exponit: tunc audaciam acuit, libidinem

a. *tibi haereas.* Gronovii iudicium ſecutus revocavi in textum, e quo exſulaverat. E codice ſuo, in quo erat: *eum habet: mitti haereas: audeo te* etc. hanc lectionem nullo negotio fecit. i. e. ſis tecum, proſequaris te et componas.

b. *tunc quidquid aut metu aut pudore malus celabat animus, exponit:* Omnes libri habent: *exponit*, i. profert in lucem et conſpectum, pro quo Eraſmus ex mera coniectura repoſuerat: *expromit.* Vulgata caruit voce: *malus:* quae Gronovio debetur, qui eam in voce *manus*, quam plures codd. habent, latere recte iudicabat. Sic ap. Horat. I Epiſt. 16, 24. Stultorum incurata pudor malus ulcera celat. Reſtituendam itaque putavi.

1. *Crates*] Thebanus, ſectâ Cynicus, ſatis celeber. Diog. Laert. II, 118. 119. Fabric. Bibl. Graec. Vol. III. p. 514.

2. *imprudentibus*] i. philoſophia non ſtudioſis, φαύλοις. Bene laudat Lipſius Antiſthenem, qui interrogatus: quid ex philoſophia feciſſet lucri? reſpondit: poſſe mecum loqui et verſari (τὸ δύνασθαι ἑαυτῷ ὁμιλεῖν), ap. Diogen. Laert. VI, 6. Contuliſſe non poenitebit Horat. Serm. I, 4, 133 ſqq.

dinem irritat, iracundiam inſtigat. Denique, quod unum ſolitudo habet commodum, nihil ulli committere, non timere indicem, perit ſtulto: ipſe ſe prodit. Vide itaque quid de te ſperem, immo quid ſpondeam 3
mihi; ſpes enim incerti boni nomen eſt. non invenio cum quo te malim eſſe, quam tecum. Repeto memoriâ, quam magno animo quaedam verba proieceris, quanti roboris plena. gratulatus ſum protinus mihi, et dixi: Non a ſummis labris iſta venerunt: habent hae voces fundamentum. iſte homo non eſt unus e populo: ad ſalutem ſpectat. Sic loquere, 4
ſic vive: vide ne te ulla res deprimat. Votorum tuorum veterum licet diis gratiam facias: alia de integro ſuſcipe: roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis. Quidni tu iſta vota ſaepe facias? audacter Deum roga, nil illum de alieno rogaturus. Sed ut more meo cum aliquo munuſculo epiſtolam mittam, verum eſt, quod apud Athenodorum inveni: „Tunc ſcito te eſſe omnibus cupidi- 5
tatibus ſolutum, quum eo perveneris, ut nihil Deum

 roges,

ſqq. Sextii egregium exemplum habes ap. noſtrum III de Ira, 36, 2. cf. Cic. de Offic. III, 1. Fuiſſe hoc inter pythagorica praecepta conſtat vel ex Meiners Geſchichte der Wiſſenſch. I. p. 411 ſqq.

3. *non a ſummis labris;*] proverbialis loquendi ratio de iis qui leviter rem tractant. Inde ἀπὸ δογμάτων et ἀπὸ χειλῶν λαλεῖν ſibi opponuntur. vid. Epictet. Diſſ. III, 16, 7. cf. Ep. XX. Similiter dicebatur proprie de iis, qui in mortis limine conſtituti ſunt: ſenilis anima in primis labiis eſt. Ep. XXX, 13. Gatack. in Miſc. Adverſ. II, 6. p. 302.

4. *gratiam facias*] remittas, non exigas. Epiſt. XX, 7. cf. Aul. Gell. I, 12 not. *bonam mentem* i. ſtoice, rectam ſ. perfectam rationem, mentem bene eruditam, iudicii ſanam. Eadem ferme occurrunt iam apud Platon. Alcib. 11. *Athenodorum.* vide de hoc philoſopho ſtoico, amico M. Catonis Vticenſis, ad c. III, 1. de Tranquill. Anim. p. 339.

5. *Tunc ſcito — palam.*] Sublimis ſententia! cf. Heyne ad Tibull. II, 1, 84. Platon. Eu-

roges, nisi quod rogare possis palam.“ Nunc enim quanta dementia est hominum? turpissima vota diis insusurrant: si quis admoverit aurem, conticescent, et quod scire hominem nolunt, Deo narrant. Vide ergo ne hoc praecipi salubriter possit: Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat; sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.

EPISTOLA XI.

Lucilii amicum, qui se ad sapientiam composuerat, laudans, erubuisse narrat. Qua occasione utitur, de rubore quaedam afferendi. Esse autem, ait, ruborem pudoris signum idque egregium, quod adeo sapientem et constantissimum virum sequatur: comparere tamen interdum quoque in malis, ibique esse mali notam. Clausulam efficit dictum Epicuri: eligas tibi virum bonum, quo velut inspectante vivas. Cf. Ep. XXV.

Locutus est mecum amicus tuus bonae indolis: in quo quantum esset animi, quantum ingenii, quantum iam etiam profectus, sermo primus ostendit. Dedit enim nobis gustum, ad quem respondebit: non enim ex praeparato locutus est, sed subito deprehensus: ubi se collegit, verecundiam, bonum in adolescente signum, vix

Euthyphr. Tom. I. p. 32. Alcibiad. II. Tom. V. p. 95 sqq. Bip. Lipsius laudat nostrum de Benef. VI, 38. II, 1. Horat. I, Epp. 16. Martial. I, 40. Pythagoreorum praescriptum: clara voce precandum esse (μετὰ φωνῆς εὔχεσθαι κελεύουσι), disce ex Clementis Alexandr. Stromat. libr. IV, prope finem. Hoc effatum et Macrobius Saturnal. I, 17 p. 226 Bip. tanquam praeceptum philosophiae secundum affert. In haec eadem fere inciderat Gatack. ad M. Antonin. p. 93, 1, 7. Vptonusque ad Epict. Disc. Arrian. III, 13, 7.

1. *in quo — profectus.*] Bona voluntas moresque egregii, deinde vires hunc animum excolendi, tandem ipse earum laudabilis usus intelliguntur. *gustum — respondebit*, vita sua sequente efficiet, ut bona de eo concepta spes expleatur.

adeo

vix potuit excutere: adeo illi ex alto ſuffuſus eſt rubor. Hic illum, quantum ſuſpicor, etiam quum ſe confirmaverit, et omnibus vitiis exuerit, ſapientem quoque ſequetur. Nullâ enim ſapientiâ naturalia cor- 2
poris aut animi vitia ponuntur: quidquid infixum et ingenitum eſt, lenitur arte, non vincitur. Quibusdam etiam conſtantiſſimis in conſpectu populi ſudor erumpit, non aliter quam fatigatis et aeſtuantibus ſolet: quibusdam tremunt genua dicturis: quorundam dentes colliduntur, lingua titubat, labra concurrunt. Haec nec diſciplina, nec uſus unquam excutit: ſed natura vim ſuam exercet, et illos [a]vitio ſui etiam robuſtiſſimos admonet. Inter haec et ruborem eſſe ſcio, 3
qui graviſſimis quoque viris ſubitus offunditur. Magis quidem in iuvenibus apparet, quibus et plus caloris eſt, et tenera frons: nihilominus veteranos et ſenes tangit. Quidam nunquam magis, quam quum erubuerint, timendi ſunt: quaſi omnem verecundiam effuderint. Sulla tunc erat violentiſſimus, quum faciem eius

a. *vitio.* Sic omnes codd. ap. Gruter., Gronovii, Erfurtenſ. et Amplonianus cum duabus edd. Et recte ſe habet, ideoque reſtitui. Gronovius tamen hac lectione non contentus legendum ſuaſit: *ultro.* Vulgata erat: *vitii* ap. Eraſmum al. Senſus: natura iſto vitio admonet homines vel ſapientiſſimos, ipſos eſſe homines.

adeo illi — rubor. Laudat Lipſius Diogenis Cynici dictum in iuvenem, quem erubeſcere viderat: confide, talis virtutis eſt color, ap. Diog. Laert. VII, 54, ubi vide Menag., qui et poſt Lipſium Menandri comici verſum affert: Ἐρυθριῶν πᾶς χρηστὸς εἶναί μοι δοκεῖ.

2. *Nulla enim — vincitur.*] Vides hic Senecam a rigidis Stoicorum decretis de ſapiente diſſentire: nam ſi Ciceron. de Fin. III, 9. Stob. Ecl. Ethic. p. 180. 183. Cant. et Diog. Laert. VII, 125 comparaveris, eum videbis ne naturali quidem corporis aut animi vitio ſuccumbere.

Quidam numquam — effuderint. Laudat Lipſius Tacitum de Domitiano in Iul. Agricolae vita c. 45. Pliniumque in Pane-

eius ſanguis invaſerat. Nihil erat mollius ore Pompeii, nunquam non coram pluribus erubuit: utique in concionibus. Fabianum, quum in Senatum teſtis eſſet inductus, erubuiſſe memini: et hic mire illum pudor decuit. Non accidit hoc ab infirmitate mentis, ſed a novitate rei: quae inexercitatos etſi non concutit, movet, naturali in hoc facilitate corporis pronos. Nam ut quidam boni ſanguinis ſunt, ita quidam inci-
4 tati et mobilis, et cito in os prodeuntis. Haec, ut dixi, nulla ſapientia abigit: alioquin haberet rerum naturam ſub imperio, ſi omnia eraderet vitia. Quaecunque attribuit conditio naſcendi, et corporis temperatura, quum multum ſe diuque animus compoſuerit, haerebunt. Nihil horum [b]vitari poteſt, non magis
5 quam arceſſi. Artifices ſcenici, qui imitantur affectus, qui metum et trepidationem exprimunt, qui triſtitiam repraeſentant, hoc indicio imitantur verecundiam: deiiciunt vultum, verba ſubmittunt, figunt in terram oculos, et deprimunt, ruborem ſibi exprimere non poſſunt. nec prohibetur hic, nec adducitur. Nihil adverſus haec ſapientia promittit, nihil proficit: ſui iu-
6 ris ſunt, iniuſſa veniunt, iniuſſa diſcedunt. Iam clauſulam

b. *vetari*, prohiberi, arceri. Recte Gronov. vulgatae: *vitari* e Gruter. Modii Opſopoei etc. praetulit. Sic et noſter Amplonian. et Erlangenſis praeſtant.

Panegyric. c. 48 not. addatur Sueton. Domit. c. 18. *Pompeii* de quo hoc idem narrat Plutarch. in Eius Vita Tom. III, c. 2. p. 707 Reisk. Hanc eandem oris mollitiem quoque in Pompeii ſtatua, ſi tamen eſt genuina, quae in Palatio Spada Romae aſſervabatur, conſpici dicunt. vid. Raccolta 127. cf. Raſchii Lexic.

3. *Fabianum*] cf. de eo not. ad Conſol. ad Marc. XXIII, 2. de Brevit. vit. XIV, 4.

5. *Artifices ſcenici*] (οἱ περὶ τὸν Διόνυσον τεχνῖται) comoedi, tragoedi: h. l. mimi, pantomimi. Cic. pro Arch. poet. c. V. cf. Erneſti clav. Cic. ubi recte Weſſeling. ad Diodor. Sicul. IV, c. 5. p. 451 laudatur.

ſulam epiſtola poſcit: accipe, et quidem utilem et ſalutarem, quam te affigere animo volo. „Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, ut ſic tanquam illo ſpectante vivamus, et omnia tanquam illo vidente faciamus.“ Hoc, mi Lucili, Epicurus praecepit: cuſtodem nobis et paedagogum dedit: nec immerito. Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis adſiſtat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius auctoritate etiam ſecretum ſuum ſanctius faciat. O felicem illum, qui non [c]adſpectus tantum, ſed etiam cogitatus emendat! O felicem qui ſic aliquem vereri poteſt, ut ad memo- 7
riam quoque eius ſe componat, atque ordinet! Qui ſic aliquem vereri poteſt, cito erit verendus. Elige itaque Catonem: ſi hic videtur tibi nimis rigidus, elige remiſſioris animi virum Laelium: elige eum, cuius tibi placuit et vita, et oratio; [d]et ipſius animum ante te ferens et vultus, illum ſemper tibi oſtende, vel cuſtodem, vel exemplum. Opus eſt, inquam, aliquo, ad quem mores noſtri ſe ipſi exigant. Niſi ad regulam, prava non corriges.

EPI-

c. *aſpectus.* Sana lectio: ex qua aberrationes librariorum ortas putem *actus* ſ. *praeſens.* Amplonian. et Erlang. praeſtant: *praeſens*, uti Eraſmi vetuſtiſſimus codex. Plurimi: *actus*, quod et Eraſmi editio habet.

d. *et ipſius animum ante te ferens et vultus.* Vulgata lectio ap. Eraſmum, Muret. al., in qua acquieſco. cf. Gruter.

6. *Aliquis — faciamus.*] Egregium non dubie conſilium! Similia iam praeceperat Plato de Legg. lib. IX. init. Tom. IX, p. 4. Bip. Cf. et Epictet. in Enchiridio c. 33 ed. Schweigh. ubi Vpton. p. 159 ſimilia loca veterum notavit, poſt Gatacker. ad M. Antonin. p. 409 ſq., ubi nec noſtri loci immemor fuit.

EPISTOLA XII.

De senectute agit, cuius se admonitum narrat urbanissime, quum ad suburbanum suum veniisset. Eam voluptatis plenam esse, pergit, si illa scias uti, nec molestum esse, mortem ante oculos habere, quum omnibus hominibus certa, et cuique spes data sit vitae longioris. Addit, unumquemque ad mortem quotidie paratum esse debere. Saepe huc redit noster, e. c. Ep. XLIX. al. Quis non Ciceronis egregium librum de Senectute hac occasione recordabitur?

Quocunque me verto, argumenta senectutis meae video. Veneram in suburbanum meum, et quaerebar de impensis aedificii dilabentis: ait villicus, non esse negligentiae suae vitium: omnia se facere, sed villam veterem esse. Haec villa inter manus meas crevit. Quid mihi futurum est, si iam putria sunt aetatis meae saxa? Iratus illi, proximam occasionem stomachandi arripio. Apparet, inquam, has platanos negligi: nullas habent frondes: quam nodosi sunt, et retorri-
2 di rami? quam tristes et squalidi trunci? Hoc non accideret, si quis has circumfoderet, si irrigaret. Iurat per Genium meum, se omnia facere, in nulla re cessa-

1. *Si iam — saxa*] quae ipse substruxi, ponenda curavi. *platanos.* Vmbrae caussa has arbores, ceterum steriles et celibes, (Virg. Ge. II, 70. Horat. II Carm. 15, 4.) una specie excepta, cui vitis iungebatur, (Antipater Sidon. 38 in Anal. Brunk. II. p. 16. ibi Iacobs.) ex Asia primum ad insulas Diomedeas, ex adverso Apuliae sitas, deinde ad Siciliam arcessitas, et inter primas arbores Italiae circa captae urbis aetatem donatas esse, testatur Plin. Nat. Hist. XII, 3 et 4 Bip., qui etiam monet, eas mero infusis radicibus egregie enutriri. In suburbana autem Claudio demum principe ab eius liberto quodam esse translatas docet Plinius l. l. c. 5. unde patet, quod Seneca iuvenis eas posuisse se testatur. *rami retorridi* i. e. sicci, nimio calore extenuati, ideoque *tristes et squalidi trunci* quoniam hispidi, rugosi et asperi erant.

2. *Iurat per Genium meum*] Ab Etruscis, ut videtur, haec opinio per totam Italiam dissipata erat, cuique homini esse numen tutelare, Genium, qui cum

ceſſare curam ſuam: ſed illas vetulas eſſe. [a]Quod inter nos ſit, ego illas poſueram, ego illarum primum videram folium. Converſus ad ianuam: Quis eſt, inquam, iſte decrepitus, et merito ad oſtium admotus? foras enim ſpectat. Vnde iſtunc nactus es? quid te delectavit, alienum mortuum tollere? At ille: Non 3
cognoſcis me? inquit: ego ſum Felicio, cui ſolebas ſigillaria afferre: ego ſum Philoſiti villici filius, deliciolum tuum. Profecto, inquam, iſte delirat. — [b]Pupulus etiam deliciolum meum factus eſt. Prorſus pot-

a. *Quod inter nos ſit.* Eraſmus ſic in ſuis codd. invenit et Modius. Facete dictum eſt, quod cur Gronov. non accipiat, non video. Alii codd. dant: *quid inter nos ſit*, unde Pincianus fecit: *quid interim nobis fit?* alii: *quidem intra nos ſit*, unde Gronov. fecerat: *quidni veteres ſint?*

b. *Pupulus.* Reſtituit Lipſius Electorum I, 6. p. 369. e codd., *populus* praeſtantibus, Mureto, Grutero, Gothofredo al. probantibus. Eraſmus: *vetulus.* *Profecto* tamen defendam contra emendationem nonnullorum: *perfecte.*

cum eo naſci et mori a multis credebatur: diverſa ab ea, quam Graeci δαίμονι tribuebant, ſignificatione. Apud Romanos haec religio privata, unde, quum et locorum et urbium, quin adeo deorum genii reperti eſſent, publica quoque exorta eſt, magni habebatur. Genius feminarum autem Iuno vocabatur, cum deo natali interdum confuſus, et adoratione ideoque libatione dignus habitus. Tibull. II, 2. Horat. Epiſt. II, 2, 187. Plin. N. Hiſt. II, 7. Arrian. I, 14. Senec. Epiſt. CX, 1. ſingulis enim et Genium et Iunonem dederunt (maiores noſtri). Iuramenti per Genium exempla non rara ſunt: cf. v. c. Suet. Calig. 27. Epictet. Diſſ. Arrian. IV, 1, 14. p. 809. not. *foras enim ſpectat* cadaverum more, quae ad oſtium deponi ſolebant, pedibus et facie foras verſis. Ritum hunc explicat Serv. ad Virgil. Aen. XII, 345. Cf. Lipſii Electa I, 6.

3. *ſigillaria*] munuſcula, e. c. placentae multiformes, e melle etc. confectae, imaguncula aereae a ſigillariis fuſae (Reineſ. ad Inſcript. Cl. XI. 89. p. 644), quae Saturnalium die ultimo domini ſervis ſuis mittere ſolebant. Erat autem iſte Felicio unus e vernis, qui ob vernilitatem, iocos procaces, amabantur, unde ap. Horat. III Carm. 23, 7 dulces alumni vocantur. *Pupulus.* Profecto, quum illo parvulus eſſet

poteſt fieri: dentes illi quum maxime cadunt. Debeo hoc ſuburbano meo, quod mihi ſenectus mea, quocunque adverteram, apparuit. Complectamur illam, et amemus: plena eſt voluptatis, ſi illâ ſcias uti. 4 Gratiſſima ſunt poma, quum fugiunt: pueritiae maximus in exitu decor eſt: deditos vino potatio extrema delectat, illa quae mergit, quae ebrietati ſummam manum imponit. Quod in ſe iucundiſſimum omnis voluptas habet, in finem ſui differt. Iucundiſſima eſt aetas devexa iam, non tamen praeceps: et illam quoque in extrema regula ſtantem, iudico habere ſuas voluptates: aut hoc ipſum ſuccedit in locum 5 voluptatum, nullis egere. Quam dulce eſt, cupiditates [c] fatigaſſe ac reliquiſſe? „Moleſtum eſt," inquis, „mor-

c. *fatigaſſe* cum Eraſmi, Lipſii et Gruteri codd. praefero *τῷ fugaſſe*. Mox *improbe* i. immodice, impudenter, dedit Muretus e pluribus codd. ap. Pincian. Eraſmus tamen aliique conſervant negationem *non* ante *improbe* ſupervacaneam.

eſſet verna, iſte etiam deliciolum meum factum eſt: hoc concedo: nunc vero ſenex eſt, nam dentes ei quummaxime cadunt.

4. Haec docendi et probandi per exempla ratio noſtro perquam familiaris eſt et populari ſcribendi generi ſatis idonea: quamquam in poeta, e. c. Ovidio, magis exſpectatur. Nec dubito, quin ex eo, quem diligenter legiſſe videtur, mutuatus eam ſit. *fugiunt* iam cedentia aetati et abeuntia ut vinum fugiens. L. Mox *in extrema regula ſtantem* de fine vitae explicandum eſt: metaphora ducta a ludis circenſibus, quorum ſunt carceres i. locus in Circo, unde curſus initium fiebat, et *regula* i. catenula ſ. repagulum, *ὕσπληγξ*, in cuius demiſſione effundebantur in curſum currus. Hoc ſenſu adhibetur vox *regula* a Statio Theb. VI, 593. et Graecis ſatis ſolenne eſt de aurigis, *ἐστᾶσιν ἐφ' ὕσπληγγος*, excurſuris. Haud dubie autem obverſabatur noſtro decretum ſtoicum illud, animum, hîc in corpus, tamquam in vincula, coniectum, morte in libertatem vindicari. *Regula* itaque illa *extrema* hactenus cum Horatiano illo (I Epp. 16, 79.) Mors ultima linea rerum eſt, contendi poteſt. Graecis non infrequens locutio ſimilis: *ἐπὶ ἐσχάτης τοῦ βίου γραμμῆς*, Diod. Sicul. XVIII. p. 625. Rhodemann. ed.

„mortem ante oculos habere.“ — Primum, iſta tam iuveni ante oculos debet eſſe, quam ſeni: non enim citamur ex cenſu: deinde nemo tam ſenex eſt, ut improbe unum diem ſperet. Vnus autem dies gradus eſt vitae. tota aetas partibus conſtat, et orbes habet circumductos maiores minoribus. Eſt aliquis, qui 6
omnes complectatur et cingat: hic pertinet a natali ad diem extremum. eſt alter, qui annos adoleſcentiae excludit. eſt qui totam pueritiam ambitu ſuo adſtringit. eſt deinde ipſe annus, in ſe omnia continens tempora, quorum multiplicatione vita componitur. Menſis arctiore praecingitur [d]circulo: anguſtiſſimum habet dies gyrum: ſed et hic ab initio ad exitum venit, ab ortu ad occaſum. Ideo Heraclitus, cui cognomen Scotinon fecit orationis obſcuritas: „Vnus,“ inquit, „dies par omni eſt.“ Hoc alius aliter acce- 7
pit: dixit enim parem eſſe horis. nec mentitur. Nam ſi dies tempus eſt viginti quatuor horarum, neceſſe eſt omnes inter ſe dies pares eſſe: quia nox habet quod dies perdidit. Alius ait, parem eſſe unum diem omnibus ſimilitudine: nihil enim habet longiſſimi temporis ſpatium, quod non in uno die invenias, lucem et noctem, [e]et in alternas mundi vices plura facit iſta, non

d. *circulo* e quinque codd. revocandum cenſuit Gruterus, recte. antea: *cingulo*.

e. *et in alternas mundi vices plura facit iſta, non alia, alias contractior, alias productior.* Sic ſcripti omnes; quae Gronov. reſtituit. Senſum explicat Gronov. ſic: nempe dies ille 24 horarum *plura facit iſta*, non aliud, plus lucis modo facit, modo plus noctis, *non alia*, non aliud quam lucem et noctem, *alias contractior alias productior*, ſcilicet alterutra harum, luce vel

5. *non enim citamur ex cenſu*] ex tabulis cenſualibus, in quibus iuniores ſenioresque notati, et cuiusque adeo aevum. Talis autem citatio in militia et dilectu obtinebat: at non, inquit, in morte. Lipſius.

6. *Heraclitus*] cf. ad II de Ira 10, 2. Ariſtotel. Rhetor.

non alia, alias contractior, alias productior. Itaque sic ordinandus est dies omnis, tanquam cogat agmen, 3 et consummet atque expleat vitam. Pacuvius, qui Syriam usu suam fecit, quum vino et illis funereis epulis sibi parentaverat, sic in cubiculum ferebatur a coena, ut inter plausus exoletorum hoc ad symphoniam caneretur: [f] βεβίωται, βεβίωται. nullo non se die extulit. Hoc quod ille ex mala conscientia faciebat, nos ex bona faciamus, et in somnum ituri, laeti hilaresque dicamus,

Vixi. et, quem dederat cursum fortuna, peregi.

Cra-

nocte, idque *in vices mundi alternas*, ut ita alternae sint mundi lucem et noctem mortalibus praebentis vices. Erasmus habet: *et alternas mundi vices. Planeta* (Muretus: *Planiora) facit ista, non alias contractior, alias productior dies.* Muretus: *f. ista nox*, omisso: *dies.*

f. βεβίωται, βεβίωται i. acta vita est. Omnium fere codd. scriptura, probata Turnebo (Adversar. XII, 2.) et Grutero. Erasmi et insequentium edd. habent βεβίωκε, βεβίωκε, vixit. Illud erat usitatius paullo. Cic. ad Attic. XII, 2. XIV, 21.

III, 5, 6. ubi Buhle loca veterum appposuit.

8. *Pacuvii* legati Tacitus Annal. II, 79. mentionem facit ad ann. V. C. 772. post Christ. nat. 19. Fuerat autem a partibus Pisonis contra Germanicum et post eius mortem, etiam contra Sentium, praevenitque Domitio Laodiceam Syriae urbem petenti. Iam vero is per aliquot annos propraetor Syriae, s. legatus Caesaris fuisse videtur: etenim inde ab anno 775 sequutus est Propraetor Syriae Flaccus Pomponius Suet. Tib. XLII, cui a. V. C. 786 mortuo (Tacit. Annal. VI, 27.), successit L. Vitellius (Tacit. Annal. VI, 27. 32.). Nisi pravus homo fuisset, cum Pisone non conspiravisset contra Germanicum. *usu fecit* i. usucepit, ap. Liv. XXII, 40 ubi vid. I. F. Gronov. *ubi parentaverat.* Lipsius laudat Epist. CXXII, 3. non convivantur, sed iusta sibi faciunt: et de Vit. beat. II, 3. Non sine allusione ad convivia in columbariis s. hypogaeis celebrari solita eaque satis opipara, de quibus occasione operum artis in iis repertorum Bartolus (gli antichi sepolchri Rom. 1697 fol.) aliique docte egerunt. *Virgilii* versus occurrit in Aeneid. IV, 654.

Craſtinum ſi adiecerit Deus, laeti recipiamus. Ille 9
beatiſſimus eſt et ſecurus ſui poſſeſſor, qui craſtinum
ſine ſolicitudine exſpectat. Quisquis dixit: „Vixi,“
quotidie ad lucrum ſurgit. Sed iam debeo epiſtolam
8 includere. „Sic,“ inquis, „ſine ullo ad me pecu-
lio veniet?“ Noli timere: aliquid ſecum feret. qua-
re aliquid dixi? multum. Quid enim hac voce prae-
clarius, quam illi trado ad te perferendam? „Malum 10
eſt in neceſſitate vivere; ſed in neceſſitate vivere, ne-
ceſſitas nulla eſt.“ Quidni nulla ſit? patent undique
ad libertatem viae multae, breves, faciles. Agamus
Deo gratias, quod nemo in vita teneri poteſt. calca-
re ipſas neceſſitates licet. Epicurus, inquis, dixit:
quid tibi cum alieno? Quod verum eſt, meum eſt.
perſeverabo Epicurum tibi ingerere: ut iſti quum in
verba iurant, nec quid dicatur aeſtimant, ſed a quo,
ſciant, quae optima ſunt, eſſe communia.

EPISTOLA XIII.

Quamquam iam inde ab adoleſcentia Lucilius ſe firmum geſſerat contra fortunae iniurias priusquam philoſophiae ſe dediſſet, tamen auxilia, quibus ad maiorem firmitatem elevari ideoque ſe munire contra mala

 poſſit,

8. *includere.* Omnes Gruteri, Gronov. et Erfurt. Compoſitum pro ſimplici ſaepe ſcriptores aevi Auguſtei et ſequentis uſurpant: nec noſtro inſolitum, v. c. de Ira III, 19, 2. fin. Horat. IV Carm. 13, 15. 16.

9. *vixi*] Diogenes Sinopenſis, qui ad hoc dictum vitam diſpoſuit, ἡμεροβίος inde dicebatur (in diem vivens). Cf. M. Antonin. IV, 35 ibique Gatacker p. 161 ſq.

10. In iis quae nobis ab aliis conſervata ſunt de Epicuri decretis, haec verba non reperiuntur, quamquam eius ſententiis non adverſantur. Quum enim animi immortalitatem reiecisſet, nulla fere ratio erat, qua ab hac, quam Seneca profert, ſententia revocari poſſet. Stoicorum quoque decretum eodem redire, conſtat. Cf. Tiedemann Syſtem der ſtoiſchen Philoſophie III, p. 309.

poſſit, cum eo communicanda cenſet Seneca. Iam quum opinioni maior metus terrorque, quam ipſis rebus ineſſe ſoleant, conſtantiam ei commendat et vacuitatem ab omnibus praeiudiciorum opinionumve commentis. Quam ſi tueatur, vera rerum natura animo concepta una cum iudicio integro, ideoque ſpe metuque recte examinatis, contra mala tum praeſentia, tum futura ſecurus et munitus ſit. Nec ipſum malum, ſi tamen veniat, ſemper contra nos, ſed quoque pro nobis venire debet, atque adeo vitam noſtram honeſtare, ſicut Socratis Catonisque exempla docent. Concluſionem facit praeclara Epicuri ſententia: Stulti eſt, quotidie novam vitam incipere.

Pro brevitate et conſilio epiſtolae non male res ceſſiſſe noſtro videri debet. Nam non omnia remedia et praeſidia, quae alias Stoici contra mala afferre ſolebant (et quae prudenter collecta vides a Tiedemanno l. l. III, p. 205 ſqq.) velut pulviſculo converrere voluit nec debuit in hoc leviori ſcribendi genere. Stoiciſmo tamen in omnibus quae protulit, ſe geſſiſſe patebit de Tranq. An. XIII. et de Benef. IV, 34 etc. comparanti. De Lucilii fatis cf. Praef.

Multum tibi eſſe animi ſcio. nam etiam antequam [a] inſtrueres te praeceptis ſalutaribus, et dura vincentibus, ſatis adverſus fortunam placebas tibi: et multo magis, poſtquam cum illa conſeruiſti manum, viresque expertus es tuas. quae nunquam certam dare fiduciam ſui poſſunt, niſi quum multae difficultates hinc et illinc apparuerint, aliquando vero et propius acceſſerint. Sic verus ille animus, et in alienum non venturus arbitrium, probatur: [b] haec eius obruſſa eſt. Non

a. *inſtrueres* praeferunt plerique ms. Gruteri et Modii. i. antequam Philoſophiae te dediſti. Confirmat Nat. Quaeſt. IV. praefat. med. liberalibus me ſtudiis tradidi, quamquam paupertas alia ſuaderet etc.; qui locus hic conferri meretur. Antea: *inſtruerem.*

b. *haec eius obruſſa eſt.* Sic ex vetuſto cod. Eraſmi. Plures codd. Gruteri: *haec enim res eius probatio eſt*, partim *hic eius probatio obſcura eſt*, vel *obtruſa eſt:* lectiones quae ignorantiae vel oſcitantiae librariorum debentur.

1. *Satis adverſus — placebis tibi*] i. te pro ſatis valido contra f. habebas. Tacit. Hiſt. IV, 23. vis et arma ſatis placebant i. validiora eſſe videbantur, quam ut munimentis ſe cingerent. *verus animus* i. recta tua et virtuti conveniens animi

Non poteſt athleta magnos ſpiritus ad certamen afferre, 2
qui nunquam ſuggillatus eſt. Ille qui [c]vidit ſanguinem ſuum, cuius dentes crepuerunt ſub pugno, ille qui ſupplantatus adverſarium toto tulit corpore, nec proiecit animum proiectus, qui quoties cecidit, contumacior reſurrexit, cum magna ſpe deſcendit ad pugnam. Ergo, ut ſimilitudinem iſtam proſequar, ſae- 3
pe iam fortuna ſupra te fuit: nec tamen tradidiſti te, ſed ſubſiliiſti, et acrior [d]conſtitiſti; multum enim adiicit ſibi virtus laceſſita. Tamen ſi tibi videtur, accipe a me auxilia, quibus munire te poſſis. Plura ſunt, Lucili, quae nos terrent, quam quae premunt: et ſaepius opinione, quam re laboramus. Non loquor tecum Stoicâ linguâ, ſed hac ſubmiſſiore. Nos

 enim

c. *vidit* e priſcis libris praeferunt vulgatae: *fudit* Lipſius, Gruterus, Modius. Prior confert de Provident. c. 4, 7. audaciter veteranus cruorem ſuum ſpectat, qui ſcit ſe ſaepe viciſſe poſt ſanguinem: adde ibid. §. 4.

d. *conſtitiſti*. Recte e pluribus libris et vetere editione *reſtituit* Gron., qui egregie confert Ep. XXIX, 7. attolle animum, adverſus formidata conſiſte. de Ira II, 7, 3, ubi eſt vox forenſis quoque litigii, derivata inde, quod in athletis et pugnantibus etiam ſtatus obſervabatur, unde in ſtatu ſtare, ſimiſſia. Cornel. Nep. Chabria c. 1 fin. Antea: *reſtitiſti*, ſenſu parum diverſo.

mi indoles roburque naturale experientia tantum cernitur, praeter quam nulla alia eius *obruſſa* probatio eſt (Cic. Clav. Ern.).

2. *ſuggillatus*] livida verberum veſtigia, ὑπώπια, ſugillationes, (ſubciliationes, a cilio i. parte ſub oculis. Feſtus.) quas pugiles ceſtibus pugnisve ſibi invicem infligere ſolebant. Hinc pugiles ceſtibus contuſi (ap. Cic. Tuſc. Q. II, 10.) et inprimis auribus fractis, ὠτοθλαδίαι, ὠτοκατάξεις, οἱ τὰ ὦτα κατεαγότες. Cf. Menag. ad Diog. Laert. V, 67. Winckelmann Monim. inedit. p. 76. De lucta et pugillatu, ex quibus pancratium conſtabat, vid. Ariſtot. Rhet. I, 5 fin. T. IV. Bip. Pauſan. VIII, 40 init. Fac. et ibi laudatus Philoſtrat. Icon. II, 6. Adverſarium itaque pugno male mulctare, eum pede ex loco dimoto proſternere ſ. *ſupplantare*, σφάλλειν, et deinde collum premere et ſuffocare propria pugnae erant.

enim dicimus, omnia ista quae gemitus mugitusque
4 exprimunt, levia esse, et contemnenda. Omittamus haec magna verba, sed, dii boni, vera! illud tibi praecipio: ne sis miser ante tempus, quum illa, quae velut imminentia expavisti, fortasse nunquam ventura sint, certe nondum venerint. Quaedam ergo nos magis torquent, quam debeant: quaedam ante torquent, quam debeant: quaedam torquent, quum omnino non debeant. Aut augemus dolorem, aut fingi-
5 mus, aut praecipimus. Primum illud, quia res in controversia est, et litem contestatam habemus, in praesentia differatur. Quod ego leve dixero, tu gravissimum esse contendes; scio alios inter flagella ridere, alios gemere sub colapho. Postea videbimus, utrum ista suis viribus valeant, an imbecillitate nostra: illud praesta mihi, ut quoties circumsteterint, qui tibi te miserum esse persuadeant, non quid audias, sed
6 quid sentias, cogites: et cum patientia tua deliberes, ac te ipse interroges, qui tua optime nosti: Quid est quare isti me complorent? quid est quod trepident, quod contagium quoque mei timeant, quasi transilire cala-

4. Nisi Lucilium stoicae philosophiae rudem fuisse statuamus, nulla subest causa, cur stoice praecepta sua efferre noluerit. Ceterum non irridet Stoae, opinor, sed laudat eam: nam *dii boni!* i. profecto non semper irrisionis causa adhibetur. Cf. De Constant. Sap. c. III. *Quaedam — praecipimus:* conclusiones illae tres dupliciter enunciatae: augemus mala magis nos torquentia quam debeant. *praecipimus* i. occupamus antequam torqueant, *fingimus* quae omnino non debeant torquere.

5. *Primum — differatur*] sc. nos augere dolorem. Stoicis autem est indifferens, quod Epicureis iuxta ac Peripateticis al. malum est. Ideoque res adhuc in controversia posita erat. *litis contestatio* fiebat a re, de qua disceptabatur, exponenda Praetori, qui deinde utraque parte consentiente, iudicem s. iudicium, s. actionem dabat. Vid. Ernesti Clav. Cic. *Postea videbimus, utrum ista*, quae nos magis torquent, quam debeant etc. *illud praesta*, promittas.

6. *patientia*] sensu eiusque iudicio. cf. Ep. IX, 2. not.

calamitas possit? Est aliquid istic mali? an res ista magis infamis est quam mala? Ipse te interroga: Numquid sine causa crucior, et moereo, et quod non est malum facio? „Quomodo," inquis, „intelligam, vana sint, an vera, quibus angor?" Accipe huius rei 7
regulam! Aut praesentibus torquemur, aut futuris, aut utrisque. De praesentibus, facile est iudicium. si corpus tuum liberum est; sanum est, nec ullus ex iniuria dolor est. videbimus quid futurum sit. hodie nihil negotii habet. At enim futurum est. Primum dispice, an certa argumenta sint venturi mali. plerumque enim suspicionibus laboramus, et illudit nobis illa, quae conficere bellum solet, fama: multo autem magis singulos conficit. Ita est, mi Lucili. cito ac- 8
cedimus opinioni, non coarguimus illa, quae nos in metum adducunt: nec excutimus, sed trepidamus: et sic vertimus terga, quemadmodum illi, quos pulvis motus fugâ pecorum, exuit castris, aut quos aliqua fabula sine auctore sparsa conterruit. Nescio quomodo magis vana perturbant. vera enim modum suum habent: quidquid ex incerto venit, coniecturae et licentiae paventis animi traditur. Nulli itaque tam per- 9
niciosi, tam irrevocabiles, quam lymphatici metus sunt. ceteri enim sine ratione, hi sine mente sunt.

7. *plerumque enim — conficere bellum* etc.] Ad Livii verba dicas adspectum XXVII, 47. Fama bellum conficit et parva momenta in spem metumve animos impellunt. Cf. Curt. III, 8, 7 intpp.

8. Multa exempla terroris panici, quem mox *lymphaticum* vocat, in historia occurrunt: quae hic notare nihil attinet. De re cf. Stob. Serm. VIII, p. 210 sq. Schow. Gataker ad Antonin. IV, 3. p. 128, 2 sq.

9. Nisi memineris, de iis malis, quae devitari nequeunt, h. l. sermonem esse, nostrum parum accurate in rem inquisivisse dixeris. *lymphatici* i. vani. cf. Ep. LXXXV, 23. Laudat Bentl. ad Horat. I Carm. 37, 14. nostrum locum, quasi legisset lymphati, nulla tamen huius

Inquiramus itaque in rem diligenter. Veriſimile eſt, aliquid futurum mali? non ſtatim verum eſt. Quam multa non exſpectata venerunt, quam multa exſpectata nunquam comparuerunt? Etiam ſi futurum eſt, quid iuvat dolori ſuo occurrere? ſatis cito dolebis, quum venerit: interim tibi meliora promitte. Quid facies
10lucri? tempus. Multa intervenient, quibus vicinum periculum, vel prope admotum aut ſubſiſtat, aut deſinat, aut in alienum caput transeat. Incendium ad fugam patuit: quosdam molliter ruina depoſuit: aliquando gladius ab ipſa cervice revocatus eſt: aliquis carnifici ſuo ſuperſtes fuit. Habet etiam mala fortuna levitatem. fortaſſe erit, fortaſſe non erit: interim
11dum non eſt, meliora propone. Nonnunquam nullis apparentibus ſignis, quae mali aliquid pronuntient, animus ſibi falſas imagines fingit, aut verbum aliquod dubiae ſignificationis detorquet in peius, aut maiorem ſibi offenſam proponit alicuius, quam eſt, et cogitat, non quantum iratus ille ſit, ſed quantum liceat irato. Nulla autem cauſa vitae eſt, nullus miſeriarum modus, ſi timetur quantum poteſt. Hic prudentia proſit, hic robore animi evidentem quoque metum reſpue: ſi mi-
12nus, vitio vitium repelle, ſpe metum tempera. Nihil

huius varietatis mentione adiecta. *Etiam ſi futurum — promitti.* Contrarium praecepit Anaxagoras apud Euripidem in Tragoed. deperdita, Theſeo: cf. Fragmm. Eurip. p. 478. ed. Lipſ., quem locum Cicero Tuſc. Disp. III, 14 interpretatus eſt. Futuras mecum commentabar miſerias — Vt, ſi qua invecta diritas caſu foret, Ne me imparatum cura laceraret repens.

10. *Incendium*] i. loca, quae igne correpta ſunt, patent fugae.

11. *vitio vitium repelle:*] nam ſpes et metus ſunt affectus, ideoque vitia, ſenſu ſtoico. Laudat Lipſius Epiſt. CIV. et Plutarch. Quaeſt. conviv. IV, Quaeſt. 4. 3. p. 185, Tom. XI. Hutten. ubi elpiſticorum philoſophorum fit mentio, qui vitam potiſſimum ſpe contineri affirmabant. Brucker. Hiſtor.

hil tam certum eſt ex his quae timentur, ut non certius ſit, et formidata ſubſidere, et ſperata decipere. Ergo et ſpem ac metum examina: et quoties incerta erunt omnia, tibi fave; crede quod mavis. ſi plures habebis ſententias metus; nihilominus in hanc partem potius inclina, et perturbare te deſine. Ac ſubinde hoc in animo volve, maiorem partem mortalium, quum illi nec ſit quidquam mali, nec pro certo futurum ſit, aeſtuare ac discurrere. Nemo enim reſiſtit 13
ſibi, quum coeperit impelli, nec timorem ſuum redigit ad verum. Nemo dicit: vanus auctor eſt; aut finxit, aut credidit. Damus nos referentibus, expaveſcimus dubia pro certis, non ſervamus modum rerum, ſtatim in timorem venit ſcrupulus. Pudet me ſic tecum loqui, et tam levibus remediis te focillare. Alius dicat, Fortaſſe hoc non veniet: tu dic, Quid 14
porro ſi veniet? videbimus utrum veniet: fortaſſe pro me veniet, et mors iſta vitam honeſtabit. Cicuta magnum Socratem [e]confecit: Catoni gladium aſſertorem libertatis extorque, magnam partem detraxeris gloriae. Nimium diu te cohortor, quum tibi admonitione magis, quam exhortatione opus ſit. Non in diverſum te a natura tua ducimus: natus es ad iſta quae dici-

 mus.

e. *confecit* omnes fere libri et edd. praeferunt vulgatae: *fecit*, quam Muretus nixus Pinciani iudicio introduxit. Mox Gronov. e nonnullis codd. qui habent: *libertatis victor abstuleris, magnam*, emendat: *Catoni gladium adſertorem libertatis victor abſtulerit, magnam partem detraxerit gloriae*: intellecta ad prius membrum particula conditionali *ſi*: ſaepius a Seneca al. ſuppreſſa: cf. ad III de Benef. 31. *Victor* ſc. Caeſar. Haud dubie perquam egregia emendatio, etiamſi in textum, vulgata temere repudiata, reducere non auſim.

Hiſtor. crit. Phil. T. III, p. 244 Stoicos eſſe putat.

13. *Nemo enim — redigit ad verum.*] Sic conſtanter loquitur Seneca, numquam: redigere in. Quod Bentleius ad Horat. I Carm. 37, 14 eleganter animadvertit, laudato I. F. Gronovio ad Liv. XLI, 23.

15mus. Eo magis bonum tuum auge, et exorna. Sed iam finem epistolae faciam, si illi signum suum impressero: id est, aliquam magnificam vocem perferendam ad te mandavero. „Inter cetera mala, hoc quoque habet stultitia proprium, semper incipit vivere.“ Considera quid vox ista significet, Lucili virorum optime: et intelliges quam foeda sit hominum levitas, quotidie nova vitae fundamenta ponentium, novas spes
16etiam in exitu inchoantium. Circumspice tecum singulos. occurrent tibi senes, qui se quum maxime ad ambitionem, ad peregrinationes, ad negotiandum parent. Quid est autem turpius, quam senex vivere incipiens? Non adiicerem auctorem huic voci, nisi esset secretior, nec inter vulgata Epicuri dicta, quae mihi et laudare, et adoptare permisi.

EPISTOLA XIV.

Etiamsi vitae cura agenda sit diligentissime, tamen ei non serviendum, ideoque non propter corpus vivendum, sed ita eo utendum est, ut, si opus sit, ab eo facile discedamus. Enimvero eius cura postulat, ut tum incommoda et pericula, tum inopiam, morbos, inprimis vero ea mala devitemus, quae per vim potentioris eveniunt, quippe quae maiori varietate et apparatu terribiliori nos concutiunt. Qua re offensis potentiorum inprimis vulgi abstinendum est, sed ita, ut et specie nocituram potentiam vitandi careas. Fieri hoc ita optime docet philosophia, ut vitentur odium, invidia, contemtus. Itaque tranquille modesteque vita agenda est, et bene videndum, an cum successu operam tuam rebus interposueris: ipsa M. Cato melius forsan republica abstinuisset, ut quae iamdudum pessundata erat. Quod consilium si sequutus fueris, plerumque te felicem praestabit, nisi si quando fortuna vitae tuae quaedam adversa admiscuerit. Epicurea sententia concludit epistolam: Is maxime divitiis fruitur, qui minime divitiis indiget.

Stoica

15. *Inter cetera mala — vivere.*] Cf. Epist. XXIII, 7. Cl, 4. Horat. I Carm. 4, 15. *Inter vulgata Epicuri dicta*, i. inter sententias eius ratas, quas tantopere laudat Lucianus Tom. V. p. 106. et Diogenes Laertius.

Stoica philoſophia has egregias ſententias noſtro ſuppeditavit, quippe quae docet, corpore utendum eſſe inſtrumenti loco (cf. Simplicius ad Epicteti Manuale init. Antonin. IX, 3). Haec vero epiſtola huius ſententiae praecipua ſ. claſſica ſedes eſt. Nec omnino a republica capeſſenda recedet ſapiens, ſed πολιτεύεσθαι φασὶ τὸν σοφὸν, ἂν μή τι κωλύῃ ſecundum Chryſippum Diogenis Laert. VII, 121. Cic. de Fin. III, 20. cf. Senec. de Otio Sapientis.

Fateor inſitam eſſe nobis corporis noſtri caritatem: fateor nos huius gerere tutelam: non nego indulgendum illi, ſerviendum nego. Multis enim ſerviet, qui corpori ſervit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert. Sic gerere nos debemus, non tanquam propter corpus vivere debeamus, ſed tanquam non poſſimus ſine corpore. Huius nos nimius amor timoribus inquietat, ſolicitudinibus onerat, contumeliis obiicit. Honeſtum ei vile eſt, cui corpus nimis 2
carum eſt. Agatur eius diligentiſſime cura: ita tamen, ut quum exiget ratio, quum dignitas, quum fides, mittendum in ignem ſit. Nihilominus, quantum poſſumus, evitemus incommoda quoque, non tantum pericula: et in tutum nos reducamus, excogitantes ſubinde, quibus poſſint timenda depelli. quorum tria, ni fallor, genera ſunt. Timetur inopia, 3
timentur morbi, timentur quae per vim potentioris eveniunt. Ex his omnibus nihil magis nos concutit, quam quod ex aliena potentia impendet. Magno enim ſtre-

1. Eſt ſtoicum dogma: nobis inſitus eſt noſtri amor, amate ipſum ut prima naturae conſequaris, et quae iis oppoſita ſunt, evites: quae quum ſine corporis conſervatione fieri non poſſunt, primum et neceſſarium eſt officium, naturam adiuvandi eamque conditionem ſequendi, quae naturae vel maxime conſentanea eſt; unde tamen quoque ſequitur, corpus eſſe adhibendum ut inſtrumentum neceſſarium. Cf. Cic. de Fin. III, 6. Epictetus eandem ſententiam de cura corpori adhibenda bene tuitus eſt Diſſert. Arrian. II, 4, 17 Schweigh.

ſtrepitu et tumultu venit. Naturalia mala quae retuli, inopiae atque morbi, ſilentio ſubeunt, nec oculis, nec auribus quidquam terroris incutiunt: ingens alterius mali pompa eſt; ferrum circa ſe et ignes habet, et catenas, et turbam ferarum, quam in viſcera
4 immittat humana. Cogita hoc loco carcerem, et cruces, et equuleos, et uncum; et adactum, per medium hominem, qui per os emergat, ſtipitem; et distracta in diverſum actis [a]curribus membra; illam tunicam, alimentis ignium et illitam et intextam; quidquid aliud, praeter haec, commenta ſaevitia eſt. Non eſt itaque mirum, ſi maximus huius rei timor eſt, cuius et varietas magna, et apparatus terribilis eſt.
5 Nam quemadmodum plus [b]agit tortor, quo plura inſtrumenta doloris expoſuit (ſpecie enim vincuntur, qui [c]patientiae reſtitiſſent:) ita ex his, qui animos noſtros ſubigunt et domant, plus proficiunt quae habent quod oſtendant. illae peſtes non minus graves ſunt, famem dico et ſitim, et praecordiorum ſuppurationes, et febrem viſcera ipſa torrentem: ſed latent.

a. *curribus*. ap. Eraſmum, al. *cruribus* ſcripti fere tuentur, ut omnes ap. Gruterum. Senſus tamen idem eſt: agitur autem de iis noxiis, quos cruribus ſ. pedibus ad currus alligatis in diverſum actis equis distrahere ſolebant. b. *agit*. fortaſſe erat: *angit*, quamquam vulgata bene defenditur. c. *patientiae* ex uno cod. Palat. ap. Gruter. et Lipſiano, Grutero et Lipſio ſuadentibus, reſtitui. *Patientia* eſt ſenſus; cf. ad Ep. IX, 2. Antea: *patientia*. Mox *ſuppurationes* ap. Eraſmum al. at quinque codd. Gruteri: *ſuſpirationes*. de phthiſi loquitur, de qua Ep. LIV, 1, vocabulum ſuſpirium uſurpat. Vulgata ta-

3. *turba ferarum*] quibus homines noxii obiiciebantur in Amphitheatris. §. 4. *equuleos*, inſtrumentum tortoris ad veritatem exprimendam, cui noxii intendebantur: *uncum*, inſtrumentum ferreum, inſtar hami, quod gutturi eorum, qui in carcere necati erant, inpingebatur, ut ad Tiberim pertraherentur. *tunicam intextam* pice et bitumine ſolitam liniri, ſecundum Iſidori Origg. Recte ap. Iuvenal. I, 155. VIII, 235 al. vocatur tunica moleſta. cf. Tacit. Annal. XV, 44.

tent. nihil habent quod intentent, quod praeferant: haec, ut magna bella, adſpectu paratuque vicerunt. Demus itaque operam, abſtineamus offenſis. Interdum populus eſt, quem timere debeamus: interdum, ſi ea civitatis diſciplina eſt, ut plurima per ſenatum transigantur, [d]gratioſi in eo viri; interdum ſinguli, quibus poteſtas populi et in populum data eſt. Hos omnes amicos habere, operoſum eſt: ſatis eſt inimicos non habere. Itaque ſapiens nunquam potentium iras provocabit: immo declinabit, non aliter quam in navigando porcellam. Quum peteres Siciliam, traieciſti fretum. Temerarius gubernator contemſit auſtri minas: (ille eſt enim, qui Siculum pelagus exaſperet, et in vertices cogat) non ſiniſtrum petit litus, ſed id, quo propior Charybdis maria convolvit. At ille cautior, peritos locorum rogat, qui aeſtus ſit, quae ſigna dent nubes, et longe ab illa regione verticibus infami curſum tenet. Idem facit ſapiens: nocituram potentiam vitat, hoc primum cavens, ne vitare videatur. Pars enim ſecuritatis et in hoc eſt, non ex profeſſo eam [e]petere: quia quae quis fugit, dam- 6 7 8

men bene ſe habet. d. *gratioſi in eo viri.* Sic plurimi codd. ap. Pincian. Modium et Gruterum. At Eraſmus al. *gratioſi timeantur in eo viri.* e. *petere* omnium eſt codd. lectio, quam Muretus mutavit in: *fugere*, neſcio unde. Lipſius ait: ſententia ex illo eadem elicitur: non petendam palam ſecuritatem, quia

6. *ut plurima per Senatum transigantur*] Hoc tunc temporis ex Tiberii inſtituto Romae fiebat, comitiis in curiam e campo translatis. *ſinguli*, magiſtratus.

7. *Quum — convolvit.*] Exemplo utar traiectione freti in Siciliam Scylla, quae Italiae adiacet, et Charybdi, quae Siciliae eſt, infami: infeſtiſſima navigiis Charybdis, gurges mirae profunditatis, in quem aeſtus freti ea abrepta abſorbet, et fragmenta ad litus Tauromenitarum eiicit, quod hac de cauſſa Copriam vocabant, Strabone referente VI, 2, 3. p. 258 ed. Lipſ. *contemſit*, ἀοριστικῶς, contemnere ſolet. *aeſtus* adceſſus, ἄμπωσις. Cf. Cluveri Sicil. Antiq. I, 5.

damnat. Circumſpiciendum nobis eſt ergo, quomodo a vulgo tuti eſſe poſſimus. [f] Primum nihil inde concupiſcamus, unde rixa eſt inter competitores: deinde nihil habeamus, quod cum magno emolumento inſidiantis eripi poſſit. quam minimum ſit in corpore tuo ſpoliorum! Nemo ad humanum ſanguinem propter ipſum venit, aut admodum pauci: plures computant, quam oderunt. Nudum latro transmittit: et-
9 iam in obſeſſa via pauperi pax eſt. Tria deinde ex praeceptione veteri praeſtanda ſunt, ut vitentur: Odium, Invidia, Contemtus. Quomodo hoc fiat, ſapientia ſola monſtrabit. Difficile enim temperamentum eſt, verendumque, ne in contemtum nos invidiae timor transferat: ne, dum calcari nolumus, videamur poſſe calcari. Multis timendi attulit cauſas, timeri poſſe. Vndique nos reducamus: non minus contemni
10 quam ſuſpici nocet. Ad philoſophiam ergo confugiendum eſt. hae literae non dico apud bonos, ſed apud medio-

ſic videmur fugere potentes (ſubducendo nos et removendo): quod eſt tacite eos damnare. Gruterus tamen ſuſpicabatur aliquid deeſſe, quippe poſt *petere* habentur in aliquot mss.: *Non noſtrae profeſſionis, vulgi favores appetere quia quae* etc. Sed haec verba deſunt in Gruterianis aliisque, et inepte ab interprete vel ab annotatore adiecta ſunt, Eraſmo, Modioque iudicibus et ſenſu repugnante. f. *Primum nihil inde concupiſcamus, unde rixa eſt inter competitores.* Muretus e codd. Pinciani in contextum recepit: quum ap. Eraſmum, Grut. Modium illud: *unde* non exſtet, quod et Lipſius, cuius liber optimus habet: *nihil idem*, delendum cenſet. Falſam lectionem non putaverim cum Gutero. Senſus eſt ſatis manifeſtus: *nihil inde* i. a vulgo concupiſcamus, a quo rixa oritur, ſ. qui rixae anſam dat. Mox *plures computant, quam oderunt* bene ſe habent, nec ulla emendatione egent, i. ut Ciceronis verbis utar, latrones non iugulant viatores, quod eos periſſe velint, ſed lucri cupiditate adducti. cf. no-

8. *ſpoliorum*] i. quae tibi eripiant, ut ſpoliorum loco habeantur. *obſeſſa* ſc. a latronibus.

9. *temperamentum*] i. modus, cautio. Philoſophia haec ſuadet, ut a capeſſenda republ. omnino recedas et tranquille mode-

mediocriter malos, infularum loco ſunt. Nam forenſis eloquentia, et quaecunque alia populum movent, adverſarium habent: haec quieta, et ſui negotii, contemni non poteſt: cui ab omnibus artibus, etiam apud peſſimos, honor eſt. Nunquam in tantum convaleſcet nequitia, nunquam ſic contra virtutes coniurabitur, ut non philoſophiae nomen venerabile et ſacrum maneat. Ceterum philoſophia ipſa tranquille modeſte- 11
que tractanda eſt. Quid ergo? inquis. videbitur tibi M. Cato modeſte philoſophari, qui bellum civile ſententiâ ſuâ reprimit? qui furentium principum armis mediis intervenit? qui aliis Pompeium offendentibus, aliis Caeſarem, ſimul laceſſit duos? Poteſt aliquis disputare, an illo tempore capeſſenda fuerit ſapienti respublica. Quid tibi vis M. Cato? iam non agitur de libertate, olim peſſundata eſt: quaeritur, utrum Caeſar, an Pompeius poſſideat rempublicam. Quid tibi 12
cum iſta contentione? nullae partes tuae ſunt: dominus eligitur. g Quid tua, uter vincat? poteſt melior vincere, non poteſt non peior eſſe qui vicerit. Vltimas partes attigi Catonis: ſed ne priores quidem anni

ſtrum de Benefic. V, 17. g. *Quid tua, uter vincat? poteſt melior vincere, non poteſt non peior eſſe, qui vicerit.* Cum Eraſino et Lipſio hanc lectionem praefero; nam locus hic mire variat in codd., ut in acutis ſententiis fieri ſolet. cf. Gruter. et Schotti Obſſ. V, 4. qui legit: *melior vincere non poteſt. Poteſt eſſe peior qui victus fuerit. Non poteſt eſſe melior, qui vicerit.* Confert Martial. Epigr. I, 8. de Deciani dogmate. Mox *rapinam* et

modeſteque Philoſophiam tractes.

10. *infularum loco*] dignitatem et ſecuritatem praeſtant: omnes quippe ſacris rebus operam dantes propter infulas quas gerunt, ſacri et inviolabiles. cf. ad Helviam XIII, 4. *ab omnibus artibus:* philoſophiae honor eſt, quia nulla *ars*, ſcientiam nos dicimus, ea carere poteſt.

11. De *M. Catone* Vticenſi omnia nota ſunt. Cf. tamen de Conſtant. Sap. I. et Cic. Tuſc. Disp. V, 19.

ni fuerunt, qui ſapientem in illam rapinam reipublicae admitterent. Quid aliud quam vociferatus eſt Cato, et miſit irritas voces, quum modo per populi levatus manus, et obrutus ſputis, et portandus extra forum traheretur, modo e ſenatu in carcerem duce-
13retur? Sed poſtea videbimus, an ſapienti opera perdenda ſit: interim ad hos te voco, qui a republica excluſi, ſeceſſerunt ad colendam vitam, et humano generi iura condenda, ſine ulla potentioris offenſa. Non conturbabit ſapiens publicos mores, nec populum in ſe vitae novitate convertet. Quid ergo? utique erit tutus, qui hoc propoſitum ſequetur? Promittere tibi hoc non magis poſſum, quam in homine temperante bonam valetudinem: et tamen facit temperan-
14tia bonam valetudinem. Perit aliqua navis in portu: ſed tu quid accidere in medio maris credis? Quanto huic periculum paratius foret, multa agenti, molientique, cui ne otium quidem tutum eſt? Pereunt aliquando innocentes: quis negat? nocentes tamen ſaepius. Ars ei conſtat, qui per ornamenta percuſſus eſt. Denique h conſilium omnium rerum ſapiens, non exitum ſpectat. Initia tamen in poteſtate noſtra ſunt: de

portandus extra forum codd. praeſtant omnes. h. *conſilium*. Ex Eraſmi et Grut. codd. repoſitum, quum nonnullae edd. habent: *initium*. Mox *initia tamen* omnes libri dant, proinde cum Gronovio repoſui: *utcumque non omnia, tamen initia in*

13. *ſed poſtea videbimus*] h. e. alias, alia epiſtola aut alio ſcripto. *Interim ad hos te voco* Spectant haec ad eos, qui factione quadam inimica e republica excluſi Philoſophiae ſe tradiderunt, ut Cicero aliique, qui otio fruentes de genere humano ſcriptis ſuis bene meruerunt.

14. *Ars ei conſtat — eſt.*] Etiamſi gladiator pugnans cadit, tamen inter artis peritos numeratur. *Ornamenta* i. galeam, loricam, ſcutum, quatenus gladiatorem inſtruunt ad pugnam. De armis, (gladiis telisve) non intelligas cum Schotto Obſſ. V, 4. Cf. Erneſti ad Sueton. Tit. IX. Excurſ. XXVII.

de eventu fortuna iudicat, cui de me ſententiam non do. At aliquid vexationis affert, aliquid adverſi. [i]non damnatur latro, quum occidit. — Nunc ad quotidia- 15
nam ſtipem manum porrigis. aurea te ſtipe implebo. Et quia facta eſt auri mentio, accipe quemadmodum uſus fructusque eius tibi eſſe gratior poſſit. „Is maxime divitiis fruitur, qui minime divitiis indiget.“ Ede, inquis, auctorem. Vt ſcias quam benigne ſimus, propoſitum eſt aliena laudare: Epicuri eſt, aut Metrodori, aut alicuius ex illa officina. Et quid intereſt, quis dixerit? omnibus dixit. Qui eget divi- 16
tiis, timet pro illis: nemo autem ſolicito bono fruitur. Adiicere illis aliquid ſtudet, dum de incremento cogitat: oblitus eſt uſus, rationes accipit, forum con-

poteſtate noſtra ſunt. i. *non damnatur latro, quum occidit.* Lipſius et Gronov. reprobant hanc lectionem: ille, quo haec ſpectent, ait, non video. Imo nec vera ſunt, et omnino damnatur latro, quum occidit: emendat *afferet.* Fortaſſe aliquid adverſi: ſed ne occupa, aut damna, niſi quum factum. Gronovius contra putat ſcribendum eſſe: *damnat* i. latro poteſt occidere, non damnare ſeu efficere iure caeſum videri, qui latrocinio periit: ſic Fortuna non poteſt propterea facere peiorem, quem vexaverit. Equidem nihil mutem. Senſus eſt: Conſilia in poteſtate mea ſunt, ſed exitus in fortunae manu. Itaque aliquid adverſi afferre poteſt, interfici poſſum a latrone, etiamſi ille a iudice capitis non damnetur.

15. *Is maxime — indiget*] Easdem ſententias et Socrati proprias fuiſſe conſtat. Vid. Stob. Serm. XC ſq. Similia ſunt illa Epicuri ap. Plutarch. T. X. p. 23 Hutt. ὁ τῆς αὐρίου ἥκιστα δεόμενος, ὡς φησιν Ἐπίκουρος, ἥδιστα πρόσεισι πρὸς τὴν αὔριον. Cf. Diogen. Laert. X, 127. Addas noſtrum de Vita beata XXI et XXII.

16. Qui divitias augere ſtudet, de uſu recto non cogitans, rationes accipit ab iis, qui pecuniam ſuam adminiſtrant: *forum conterit*, frequentat tamquam negotiator: ibi enim menſarii, argentarii et nummularii tabernas ſuas habebant. In foro et de menſae ſcriptura magis quam ex arca domoque vel ciſta pecunia numerabatur Romae, ait Donatus ad Terent. Adelph.

conterit, kalendarium verſat, fit ex domino procurator.

EPISTOLA XV.

Valetudinem animi cum cura corporis coniungendam ſuadet, ſed ita, ut non athletica fiat, ideoque nos cogat corpori, quod talis labor exhauſit, alendo et reſtituendo omnem operam navare. Iam vero corporis exercitatio ſit facilis et brevis, qua corpus ſine mora laxetur, et tempori parcatur. Sana haud dubie praecepta, quae poſtea Galenus, et quae enim ſequuta eſt ſchola Salernitana, recte repetivit. Exercitationes quidem corporis, quas natura homini ſuadere ſolet, mox bella in uſum ſuum converterunt, idque iam tempore heroico: deinde Cretenſes et Spartanos his militaribus ſtudiis maximam operam impendentes ceteri Graeci ſequuti ſuperarunt: tum pugilatus et pancratium, quod quidem ex luctа et pugilatu compoſitum erat, apud omnes Graecos, praeter Lacedaemonios, in honore eſſe coepit, gymnaſia ubique exſtructa, victus vel ſumtus praebitus iuvenibus, qui ſe vitae athleticae traderent, atque duro gymnaſiarcharum imperio ſubiicerent, tum praemiis, honoribus prope divinis, victores a civibus ornati. Mox autem artificia multiplicia eaque ſubtilia et difficilia inventa ſunt, quibus vera ars gymnaſtica paullatim defecit, iam Ariſtophanis tempore, vid. Ei. Nub. 985 – 1054. Hinc ars gymnaſtica, quae ad corpora excelſiora, robuſtiora, pulchriora, et duriora reddenda reperta erat, in Athleticen eſt deflexa, quae tale vitae genus praeſcribebat, ut corpora iuvenum et virorum quamvis validiora quaſſari atque debilitari neceſſe eſſet, omni quippe vivendi eorum modo contra naturae leges inſtituto. Inprimis autem hoc ſpectabant Gymnaſtae, ut Athletae nil niſi bubula atque praeſertim ſuilla carne veſcendo nolentes volentes (unde ἀναγκαιοφαγία haec vita dicta eſt) ſaginati robur et obeſitatem acquirerent, ut quosvis adverſarios deiicere, eorumque ictus ſuſtinere poſſent: ſed enim Platonis (cf. Gorgia T. IV, p. 41 Bip.) iam et Euripidis aetate

II, 4, 13. Cf. Io. Fr. Gronovii Obſſ. IV, 24. p. 797 ſq. Lipſ. *Kalendarium*, liber pecuniae foenebris, quae per Kalendas, interdum tamen etiam per idus menſis ſequentis exigebatur, ſolvebaturque. Vid. Epiſt. LXXXVII, 6. qui locus egregius cum noſtro contendi meretur. *ſit ex domino procurator.* Theocritus idem iam dixerat ap. Stob. Serm. XVI, p. 335 Schow.: Θεόκριτος τοὺς πολλοὺς τῶν πλουσίων ἔλεγεν ἐπιτρόπους εἶναι, ἀλλὰ μὴ δεσπότας τῶν χρημάτων.

tate pervulgatum erat, Athletas esse somnolentos, tardos, atque parum aptos ad belli pacisque officia peragenda. Pervaserat tamen et haec prava ars Romam. Cf. Meiners in Commentatt. Soc. Reg. Gottingensis Tom. XI.

Clausula ab Epicuro est: ne vita in futurum feratur, uti stulti faciunt: sed praesentibus bene utere. Et haec sententia egregia, quae ad Epicuri κυρίας δόξας pertinuit, cum Stoicismo bene convenit, τὰ μέλλοντα μὴ ταραττέτω, M. Antonin. VII, 8. X, 1. Iam Pittacus praeceperat παλαιὸν λόγον, secundum Platon. in Gorgia (cf. Hemsterhus. ad Lucian. Tom. III, p. 365 Bip.) ab Horatio III Carm. 29, 29 sq. bene expressum: τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν.

Mos antiquus fuit, usque ad meam servatus aetatem, primis epistolae verbis adiicere: [a] Si vales, bene est: ego valeo. Recte et nos dicimus: Si philosopharis, bene est. Valere enim hoc demum est: sine hoc aeger est animus. Corpus quoque etiam si magnas habet vires, non aliter quam furiosi aut phrenetici, validum est. Ergo hanc valetudinem praecipue cura, deinde et illam secundam: quae non magno tibi constabit, si volueris bene valere. Stulta est enim, mi 2
Lucili, et minime conveniens literato viro, occupatio exercendi lacertos, et dilatandi cervicem, ac la-

 tera

a. *Si vales, bene est: ego valeo.* Mureti editio omittit: *ego valeo:* at Erasmi et quinque Gruteri habent: *ego valeo*, quod inde reposui. Ceterum res nota est ex epistolis Ciceronis, et Plinio I Epp. 11. Mox malit Lipsius: *dicemus:* sed non opus est; intelligit enim philosophos.

1. *Sine hoc aeger est animus:*] nam qui philosophiae studio se non tradidit, ille aegrotat, e sententia Stoicorum. Cf. ad Ep. VII, 1. Epictetus in Diss. Arrian. II, 18, 8. Stoicos quoque intelligit, ubi Vptonus male ad Platon. IV, p. 166 Bip. lectorem ablegat, tacite correctus a Schweighaeusero. Simplicio talis homo ὁ πολὺς vocatur sub initio commentarii ad Epict. Manuale.

2. Haec videlicet exercitationibus gymnicis consequi studebant, ut lucta et pugilatu *lacerti et cervix*, currendo vero *latera* i. pectus pulmonesque

tera firmandi. Quum tibi feliciter ſagina ceſſerit, et tori creverint; nec vires unquam opimi bovis, nec pondus aequabis. Adiice nunc, quod maiore corporis ſarcinâ animus eliditur, et minus agilis eſt. Itaque, quantum potes, circumſcribe corpus tuum, et animo locum laxa. multa ſequuntur incommoda huic
3 deditos curae. Primum exercitationes, quarum labor ſpiritum exhaurit, et inhabilem intentioni ac ſtudiis acrioribus reddit: deinde copiâ ciborum ſubtilitas animi impeditur. Accedunt peſſimae notae mancipia in magiſterium recepta, homines inter oleum et vinum occupati: quibus ad votum dies eſt actus, ſi bene deſudavernnt, ſi in locum eius quod effluxit, multum potionis [b]altius ieiuno gutture regeſſerunt. Bibere et
4 ſudare, vita cardiaci eſt. Sunt exercitationes et faciles et breves, quae corpus et ſine mora laxent, et tempori parcant: cuius praecipua ratio habenda eſt. Cur-

b. *altius* cum Gronovio e mss. omnibus reſcripſi. *regeſſerunt* plures praeſtant. Antea: *alterius*. Per ieiunum guttur, ait, in locum eius, qui effluxit, ſudoris, regerere, i. rurſus ingerere, puta in corpus, ſed bene altius multum potionis. Cf. Gruter. Laudat Lipſius Epiſt. Senec. LXXXVIII, 15 ſq. CXXII, 7 ſq. Mox nonnulli codd. *laſſent*, quod Grurer. praefert vulgatae: *laxent*. Male. Iam §. 2. dixerat: *animo locum laxa*.

que firmarentur. *ſagina*, vitâ illâ gladiatoriâ. *Quum* i. etſi. *tibi tori* i. caro tendoque in lacertis et pectore. *Opimi* i. pinguis: ſic dicti ſunt boves altiles ad ſacrificia publica ſaginati. Varro de Re ruſt. II, 1, 20. p. 162 Bip.

3. *Primum exercitationes*] ſequuntur. *ſpiritum*, vires animi. *deinde — impeditur*. Horatius prius idem dixerat Serm. II, 2, 77. 78. quin corpus onuſtum Heſternis vitiis animum praegravat una atque adfligit humo divinae particulam aurae. Comparat et Schottus Obſſ. I, 4. *Accedunt — occupati*, graeculi magiſtri, iique ſervi, quorum imperio te trades, nullaque alia re, niſi unguendi ſe et ſaginandi ſtudio infames. *Cardiacus*. In ore ſtomachi vitium καρδιαλγία, ab humore acri vellicante et rodente. Celſus III, 19. Trallian. VII, 2.

Cursus, et cum aliquo pondere manus motae, et saltus, vel ille qui corpus in altum levat, vel ille qui in longum mittit, vel ille, ut ita dicam, saliaris, aut ut contumelioſius dicam fullonius. Quodlibet ex his elige, uſu fit facile. Quidquid facies, cito redi a corpore ad animum, illum diebus ac noctibus exerce. labore modico alitur ille. Hanc exercitationem non frigus, non aeſtus impedit, ne ſenectus quidem. Id bonum cura, quod vetuſtate fit melius. Neque ego te iubeo ſemper imminere libro, aut pugillaribus. dandum et aliquod intervallum animo: ita tamen ut non reſolvatur, ſed remittatur. Geſtatio et corpus concutit, et ſtudio non officit: poſſis legere, poſſis dictare, poſſis loqui, poſſis audire: quorum nihil nec ambulatio quidem vetat fieri. Nec tu intentionem vocis contemſeris: quam veto te per gradus et cer-

4. *Pondere*] Halteres (ἅλτῆρες) vocabantur haec pondera plerumque plumbea, quae manibus tenentes ſaltabant. Vid. Epiſt. LVI, 1. et Mercurial. de arte gymn. II, 11. *ſaliaris*, Saliorum, Martis ſacerdotum, qui quotannis ſemel per urbem pompam et ancilia ducendo tripudiabant: ſimilis huic ſaltationi videbatur motus ille fullonum veſtimenta, quae coguntur, calcantium, et conciliantium (κιλικιζόντων). Cf. Ioſ. Scaliger. ad Varron. de Ling. Lat. lib. V. Nott. p. 137. 138 Bip., ubi et noſtri loci memor fuit: addas Plauti Pſeudol. III, 1, 15. *contumelias* propter contemtum artificiorum quae illiberalia, ſordida, ἔργα βάναυσα, βαναυσίαι, vocabantur. Cf. Cic. de Offic. I, 42 ibique Garve.

5. *Geſtatio* fiebat aut lectica, aut ſcamno i. ſella, aut rheda eſſedove ſubiunctis mulis aut equis, longe aliter quam in lectica aut ſella, quae a ſervis portabatur. Geſtatio tamen in eſſedo Senecae tempore communior fuit. Cf. Lipſius in Centuria III miſcellanea Ep. XI, ubi locum noſtrum non praeteriit. *Gradus*, elationem demiſſionemque dicit. *modus* eſt modulatio, ῥυθμὸς, reſpectu praecipuo habito ad tempus ſeu ſpatium et ad ſenſus animi exprimendos: gradus vero μέλος, ad ſonos diverſae altitudinis notandos. Cf. Ariſtot. Polit. VIII, c. 5 -- 7. Quintil. in Inſtit. Orat. I, 10.

Sen-

6 tos modos attollere, deinde deprimere. Quod si velis deinde, quemadmodum ambules, discere, admittes istos, quos nova artificia docuit fames: erit qui gradus tuos temperet, et buccas edentis observet, et in tantum procedet, in quantum eius audaciam [c]patientiae credulitate produxeris. Quid ergo? a clamore protinus et a summa contentione vox tua incipiet? Vsque adeo naturale est, paulatim incitari, ut litigantes quoque a sermone incipiant, ad vociferationem
7 transeant. nemo statim Quiritium fidem implorat. Ergo utcunque tibi impetus animi suaserit, modo vehementius fac vitiis convicium, modo lentius, prout vox quoque te hortabitur et latus. Modesta, quum receperis illam revocarisque, descendat, non decidat: moderatoris sui temperamentum habeat, nec indocto et rustico more desaeviat. Non enim id agitur, ut exerceatur vox, sed ut exerceat. [d]Detraxi tibi non pusil-

c. *patientiae credulitate* cum Gronov. e Gruteri et Ruben. codd. praetuli. h. e. Gronov. interprete: quousque ei animum audendi addideris, fide facta tuae patientiae? quousque tibi patientiam ferendi tam molesta et morosa imperia fore credet. cf. Ep. XLI, 6. d. *Detraxi tibi non pusillum negotium*: mer-

Sensus itaque est: ne te imperio phonasci tradas.

6. *Quod si velis — discere.*] Intelligas de mimis et pantomimis, uno verbo, de saltatione. Augusti autem et insequenti tempore has artes ludicras Romanis magnopere placuisse, constat. Cf. Senec. Nat. Qu. VII, 32. Quis non recordatur Pyladem et Bathyllum magnos harum artium apud Romanos statores? Quod iam Horat. III Carm. 6, 21. 22. Motus doceri gaudet ionicos Matura virgo, de suae aetatis moribus queritur, id nostro maiorem conquerendi copiam dabat. Cf. Epist. XC, 18. Itaque hinc textorum, hinc fabrorum officinae sunt, hinc odores coquentium, hinc molles corporis motus docentium, mollesque cantus et infractos. Graeculi fuerunt magistri harum artium, qui *buccas edentis* observarent, parasitorum modo. *et in tantum procedet — produxeris.* Laudat appositе Lipsius Iuvenalem III, Sat. 78. Graeculus esuriens in coelum, iusseris, ibit.

puſillum negotium: mercedula, et munus gratum ad haec beneficia accedet. Ecce inſigne praeceptum! 8
„Stulti vita ingrata eſt, trepida eſt, tota in futurum fertur.“ Quis haec, inquis, dicit? Idem qui ſupra. Quam tu nunc vitam dici exiſtimas ſtultam? Babae et Ixionis? Non ita eſt. noſtra dicitur: quos caeca cupiditas in nocitura, certe nunquam ſatiatura, praecipitat: quibus ſi quid ſatis eſſe poſſet, fuiſſet: qui non cogitamus quam iucundum ſit nihil poſcere, quam magnificum ſit plenum eſſe, nec ex fortuna pendere. Subinde itaque, Lucili, quam multa ſis conſecutus, 9
recordare: quum adſpexeris quot te antecedant, cogita quot ſequantur. Si vis gratus eſſe adverſus deos, et adverſus vitam tuam, cogita quam multos anteceſſeris. Quid tibi cum ceteris? te ipſe anteceſſiſti.

cedula et munus gratum ad haec beneficia accedet. Mureti et Gruteri ſententiam ſequor. Mira enim eſt varietas: *Detraxit* plurimi habent: alii *mercedula et unum Graecum*, alii *mercedulae et unus graecus*: alii *mercedula et minis gratus*. Inde emendavit Lipſius: *Detraxi tibi non puſ. negotium mercedulae et unius Graeci*: vel ex ſuo: *mercedulae et magiſtratus. Ad haec beneficia accedet ecce inſigne praeceptum.* Adiicit: Docui te ſine magiſtro graeculo, ſine ſtipendio exerceri.

8. De hoc Epicuri dicto cf. Argum. *Babae et Ixionis.* Eraſmus notat: ſcholium margini codicis adſcriptum indicare: Babam et Ixionem fuiſſe duos Senecae temporibus notae fatuitatis homines. In quo quidni acquieſcamus, non video. Mox *plenum* eſſe i. divitem ideoque contentum eſſe cum iis, quae habeas.

9 *cogita, quot ſequantur.*] Sapiens et quotidiani uſus monitum! Non proſpice tantum, ſed reſpice. Phavorinus bene: Τὸν ἐνθυμεῖσθαι θέλοντα χρὴ ἐν μὲν τοῖς ἀγαθοῖς ἀφορᾶν εἰς τοὺς ἐλάττω κεκτημένους· ἐν δὲ τοῖς κακοῖς εἰς τοὺς μᾶλλον δυστυχοῦντας. Aliter plebeium ingenium. Nec quod habet numerat, tantum quod non habet optat, ut ait Manilius. Lipſius. Cf. Plutarch. Tom. X, p. 9 et 14. de Tranquill. Animi. *Quid tibi cum ceteris* hominibus rei eſt, ut cum iis te compares? Tu ipſe philoſophiae ſtudio *te anteceſſiſti*, perturbatio-

finem conſtitue, quem transire ne poſſis quidem, ſi velis: discedent aliquando iſta inſidioſa bona, et ſperantibus meliora, quam aſſecutis. Si quid in illis eſſet ſolidi, aliquando et implerent: nunc haurientium ſitim concitant, et invitant ſpecioſi apparatus. Quod futuri temporis incerta ſors voluit, quare potius a fortuna impetrem, ut det, quam a me, ne petam? Quare autem petam, oblitus fragilitatis humanae? Congeram? in quid? laborem? ecce hic ultimus dies, ut non ſit, prope ab ultimo eſt.

EPISTOLA XVI.

Quum obſervaſſe ſibi videretur, Lucilium amore quidem Philoſophiae teneri, ſed nondum firmitatem ſatis idoneam aſſequutum, monet, ut ſemet ipſum ſcrutando videat, an et in vitam factaque penitus ſe iam inſinuaverit Philoſophia. Nam quacunque hora utilitatem philoſophiae conſpici, nec obſtare diverſa de fato et providentia dogmata, quoniam, quidquid ſit, ea tamen nos ſueri debeat, docendo nos, ut Deo pareamus et fortunam ac fortuita aſpernemur. Clauſula eſt Epicuri: ſecundum naturam qui vivit, numquam erit pauper, ſi ad opinionem, numquam dives. Videre facile eſt, quantopere Epicurus cum Stoicis conveniat.

Liquere tibi hoc ſcio, Lucili, neminem poſſe beate vivere, ne tolerabiliter quidem, ſine ſapientiae ſtudio; et beatam vitam perfectâ ſapientiâ effici, [a] cete-

tiones et malas animi propenſiones tui vincendo. Etiamſi tibi finem quamvis ſplendidum conſiliorum tuorum conſtitueres, tamen aliquando evaneſcent omnia. *Si quid — apparatus.* Ariſtippi eſt haec ſententia apud Plutarch. de Cupiditate Divitiarum c. 3. p. 150. 151. Tom. X. Hutt. Solon tamen iam dixerat: Πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνθρώποισιν ap. Plut. l. l. p. 152.

1. *perfecta ſapientia*] ſummo philoſophiae gradu, ſenſu Stoico. Cf. Lipſii Manuduct. in Stoic. philoſ. II, 8 et 9. *medita-*

[a]ceterum tolerabilem etiam inchoatâ. Sed hoc, quod liquet, firmandum, et altius quotidiana meditatione figendum eſt. Plus operis eſt in eo, ut propoſita cuſtodias, quam ut honeſta proponas. Perſeverandum eſt, et aſſiduo ſtudio robur addendum, donec bona mens ſit, quod bona voluntas eſt. [b]Itaque tibi apud 2
me pluribus verbis opus non eſt, aut affirmatis, aut tam longis: intelligo te multum profeciſſe. Quae ſcribis unde veniant ſcio: non ſunt ficta, nec colorata. Dicam tamen quid ſentiam. iam de te ſpem habeo, nondum fiduciam. Tu quoque idem facias, volo. non eſt quod tibi cito et facile credas: excute te, et varie ſcrutare, et obſerva. Illud ante omnia vide, utrum in philoſophia, an in ipſa vita profeceris.

E 5

a. *ceterum tolerabilem etiam inchoatâ.* Sic Eraſmus et plures codd. In nonnullis libris eſt: *ceterum nec tolerabilem ſine ipſa etiam inchoari*, quam tamen lectionem ab eruditulo eſſe intruſam notat recte Eraſmus. Nam ſenſus et Senecae Stoicismus, cf. ſequentia et notam, repugnant.

b. *Itaque tibi apud me pluribus verbis opus non eſt, aut affirmatis, aut tam longis: intelligo te multum profeciſſe.* Commoda ſententia, ſed ab Eraſmo, qui haec tria: *opus non eſt* e coniectura infarſit. Nulla adeſt varietas, niſi quod *aut*, et, *nec tam longis*, et *audax ſummatis*, *aſſumatis*. Lipſius ait: *quid lateat, me latet.* Hinc Gronov. emendat: *plurib. v. aut affirmatis* (i. adſeveratis, laborantibus ad probandum) *nequaquam opus, intelligo*: ſive *nequaquam locus*: ſive *pl. v. haud affirmandum: ex tali unque intelligo.* Locus conclamatus eſt.

ditatione i. exercitatione. *Plus operis — bona voluntas eſt.* Bona mens et bona voluntas ſe excipiunt: haec eſt inclinatio, bona illa quidem, ſed nondum tam firma, ut everti nequeat, ὁρμή: bona mens eſt habitus. Eſt autem Stoicorum dogma: eſſe in hominis poteſtate, ut bonus fiat. Senec. de Ira II, 13. Ep. XLI et XCIV. Antonin. VIII, 29. Ceterum hoc erat Demetrii philoſophi praeceptum ſane egregium ap. Senec. de Benef. VII, 1. Cuius utilitate ducti Pythagorei aureum carmen, Epicurus ratas ſententias, Epictetus Manuale compoſuerunt.

2. *utrum in philoſophia — profeceris*] i. utrum ſtudium philoſophiae ad vitam quoque transtuleris.

3 ris. Non eſt philoſophia populare artificium, nec oſtentationi paratum: non in verbis, ſed in rebus eſt. Nec in hoc adhibetur, ut aliqua oblectatione conſumatur dies, ut dematur otio nauſea: animum format et fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda et omittenda demonſtrat, ſedet ad gubernaculum, et per ancipitia fluctuantium dirigit curſum. ſine hac nemo ſecurus eſt. Innumerabilia accidunt ſingulis horis, quae conſilium exigunt, quod ab hac petendum eſt.

4 Dicet aliquis: Quid mihi prodeſt philoſophia, ſi fatum eſt? quid prodeſt, ſi Deus rector eſt? quid prodeſt, ſi caſus imperat? Nam et mutari certa non poſſunt, et nihil praeparari poteſt adverſus incerta: ſi aut conſilium meum Deus occupavit, decrevitque quid facerem, aut conſilio meo nil fortuna permittit. Quidquid eſt ex his, Lucili, vel ſi omnia haec ſunt, philoſophandum eſt: ſive nos inexorabili lege fata conſtringunt, ſive arbiter Deus univerſi cuncta disponit, ſive caſus res humanas ſine ordine impellit et iactat,

5 philoſophia nos tueri debet. Haec adhortabitur, ut Deo libenter pareamus, ut fortunae contumaciter reſiſtamus: haec docebit, ut Deum ſequaris, feras caſum. Sed non eſt nunc in hanc disputationem transeundum, quid ſit iuris noſtri, ſi providentia in imperio

3. *populare*] ad populi favorem aucupandum.

4. *Dicet aliquis — fatum eſt?*] Stoicorum erat dogma: καθ' εἱμαρμένην πάντα γίνεσθαι. Diog. Laert. VII, 149. Cic. de Nat. D. III, 6. Discedit autem Seneca a vero ſtoiciſmo, ſecundum quem cererosque plurimos philoſophos, praeciſe docebatur, mundum fatumque a Deo regi. cf. Seneca de Provid. C. V. Ep. LXXVII. LXXXVIII. Plutarch. de Repugn. Stoicor. tom. II, p. 1056 Francof. Gell. Noct. Att. VI, 2. et poſt Vpton. ad Epict. Diſſ. Arrian. I, 12. Tiedemann Syſtem der Stoiſch. Philoſ. II, p. 134. *Quid prodeſt, ſi caſus imperat*, ſecundum Epicureos. cf. Tiedemann Geiſt der ſpecul. Phil. II, p. 377. 380.

perio est, aut si fatorum series illigatos trahit, aut si repentina, aut subita dominantur: illo nunc revertor, ut te moneam et exhorter, ne patiaris animum tuum delabi et refrigescere. Constitue illum, et contine, ut habitus fiat quod est impetus. — Iam ab initio, si 6
bene te novi, circumspexisti, ecquid haec epistola munusculi attulerit? excute illam, et invenies. Non est quod mireris animum meum: adhuc de alieno liberalis sum. Quare autem alienum dixi? quidquid bene dictum est ab ullo, meum est. Sic quoque quod ab Epicuro dictum est: „Si ad naturam vives, nunquam eris pauper: si ad opinionem, nunquam dives.“ Exiguum natura desiderat, opinio immensum. Con- 7
geratur in te, quidquid multi locupletes possederunt: ultra privatum pecuniae modum fortuna te provehat, auro tegat, purpurâ vestiat, et eo deliciarum opumque perducat, ut terram marmoribus abscondas, et non tantum habere tibi liceat, sed calcare divitias: accedant statuae et picturae, et quicquid ars ulla luxuriae laboravit; maiora cupere ab his disces. Natura- 8
lia desideria finita sunt: ex falsa opinione nascentia, ubi desinant, non habent. nullus enim terminus falso est. Viâ eunti aliquid extremum est: error immensus est. Retrahe te a vanis: et quum voles scire, quod petis, utrum naturalem habeat, an caecam cupiditatem, considera an possit alicubi consistere. Si longe progresso semper aliquid longius restat; scito id naturale non esse.

EPI-

6. Epicurum vita sua in hortis ad Athenas acta veritatem huius dicti comprobavisse constat e Diog. Laert. X, 12. ubi Athenaeus: Τᾷς φύσιος δ' ὁ πλοῦτος ὅρον τινὰ βαιὸν ἐπίσχει, Αἱ δὲ κεναὶ κρίσεες τὰν ἀπέραντον ὁδόν. Quibuscum conveniunt Epicuri illa apud Stob. Flor. XVII, p. 341 Schow.: Χάρις τῇ μακαρίᾳ φύσει, ὅτι τὰ ἀναγκαῖα ἐποίησεν εὐπόριστα, τὰ δὲ δυσπόριστα οὐκ ἀναγκαῖα. Ceterum conferas cum seqq. Consolat. ad Helv. c. 11.

EPISTOLA XVII.

Hortatur amicum, ut omni dilatione dimissa philosophiam amplectatur, nec paupertatem pertimescat, quippe quae multis eum vitae periculis liberet et expeditiorem philosophandi viam monstret. Iam quum fuerint, qui propter multo minora praemia, quam quae philosophia offert, non solum paupertatem, sed etiam egestatem famemque toleraverint, nihil obstare debere, quominus omni cura studioque divitias parandi abiecto, ad bonam mentem laeto cursu tendat, ut animum a morbis furoribusque i. passionibus et perturbationibus liberet. Qua in re naturam sequatur monet, quae minimum petit: sin aliter res expedire non licet, exsiliat suadet e vita. His adiungit Epicuri dictum egregium: multos divitiis suis paratis non miserias suas finire, sed mutare, quoniam animus a divitiis nullam emendationem accipiat.

Proiice omnia ista, si sapis, immo ut sapias, et ad bonam mentem magno cursu, ac totis viribus tende. Si quid est, quo teneris, aut expedi, aut incide. Moratur, inquis, me res familiaris: sic illam disponere volo, ut [a] sufficere nihil agenti possit, ne aut paupertas mihi oneri sit, aut ego alicui. Quum haec dicis, non videris vim ac potentiam eius, de quo cogitas, boni nosse: et summam quidem rei pervides, quantum philosophia prosit; partes autem nondum satis subtiliter dispicis. nec dum scis, quantum ubique nos adiuvet: quemadmodum et in maximis (ut Ciceronis utar verbis) opituletur, et in minima descendat. Mihi crede, advoca illam in consilium: suadebit tibi, ne

a. *sufficere nihil agenti possit.* In multis libris: *sufficere in hoc agenti*, unde Gruterus, Lipsio approbante, fecerat: *unum hoc agenti.* Sed Gronov. vulgatum in aliquot et ipsis bonis codd. invenit et recte tuetur. Oppositus autem est *nihil agens* i. nullam Reip. partem, nullam privatam quaestus caussa tractans iis, qui in actu rerum versari dicebantur.

2. *ut Ciceronis — verbis.*] Vbi hoc ille? haud nunc commemini. An in Hortensio, ubi ex professo laudavit philosophiam? Lipsius. In fragmentis collectis non reperitur.

ne

ne ad calculos ſedeas. Nempe hoc quaeris, et hoc iſta dilatione vis conſequi, ne tibi paupertas timenda ſit. Quid ſi appetenda eſt? multis ad philoſophandum obſtitere divitiae: paupertas expedita eſt, ſecura eſt. Quum claſſicum cecinit, ſcit non ſe peti: quum 3
aliqua conclamatio eſt, quomodo exeat, non quid eſferat, quaerit. Si navigandum eſt, non perſtrepunt portus, nec unius comitatu inquieta ſunt litora; non circumſtat illam turba ſervorum, ad quos paſcendos transmarinarum regionum eſt optanda fertilitas. Facile eſt paſcere paucos ventres, et bene inſtitutos, et nihil aliud deſiderantes, quam impleri. Parvo fames conſtat, magno faſtidium. Paupertas contenta eſt deſideriis inſtantibus ſatisfacere. Quid eſt ergo, quare 4
tu hanc recuſes contubernalem, cuius mores ſanus dives imitatur? Si vis vacare animo, aut pauper ſis oportet, aut pauperi ſimilis. Non poteſt ſtudium ſalutare fieri ſine frugalitatis cura: frugalitas autem paupertas voluntaria eſt. Tolle itaque iſtas excuſationes:

Quan-

ne ad calculos ſedeas computandi cauſſa. Sic Ep. XLVIII, 9. ad album ſedere dicitur. Lapillis autem antiquiſſimis temporibus ad computationes uſos eſſe homines, ſatis conſtat: hinc, re quamvis mutata, verbum remanſit.

3. *Quum claſſicum cecinit,*] ad periculoſa tempora et terrores belli, hoſte imminente, ſpectant. cf. Heyne ad Tibull. I, 1, 4. Quam ad Tacit. Ann. II, 32. de ſigno quod dabatur, quum civis capite plectendus eſſet, explicationem et noſtri loci attulerat Lipſius, eam Grutero monente poſtea recte retractavit. Exemplo in tota hac disputatione ſit Abdalonimus ap. Curtium IV, 1. *aliqua conclamatio*, ut in igne, ruina, periculo. L. *transmarinarum regionum* e. c. Africae, et in hac praeſertim Aegypti, quarum frumenti maximae copiae transvectae Romam. Italia enim bellis, latisfundiis luxuque exhauſta incolis ſuis alendis iam Ciceronis tempore non ſuffecit. Varro de R. R. II, 1 ait: ſaturi ſumus ex Sardinia et Africa. Cf. Horat. II Carm. 15. Sed res nota eſt.

Quantum ſat eſt, nondum habeo: ſi ad illam ſummam pervenero, tunc me totum philoſophiae dabo. Atqui nihil prius quam hoc parandum eſt: quod tu differs, et poſt cetera paras, ab hoc incipiendum eſt. 5 Parare, inquis, unde vivam, volo. Simul et parare diſce. Si quid te vetat bene vivere, bene mori non vetat. Non eſt quod paupertas nos a philoſophia revocet, ne egeſtas quidem: toleranda eſt enim ad hoc properantibus vel fames, quam toleravere quidam in obſidionibus. Et quod aliud erat illius patientiae praemium, quam in arbitrium non cadere victoris? quanto hoc maius eſt, quo promittitur perpetua libertas, nullius, nec hominis, nec Dei timor? Et qui- 6 dem vel eſurienti ad iſta veniendum eſt. Perpeſſi ſunt exercitus inopiam omnium rerum, vixerunt herbarum radicibus, et dictu [b] foedis tulerunt famem. haec omnia paſſi ſunt pro regno (quo magis mireris) alieno: dubitabit aliquis ferre paupertatem, ut animum furoribus liberet? Non eſt ergo prius acquirendum, licet ad philoſophiam etiam ſine viatico pervenire. Ita eſt, quum omnia habueris, tunc et ſapientiam habere voles. Haec erit ultimum vitae inſtrumentum, et (ut ita dicam) additamentum. Tu vero, ſive aliquid habes, iam philoſophare: unde enim ſcis, an iam nimis habeas? ſive nihil, hoc prius quaere, quam quid-

b. *dictu foedis* e cod. Col. ap. Grut. cum Modio et Lipſio praetuli vulgato: *foedam*: *Dictu foedis* ſcil. alimentis, a quibus abhorremus. Gronov. laudat Nat. Quaeſt. I, 16 ſub init.

4. *Quantum ſat eſt — dabo.*] Aphium, feneratorem illum ruris laudatorem ap. Horat. Epod. II. cuiquam hic, vel me non monente, obverſaturum eſſe opinor.

6. *Perpeſſi — famem.*] Vide Cambyſis exemplum ap. noſtrum III de Ira 20, 2. ubi lin. penult. cum Gronov. et Weſſeling. ad Herodot. III, p. 207, 68 loco animalium reponas: talium. *dubitabit — liberet.* Confert Lipſius Manilium IV, 402 -- 407.

quidquam. At neceſſaria decerunt. Primum deeſſe non 7
poterunt, quia natura minimum petit: naturae autem ſe ſapiens accommodat. Sed ſi neceſſitates ultimae inciderint, iamdudum exſiliet e vita, et moleſtus ſibi eſſe deſinet. Si vero exiguum fuerit et anguſtum, quo poſſit vita produci: id boni conſulet, nec ultra neceſſaria ſolicitus aut anxius, ventri et ſcapulis ſuum reddet, et occupationes divitum, concurſationesque ad divitias euntium, ſecurus laetusque ridebit, ac dicet: Quid in longum ipſe te differs? exſpectabisne 8
foenoris quaeſtum, aut ex merce compendium, aut tabulas beati ſenis, quum fieri poſſis ſtatim dives? Repraeſentant opes ſapientia: quas cuicunque fecit ſupervacuas, dedit. Haec ad alios pertinent: tu locupletibus propior es. Seculum muta, nimis habes. Ineſt omni ſeculo, quod ſat eſt. Poteram hoc loco epiſtolam claudere, niſi te male inſtituiſſem. Reges Parthos non poteſt quisquam ſalutare ſine munere, tibi valedicere non licet gratis. quid iſtuc? ab Epicuro mutuum ſumam. „Multis paraſſe divitias, non finis 9
miſeriarum fuit, ſed mutatio.“ Non hoc miror. non eſt enim in rebus vitium, ſed in ipſo animo. Illud quod paupertatem gravem fecerat, et divitias graves fecit. Quemadmodum nihil differt, utrum aegrum in

7. *Sed ſi neceſſitates*] utilis eſt ad h. l. Cic. de Fin. III, 8. *exſiliet e vita*, morte ſponte ſumta. Lipſii Manuduct. in Diſſ. 22. *ventri et ſcapulis ſuum reddet*, h. victum cultumque neceſſarium ſibi comparabit. *ſcapulae* autem h. l. pro corpore veſtibus tegendo ſumatur.

8. *Seculum muta*] i. antiqua exempla reſpice, luxui propior es. cf. Conſolat. ad Helv. c. XII, 3. Lipſius. *Reges Parthos — munere.* Viguit vigetque etiamnunc hic mos quaſi patriarchalis in Oriente. cf. Plutarch. vit. Artaxerxis c. 4 et 5. Tom. V. Reiske.

9. *non eſt — animo.*] Similia ſunt ap. Horat. II Carm. 16, III, I, 40. Plutarch. tom. X, p. 5 Hutt. Alia collegit Gataker ad Antonin. p, 122, 1 et 2,

in ligneo lecto, an in aureo colloces: quocunque illum transtuleris, morbum suum secum transfert: sic nihil refert, utrum animus aeger in divitiis, an in paupertate ponatur. malum suum illum sequitur.

EPISTOLA XVIII.

Occasione Saturnalium egregie utens amicum commonefacit, ut in publica lascivia temperanter se gerat, ideoque nec excerpendo se, nec miscendo omnibus festum diem agat sine luxuria, atque ideo ad difficilia se praeparet vero experimento, idque non coactus. Utile est, certis diebus abstinentiam exercere, parcere, ad paupertatem se reducere, minimoque se facere familiarem, et Epicurum imitando praeoccupare tela fortunae. Ita fiet, ut Deo dignus sis, quandoquidem opes intrepide possidere possis. — Saturnalia, quae ansam nostro praebuere, de temperantia et abstinentia exponendi, Senecae tempore per septem dies inde a XIV Kal. Ian. (XVII Dec.) celebrabantur in honorem Saturni, ad auream aetatem symbolice repraesentandam. Summa fertilitas inprimis a poetis huic aetati tributa; nullo enim serente aut arante omnia sponte proveniebant, parvo aut nullo labore vinum, mel, lac etc. ad vitam suaviter agendam idonea parabantur, et homines optimi vivebant. Proinde plausus ubique, et cantus et lusus et aequalitas viguit Romae, et in iis regionibus quae Romanorum imperio subiectae erant, nec ullum discrimen inter servos liberosque conspiciebatur, quinetiam domini servis ministrabant sedentibus et coenantibus. Saturno enim rerum potiente ne servitium quidem ullum fuisse fingebatur. Cf. Luciani Saturnalia, Cronosolon et epistolae saturnales Tom. IX init. Bip. et Lipsii liber eruditissimus, Saturnalia inscriptus. Scriptores antiqui saepe hac sollemnitate usi sunt, ut lucem coloresque inde peterent suis dictis. Vide v. c. Epictetum Arriani Dissert. I, 25, 8 sq. ibique Vptonum, qui tamen locum Senecae de Constant. XII, 2. male huc retulit. Vestigia haud pauca horum sollemnium in festo natali Christi hodieque reliqua esse, ingeniose docuit Gedike. Vide Berlinische Monatsschrift anni 1784 mense Ianuar. n. 8.

Clausula Epistolae est ab Epicuro: Immodica ira insaniam gignit.

December est mensis, [a]quo quum maxime civitas desudat. Ius luxuriae publice datum est: ingenti appara-

a. *quo quum maxime* cum Modio reposui e tribus mss.: quippe quod usus Senecae postulat. Erasmus et Muretus habent: *quo*

paratu ſonant omnia: tanquam quidquam inter Saturnalia interſit, et dies rerum agendarum. Adeo nihil intereſt, ut non videatur mihi erraſſe, qui dixit, olim menſem Decembrem fuiſſe, nunc annum. Si te hic haberem, libenter tecum conferrem quid exiſtimares eſſe faciendum, utrum nihil ex quotidiana conſuetudine movendum; an, ne diſſidere videremur cum publicis moribus, et hilarius coenandum, et exuendam togam. Nam quod fieri niſi in tumultu et triſti tempore civitatis non ſolebat, voluptatis cauſa ac feſtorum dierum veſtem mutavimus. Si te bene novi, arbitri partibus functus, nec per omnia nos ſimiles eſſe [b]pileatae turbae voluiſſes, nec per omnia diſſimiles: niſi forte his maxime diebus animo imperandum eſt, ut tunc voluptatibus ſolus abſtineat, quum in illas omnis turba procubuit. Certiſſimum argumentum firmitatis ſuae capit, ſi ad blanda et in luxuriam trahentia 2

maxime. Pincianus vero et Gruterus Lipſiusque: *menſis eſt, cum maxime.* Mox *publice* Eraſm. et Muret. praeſtant, quod vulgato *publicae* praefero. *inter Saturnalia interſit* omnes codd. et impreſſi dant praeter Muretum, qui *nunc interſit* e coni. dedit.

b. *pileatae* antiqua lectio, quam codd. Eraſmus al. tenent: editio tamen Romana et Muretus habent *pullatae*. Male. Nam pileati erant Romani omnes hac ſollemnitate, ut liberos ſe eſſe iudicarent. Hinc Roma pileata ap. Martial. XI, 7, 4. Dio Caſſ. LX, p. 957 ed. Reimar. Pullati contra ſunt ſervi. Cic. Piſ. 38. Tacit. Hiſt. IV, 36. Nec *pallati* ex ora libri Colon. ap. Grut. probes, quippe pallium Graecorum aut exterorum veſtis erat. Mox *firmitatis* ex Eraſmo et Mureto retraxi: antea: *infirmitatis*, ſenſu reprobante.

1. *Adeo nihil intereſt — annum.*] Olim menſe Decembri luxuria viguit, ſed nunc toto anno luxus regnat: itaque illo ingenti apparatu non opus eſt. *exuendam togam* et ſyntheſin. Martial. XIV, 1, 141. V, 80, 25. Sueton. Ner. 51. i. e. mollem eamque pretioſam veſtem, qua tempore Saturnalium induti eſſe ſolebant Romani. At bello civili, tempore periculoſo et calamitoſo togam pullam ſ. atram ſumere ſolebant, ideoque pullati ſ. atrati dicti. Cic. in Vat. 12. Sueton. Aug. 44. cf. Lipſii I Saturn. c. 2.

3 tia nec it, nec abducitur. Hoc multo fortius est, ebrio ac vomitante populo, siccum ac sobrium esse: illud temperatius, non excerpere se, nec insigniri, nec miscri omnibus: et eadem, sed non eodem modo, facere. Licet enim sine luxuria agere festum diem. Ceterum adeo mihi placet tentare animi tui firmitatem, ut ex praecepto magnorum virorum tibi quoque praecipiam: interponas aliquot dies, quibus contentus minimo ac viliſſimo cibo, dura atque horrida veſte,
4 dicas tibi: Hoc est quod timebatur? In ipsa securitate animus ad difficilia se praeparet, et contra iniurias fortunae inter beneficia firmetur. Miles in media pace decurrit sine ullo hoste, vallum iacit, et supervacuo labore lassatur, ut sufficere necessario possit. Quem in ipsa re trepidare nolueris, ante rem exerce. Hoc secuti sunt, qui omnibus mensibus paupertatem imitati, prope ad inopiam accesserunt, ne unquam
5 expaveſcerent, quod saepe didiciſſent. Non est nunc quod

3. *siccum*] Eodem fere modo Horat. Serm. I, 3, 5. at ipsis Saturnalibus huc fugisti sobrius. Iuvenal. Sat. VII, 96. Tunc par ingenio pretium, tunc utile multis pallere et vinum toto nescire Decembri. Cic. Acad. IV, 27. siccos et sanos coniungit. Quo spectat illud Heracliti celeberrimum: siccam animam esse sapientiſſimam et optimam. cf. Heynii Opuscul. acad. Vol. III, p. 96 sqq. *interponas aliquot dies.* Sic Pythagoras Stobaei Floril. XVII, p. 339 Schow.: Παντὸς καλοῦ κτήματος πόνος προηγεῖται ὁ κατ' ἐγκράτειαν. Socratem quoque eodem more usum esse patet e Xenoph. Memor. Socr. I, 2, 3. Plato Conviv. p. 266. Tom. X Bip.

4. *Miles in media pace decurrit*] i. in armis ordinem servans pleno passu incedit aut currit. Veget. I, 27. Lipsii Militia R. I, 5. *Hoc sequuti — didiciſſent.* Spectat hoc ad cultum Deae Nemesi ap. Romanos tribui solitum, Augusti saltem et insequenti tempore; quam quum superbiam deprimere et insolentiam hominum castigare crederent, veneratione et voluntaria humilitate statis diebus prosequuti sunt. Cf. Casaub. Anim. in Sueton. Aug. c. 91.

quod exiſtimes me ducere te ad [c] modicas coenas et pauperum cellas, et quidquid aliud eſt, per quod luxuria divitiarum taedio ludit. Grabatus ille verus ſit, et ſagum, et panis durus ac ſordidus. Hoc triduo et quatriduo fer, interdum pluribus diebus: ut non luſus ſit, ſed experimentum. Tunc mihi crede, Lucili, exſultabis, dupondio ſatur, et intelliges ad ſaturitatem non opus eſſe fortuna: hoc enim quod neceſſitati ſat eſt, debet etiam irata. Non eſt tamen, 6
quare tu multum tibi facere videaris: facies enim quod multa millia ſervorum, multa millia pauperum faciunt. Illo nomine te ſuſpice, quod facies non coactus. Tam facile erit tibi illud pati ſemper, quam aliquando experiri. Exerceamur ad palum: et ne imperatos fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securius divites erimus, ſi ſcierimus quam non ſit grave pauperes eſſe. Certos habebat dies ille magiſter vo- 7
luptatis Epicurus, quibus maligne famem exſtingueret: viſurus an aliquid deeſſet ex plena et conſummata voluptate, vel quantum deeſſet, et an dignum, quod

c. *modicas.* Hanc lectionem e quibusdam vett. libris ſumſit Muretus: Quae tamen ut ſincera ſit vereor. Codd. dant: *ducere te admoveas coenas; me dicere admoneas: me ducere te ut te moneam: me dicere admoveas coenas: dicere, an moneas coenas: me ducere admoneas coen.: me dicere te moneas coenas: me dicere Temoveas* c. unde Turnebus Adv. 24, 33. *Timoneas* fecit i. viliſſimas et ab reliquis hominibus prope damnatas. Lipſius emend. *ad medicas coenas.* Poſſis quoque ex Horat. III Carm. 29, 15 emendare: *ad mundas coenas.* Nullus enim dubito, quin Senecae haec ſcribenti illa Horatii ob ocu-

c. 91. p. 11 B. et Winckelmann Monum. antichi inediti T. I. p. 31, qui noſtri loci non immemor fuit.

5. *Non eſt — taedio ludit.*] Horat. III Carm. 29, 15. Mundaeque parvo ſub lare pauperum Coenae, ſine aulaeis et oſtro Sollicitam explicuere frontem.

Seneca ad Helviam XII, 2. *dupondio ſatur* i. duobus aſſibus. Lipſ.

6. *Exerceamur ad palum*] contra quem figura hominis praeditum pugnare debebant tirones. Iuvenal. VI, 246. Lipſius Milit. V.

quis magno labore penſaret. hoc certe in his epiſtolis ait, quas ſcripſit, Charino magiſtratu, ad Polyaenum. Et quidem gloriatur, non toto aſſe ſe paſci: Metrodorum, qui nondum tantum profecerit, toto.
8 [d]In hoc tu victu ſaturitatem putas eſſe? Et voluptas eſt. Voluptas autem, non illa levis et fugax, et ſubinde reficienda, ſed ſtabilis et certa. Non enim iucunda res eſt aqua et polenta, aut fruſtum hordeacei panis: ſed ſumma voluptas eſt, poſſe capere etiam ex his voluptatem, et ad id ſe reduxiſſe, quod eripere nulla fortunae iniquitas poſſit. Liberaliora ſunt alimenta carceris: ſepoſitos ad capitale ſupplicium, non
9 tam anguſte, qui occiſurus eſt, paſcit. Quanta eſt animi magnitudo, ad id ſua ſponte deſcendere, quod nec ad extrema quidem redactis timendum ſit? hoc eſt

los verſata ſint. Quae §. 7. ſequuntur verba: *Charino magiſtratu* ad temporis definitionem trahunt Interpp., idque recte. Sed nondum pervideo, cui bono haec a Seneca appoſita ſint: et plane otioſa ſunt. In ed. Eraſm. et veteri editione habetur: *Carino de Magiſtratu*. Si Epicurus in horto ſuo Rempublicam atque ideo magiſtratum habuiſſet, iocoſe haec a Seneca adiecta eſſe putarem.

d. *In hoc tu victu ſaturitatem putas eſſe? Non putas eſſe* praeſtant multi codd. et omnes edd. Sed omnes Gruteri cum Erf. et Heinſ. et Gronov. carent negandi particula. Idque multo elegantius. Vt plurimum concedas, inquit, dabis forſan hoc victu, et nihil ultra poſſe famem pelli? Atqui ſcito, non pelli tantum poſſe, ſed et iucunde pelli. Gronovius.

7. *Charino magiſtratu.*] Si haec lectio ſana eſt, recte explicat Muretus: „More graeco Χαρίνου ἄρχοντος. Ita enim annum et tempus illi notabant, ut Romani per Conſules.“ Enimvero de illo Archonte huius temporis ſilent Annales. cf. Lect. var. Sequentia quidem ap. Diogenem Laert. rel. non occurrunt: ſimilia tamen de continentia Epicuri, cf. Diog. Laert. X, 11 ib. Menag. qui huius loci non immemor fuit. Laudat Lipſius (Epicurum, dicere debuiſſet) Euſebium Stobaei Floril. Serm. XVII, p. 345 ſq. Schow. et Senecae Ep. CX. *non toto aſſe.* ὀβολόν in Graeco fuiſſe videtur. De diſcipulis Epicuri *Metrodoro* et *Polyaeno* cf. Fabric. Bibl. Graec. Vol. III, p. 607. 609 ed. Harl.

est praeoccupare tela fortunae. Incipe ergo, mi Lucili, sequi horum consuetudinem, et aliquos dies destina, quibus secedas a tuis rebus, minimoque te facias familiarem. Incipe cum paupertate habere commercium.

Aude, hospes, contemnere opes, et te quoque dignum
Finge Deo. ——

Nemo alius est Deo dignus, quam qui opes contem- 10
sit. quarum [e] possessionem tibi non interdico: sed efficere volo, ut illas intrepide possideas. quod uno consequeris modo, si te etiam sine illis beate victurum persuaseris tibi; si illas tanquam exituras semper adspexeris. Sed iam incipiamus epistolam complicare. Prius, inquis, redde quod debes. Delegabo tibi Epicurum: ab illo fiet numeratio. „Immodica ira gignit insaniam.“ Hoc quam verum sit, necesse est scias, quum habueris et servum, et inimicum. In omnes 11
personas hic exardescit affectus: tam ex amore nascitur, quam ex odio: non minus inter seria, quam inter lusus et iocos. Nec interest, ex quam magna causa nascatur, sed in qualem perveniat animum. Sic ignis non refert quam magnus, sed quo incidat. nam etiam maximum solida non receperunt: rursus arida, et corripi facilia, scintillam quoque fovent usque in incendium. Ita est, mi Lucili, ingentis irae exitus, furor est: et ideo ira vitanda est, non moderationis causa, sed sanitatis.

e. *possessionem* reposui e pluribus codd. ap. Gruter, et Gronov. Sic scribere Seneca solet, ut: interdicere cui quid praeferat τῷ interdicere cui qua re. Antea: *possessione.*

9. Versus hi magnificentissimi sunt Virgilii Aeneid. VIII, 364. 365.

10. Ad hoc Epicuri dictum alludit noster de Ira I, 1, 2. *delegabo* i. dabo eum tibi, ut pro me dependat.

EPISTOLA XIX.

Omittendas aut abiiciendas esse monet occupationes, et otium captandum, sed otium, non latebras. Nam satis diu in actu fuisse Lucilium, adiicit, ut recte otium praeferre possit, quod tamen non prorsus ab actu eum dimovere debeat. Hortatur itaque, ut ab aula et splendore abeat, quippe tumultus et fluctus suos habeant. Clausula ab Epicuro est: vide quibuscum mensa communices.

Exsulto quotiens epistolas tuas accipio. implent enim me bona spe: iam non promittunt de te, sed spondent. Ita fac, oro atque obsecro: quid enim habeo melius, quod amicum rogem, quam quod pro ipso rogaturus sum? si potes, subduc te istis occupationibus: si minus, eripe. Satis multum temporis sparsimus, incipiamus in senectute vasa colligere. Numquid invidiosum est? in freto viximus, moriamur in portu. Neque ego suaserim tibi nomen ex otio petere, quod nec iactare debes, nec abscondere. Nunquam enim usque eo te abigam, generis humani furore damnato, ut latebram tibi aliquam parari [a]et oblivionem velim. id age, ut otium tuum non emineat, sed appareat. Deinde videbunt de isto, quibus integra sunt et prima consilia, an velint vitam per obscurum transmittere: tibi liberum non est. In medium te protulit ingenii vigor, scriptorum elegantia, clarae et nobiles amicitiae: tanta notitia te invasit. [b]Vt in extre-

a. *et oblivionem.* Sic Erasm. vetus editio et plures codd. ap. Grut. Muretus autem et al. *ad oblivionem.* Mox *prima* reposui e Lipsii et Amploniano cod. h. e. eorum qui nondum genus vitae ingressi, quibus omnia adhuc libera sunt. Antea: *propria.*

b. *Vt in extrema* cum Gronov. e codd. praetuli, i. e. quamvis, licet.

1. *istis occupationibus*] quae Lucilium Siciliae procuratorem distinebant. Senectus enim adest, ut de morte cogitandum sit: quare adiicit: *vasa colligenda* esse, more militum castra moventium. Nec hoc nobis dedecori esse potest, quandoquidem satis diu in actu versati sumus.

trema mergaris, ac penitus condaris, tamen priora te monſtrabunt. tenebras habere non potes; ſequetur priſtinae lucis multum, quocunque fugeris. Quietem potes vindicare, ſine ullius odio, ſine deſiderio, aut morſu animi tui. Quid enim relinques, quo invitus relictum a te poſſis cogitare? clientes? quorum nemo te ipſum ſequitur, ſed aliquid ex te. Amicos? olim amicitia petebatur, nunc praeda. Mutabunt teſtamenta deſtituti ſenes? migrabit ad aliud limen ſalutator? non poteſt parvo res magna conſtare. Aeſtima utrum te relinquere, an aliquid ex tuis malis. Vtinam tibi quidem ſeneſcere contigiſſet intra natalium tuorum modum, nec te in altum fortuna miſiſſet! Tulit te longe a conſpectu vitae ſalubris rapida felicitas, provincia et procuratio, et quidquid ab iſtis promittitur: maiora deinde officia te excipient, et ex aliis alia. Quis exitus erit quid exſpectas, donec deſinas habere, quod cupias? Nunquam erit tempus. Qualem dicimus eſſe ſeriem cauſarum, ex quibus nectitur fatum, talem et cupiditatum: altera ex fine alterius naſcitur. In eam demiſſus es vitam, quae nunquam

4

5

 tibi

3. *quorum nemo — ſed aliquid ex te.*] nam patronus clientibus, quos mox *ſalutatores* vocat, ſalutantibus convivia (coenam rectam, i. lautam et opiparam) et ſportulas quae eduliis et Senecae tempore, nummis conſtabant. Sueton. Claud. 21. Iuvenal. I, 95. 120 etc. *nunc praeda*, utilitatis cauſſa amicitiam tuam petunt.

4. *deſtituti*,] ſpe et donis privati. *res magna* i. otium tuum. *modum* i. conditionem mediocrem, quam mox *vitam ſalubrem* vocat. *Procuratio.* Sicilia, quae erat provincia ſenatoria et popularis, ſ. publica, praeter proconſulem, habebat *procuratorem*, a principe miſſum, ad res fiſci curandas, ad publicos reditus colligendos, et ad ius dicendum in iis rebus, quae ad fiſcum ſpectarent; haec procuratio equitibus, quin etiam libertinis dari ſolebat: qua functis ad ampliores honores, quos §. 7. *urbana officia* appellat, aditus patebat. Cf. Dio Caſſ. LII, 25. LIII, 12. Sueton. Claud. 12. Tacit. Agricola c. IV.

tibi miseriarum terminum ac servitutis ipsa factura sit. Subduc cervicem iugo [c]tritam: semel illam incîdi,
6 quam semper premi, satius est. Si te ad privata retuleris, minora erunt omnia, sed affatim implebunt: at nunc plurima et undique ingesta non satiant. Vtrum autem mavis, ex inopia saturitatem, an in copia famem? Et avida felicitas est, et alienae aviditati exposita. Quamdiu tibi satis nihil fuerit, ipse aliis non
7 eris. Quomodo, inquis, exibo? utcunque. Cogita, quam multa temere pro pecunia, quam multa laborioſe pro honore tentaveris: aliquid et pro otio audendum est, aut in ista solicitudine procurationum, et deinde urbanorum officiorum, senescendum in tumultu, ac semper novis fluctibus, quos effugere nullâ modestiâ, nulla vitae quiete contingit. Quid enim ad rem pertinet, an tu quiescere velis? fortuna tua non vult. Quid si illi etiamnunc permiseris crescere? quantum
8 ad successum accesserit, accedet ad metum. Volo tibi hoc loco referre dictum Maecenatis, vera in ipso equuleo docuit. „Ipsa enim altitudo attonat summa.“ Si quaeris, in quo libro dixerit, in eo qui Prometheus

c. *tritam* e quatuor codd. recepit Gruterus: ap. Erasmum al. deerat.

6. *ipse aliis non eris*] tu tantum non habebis, quantum alii a te petant, ideoque iis non sufficies.

8. *Maecenatis vera in ipso equuleo d.*] i. e. ut opinor, quum ipse sua felicitate torqueretur. Fortassis etiam in equuleo eum fuisse dicit toto illo triennio ante mortem, quo dormire numquam potuit. Muretus. Cf. Epist. XCII, 32. CXIV, 4 sq. De Maecenate, qui a. V. C. DCCXLVI mortuus est, vid. Dio Cass. LV, 7. Senec. de Provid. III, 9 not. *Ipsa enim altitudo attonat summa* sc. loca. Sane quam tumide locum communem extulisse dicendus est: ipsi tumuli tonitrui expositi sunt. Sententia haec est antiquissima et saepe occurrit, v. c. ap. Herodot. I. unde Stobaeus Floril. Serm. XXII, p. 416 Schow. repetiit: Ὁρᾷς τὰ ὑπερέχοντα ζῷα ὡς κεραυνοῖ ὁ Θεὸς etc.

theus inſcribitur. hoc voluit dicere, attonita habet ſumma. Eſt ergo tanti ulla potentia, ut ſit tibi tam ebrius ſermo? Ingenioſus vir ille fuit, magnum ex- 9
emplum Romanae eloquentiae daturus, niſi illum enervaſſet felicitas, imo caſtraſſet. Hic te exitus manet, niſi iam contrahas vela, niſi (quod ille ſerio voluit) terram leges. Poteram tecum et hac Maecenatis ſententia parem facere rationem: ſed movebis mihi controverſiam, ſi te novi, nec voles, quod debeo, [d]in aſpero et probo accipere. Vt ſe res habet, ab Epicuro verſura facienda eſt. „Ante,“ inquit, „circum- 10
ſpiciendum eſt, cum quibus edas et bibas, quam quid edas et bibas.“ Nam ſine amico, viſceratio leonis ac lupi, vita eſt. Hoc non continget tibi, niſi feceſſeris: alioquin habebis convivas, quos ex turba ſalutantium nomenclator digeſſerit. Errat autem qui amicum in atrio quaerit, in convivio probat. Nullum habet maius malum occupatus homo, et bonis ſuis obſeſſus, quam quod amicos ſibi putat, quibus ipſe non

d. *in aſpero et probo accipere* h. e. in recenter cuſo, etſi bono nummo. Eraſmus, Turnebus Adverſ. XVIII, 28. Hotomann. de re nummar. c. 2 et Lipſius em. *niſi in aſpero et probo*, i. voles habere, ac requires aſperum Philoſophiae nummum, non fugientem ac tritam Maecenatis monetam. Sed *aſper nummus* ap. Sueton. Ner. XLIV eſt recens, nondum detritus: ſimul alluſum ad tumorem, qui Maecenatis dictionem obſidet: etiam trahi huc poteſt corruptio monetae novae iſto tempore. Opponitur moneta proba i. ſententia Epicuri.

9. *quod ille ſerio voluit*] refero ad continentiam, qua ſe geſſit erga Auguſti ſtudium in eum. Semper eques manſit, et usque ad mortem ſuam amicus Auguſti, quem adeo heredem ſcripſit. cf. Dio Caſſ. l. l. *verſura facienda eſt* i. mutuari debemus.

10. Dictum hoc Epicuri alibi, quod ſciam, non occurrit. *Viſceratio* h. l. diviſio carnium parum amica. cf. Ep. LXXIII, 8. *Ex turba ſalutantium*, quibus coena, officiorum velut merces eſt. Apparet autem, a nomenclatore (ſervo) qui obſervabat electos, et vocatori indicatos vel officioſos maxime, vel quorum ordo iam eſſet. Lipſius.

est: quod beneficia sua efficacia iudicat ad conciliandos amicos, quum quidam, quo plus debent, magis oderint. Leve aes alienum debitorem facit, grave inimicum. Quid ergo? beneficia non parant amicitias? parant, si accepturos licuit eligere; si collata, non sparsa sunt. Itaque dum incipis esse mentis tuae, interim hoc consilio sapientum utere, ut magis ad rem existimes pertinere, quis, quam quid acceperit.

EPISTOLA XX.

Quum Lucilius scripsisset, se profectus suos intelligere, ostendit Seneca gaudium suum, monetque, Philosophiam in factis, non in verbis esse, itaque ad illa esse eundum, et quidem constanter. Nam sapientia est convenientia et tenor unus voluntatum et vitae. Hinc paupertas etiam non timenda est, nec divitiae, si adsint, amandae. Redit monitio, pauperem certis diebus agere et imitari. Cf. Ep. XVI.

Haec Epistola etiam eo nomine insignior est, quod de summo ethices principio s. de fine bonorum secundum Stoae praecepta in ea optime exposita videmus. Stoici enim docebant, ad unam regulam esse vitam exaequandam (καθ' ἕνα λόγον καὶ συμφώνως δεῖ ζῆν. Stob. Ecl. ethic. p. 171 Cant.).

Si vales, et te dignum putas, qui aliquando fias tuus, gaudeo; mea enim gloria erit, si te istinc, ubi fine spe exeundi fluctuaris, extraxero. Illud autem, mi Lucili, te rogo atque hortor, ut philosophiam in praecordia ima demittas, et experimentum tui profectus capias, non oratione, nec scripto: sed animi firmitate, et cupiditatum deminutione. Verba rebus proba. Aliud propositum est declamantibus, et assensionem

11. *quod beneficia — oderint.*] Idem observat Tacit. Annal. IV, 18 med. ubi Lipsius nostrum locum attulit. De Benef. VI, 34. *grave inimicum.* cf. de Benef. II, 24.

1, *Aliud — aliud — detinet*] Nam illi vel suasorias, vel dis-

ſionem coronae captantibus, aliud his, [a]qui iuvenum et otioſorum aures disputatione varia aut volubili detinent. Facere docet philoſophia, non dicere: et 2
hoc exigit, ut ad legem ſuam quisque vivat, ne orationi vita diſſentiat, ut ipſa inter ſe vita unius, ſine actionum diſſenſione, coloris ſit. Maximum hoc eſt et officium ſapientiae, et indicium, ut verbis opera concordent, ut et ipſe ubique par ſibi idemque ſit. Quis hoc praeſtabit? pauci, aliqui tamen. Eſt difficile hoc: [b]nec hoc dico, ſapientem ſemper uno iturum gradu, ſed una via. Obſerva itaque, numquid 3
veſtis tua domusque diſſentiant: numquid in te liberalis ſis, in tuos ſordidus: numquid coenes frugaliter, aedifices luxurioſe. Vnam ſemel, ad quam vivas, regulam prende, et ad hanc omnem vitam tuam exaequa. Quidam ſe domi contrahunt, dilatant foris et extendunt. Vitium eſt haec diverſitas, et ſignum vacillantis animi, ac nondum habentis tenorem ſuum.

Etiam-

a. *qui iuvenum et otioſorum.* Sic Eraſmus, Pinciànus et Gruter. in quinque ſuis codd. invenit. *Occiſorum* nonnullos libros obſidet. *Nos qui iuv.* Grut. in V. ſuis invenit et approbavit. Mox §. 2 emendo: *ut et ipſe ubique par tibi idemque ſis.*

b. *nec hoc dico.* Hanc ms. lectionem illibatam retinendam docet Gronov. Pronomen illud antea deerat in edd. Eſt autem pleonaſmus ille pronominis uſitatus antiquis. Cf. Epiſt. LXVI, 17. Hoc nobis etc. XCI, 2. Nat. Qu. II, 26. Nec hoc dico etc.

diſſuaſorias orationes habebant coram populo, ut laude *coronae* i. auditorum circumſtantium potirentur: hi in ſcholis tamquam rhetores vel alibi ſcripta ſua e. c. orationes, poemata etc. publice praelegebant. Illi his conaminibus ſuis verba et profeſſionem ſuam probant, hi *detinent*, delectantes tempus fallunt.

2. *Facere docet philoſophia.*] Satis appoſite laudat Lipſius Epictetum Arrian. Diſſ. III, 21. Iam inde ab eo tempore, quum philoſophari inciperent homines, huius ſententiae praeſtantiam intellexerunt: quod videre eſt vel ex ſeptem ſapientum dictis, ex iis quae de Socrate traduntur etc. *ut et ipſe* ſc. ſapiens. *nec hoc dico — via.* Et in hoc recedit a Stoicorum definitione ſapientis notiſſima.

Etiamnunc dicam, unde ſit iſta inconſtantia, et diſſi-
4 militudo rerum conſiliorumque? Nemo proponit ſibi quid velit, nec ſi propoſuit, perſeverat in eo, ſed tranſilit: nec tantum mutat, ſed redit, et in ea quae deſeruit ac damnavit, revolvitur. Itaque ut relinquam definitiones ſapientiae veteres, et totum complectar humanae vitae modum, hac poſſum contentus eſſe. Quid eſt ſapientia? Semper idem velle atque idem
5 nolle. Licet illam exceptiunculam non adiicias, ut rectum ſit quod velis. Non poteſt cuiquam ſemper idem placere, niſi rectum. Neſciunt ergo homines quid velint, niſi illo momento, quo volunt. in totum, nulli velle aut nolle decretum eſt. Variatur quotidie iudicium, et in contrarium vertitur: ac plerisque agi-
6 tur vita per luſum. Preme ergo quod coepiſti; et fortaſſe perduceris aut ad ſummum, aut eo quod ſummum nondum eſſe ſolus intelligas. Quid fiet, inquis, huic [c] turbae familiari? Turba iſta quum a te paſci deſierit, ipſa ſe paſcet, aut quod tu beneficio tuo non potes ſcire, paupertatis ſcies. Illa veros certosque amicos retinebit: discedet quisquis non te, ſed aliud ſequebatur. Non eſt autem vel ob hoc unum aman-
7 da paupertas, quod, a quibus ameris, oſtendit? O quando ille veniet dies, quo nemo in honorem tuum mentiatur? Huc ergo cogitationes tuae tendant, hoc cura,

c. *turbae familiari.* Sic quatuor Palatini, et Gronov. ad Senec. de Ira III, 8, 2. legendum monet. Mali correctores fecerunt: *familiarium*, aut alium centunculum addiderunt. Cf. Ep. XXIV, 13. ubi *frementem* vera lectio eſt, CXIV, 12. M. Senec. Controv. III. Interdum tamen noſter hanc regulam migravit e. c. Ep. XXXII, 1. ſollicitantium turba.

4. Cauſſas huius inconſtantiae leviter perſtringit. Reliqua bene cohaerent cum propoſito: quum enim §. 2. de officiis et indiciis ſapientiae dixiſſet, addit recte definitionem, quam Zenonis eſſe convenientiam (ὁμολογίαν) uberrime docet Lipſius II Manud. Diſ. 15. cf. Tiedemann. Syſtem der ſtoiſch. Philoſ. Vol. III, p. 76 ſq.

cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remissurus, ut contentus sis temetipso et ex te nascentibus bonis. Quae potest esse felicitas Deo propior? Redige te ad parva, ex quibus cadere non possis: idque ut libentius facias, ad hoc pertinebit tributum epistolae huius, quod statim conferam. Invideas licet: etiamnunc li- 8
benter pro me dependet Epicurus. „Magnificentior, mihi crede, sermo tuus in grabato videbitur et in panno. non enim dicentur tantum illa, sed probabuntur.“ Ego certe aliter audio quae dicit Demetrius noster, quum illum vidi nudum, quanto minus quam stramentis incubantem? [d]non praeceptor veri, sed testis est. Quid ergo? non licet divitias in sinu positas contemnere? Quid ni liceat? et ille ingentis ani- 9
mi est, qui illas circumfusas sibi, multum diuque miratus, quod ad se venerint, ridet, suasque audit magis esse quam sentit. Multum est, non corrumpi divitiarum contubernio. Magnus est ille qui in divitiis pauper est: sed securior, qui caret divitiis. „Nescio,“ inquis, „quomodo iste paupertatem laturus sit, si in illam inciderit.“ [e]Nec ego Epicuri angelus scio, an pau-

d. *non praeceptor.* Sic Erasm. et codd. Antea: *tunc enim praec.*
e. *Nec ego Epicuri angelus scio.* Omnium fere codd. et edd. lectio, nec improbanda. Sensus bonus: Nec ego, qui tibi tam saepe

8. Haec verba Epicuri ex epistola quadam nunc deperdita desumta esse videntur. *Demetrius* nobilis isto tempore Cynicus. Cf. de Provid. III, 3 not. de Vita beat. XVIII, 3. Posteaquam vidi illum vitam pauperrimam degere; ea quae dixit scripsitque nunc aliter audio, legoque. Egregia autem Demetrii scripta fuisse; videbis quoque e Stobaei Flor. p. 213 Schow. *Stramentis.* Lipsius explicat de tomento Circensi fracto et stramento diffluente: male, nam tomentum illud Circense ex arundinibus, s. farturis veteris lini, s. concisa palude constabat. Vide Senec. de Vita beat. XXV, 2. ubi nota ex his corrigatur. Cf. I. F. Gronovii Obss. IV, 22. p. 776 sq. ed. Lipsi., ubi de Circensi tomento egregie egit.

9. *Nec ego Epicuri angelus*] cf. lect. var.

pauper iſte contemturus ſit divitias, ſi in illas incide-
10 rit. Itaque in utroque mens aeſtimanda eſt, inſpici-
endumque, an ille paupertati indulgeat, an hic divi-
tiis non indulgeat. Alioquin leve argumentum eſt bo-
nae voluntatis grabatus, aut pannus, niſi apparuit ali-
quem illa non neceſſitate pati, ſed malle. Ceterum
magnae indolis eſt, ad iſta non properare tanquam ad
meliora, ſed praeparare tanquam ad facilia. Et ſunt,
Lucili, facilia: quum vero multo ante meditatus ac-
11 ceſſeris, iucunda quoque. Ineſt enim illis, ſine qua
nihil eſt iucundum, ſecuritas. Neceſſarium ergo iu-
dico id, quod tibi ſcripſi magnos viros ſaepe feciſſe,
aliquos dies interponere, quibus nos imaginaria pau-
pertate exerceamus ad veram: quod eo magis facien-
dum eſt, quod deliciis permaduimus, et omnia dura
ac difficilia iudicamus. Potius excitandus e ſomno,
et vellicandus eſt animus, admonendusque naturam no-
bis minimum conſtituiſſe. Nemo naſcitur dives. quis-
quis exit in lucem, iuſſus eſt lacte et panno eſſe con-
tentus. ab his initiis nos regna non capiunt.

EPISTOLA XXI.

*Conqueſto Lucilio, ſibi quosdam homines multa negocia faceſſere, ideo-
que moleſtias creare, reſpondet Seneca, illum, qui ei vel maxime
moleſtus ſit, eſſe ipſum Lucilium, quippe qui non patiatur, ut in
ſecu-*

Epicuri dicta annuncio, et modo illud (§. 8.) attuli, ſcio, an pauper iſte, de quo Epicurus loquitur, contemturus ſit etc. Facete autem ſe Epicuri angelum, nuntium appellat. Aberrationes librariorum *aemulus*, angelus facile exſpectaveris. Pincianus ex ms. ſuis emendat: *nec ſcio, inquit Epicurus, ſi iſte pauper* etc., quocum facit Lipſius. Stephanus autem Epiſt. ad Dalechamp. 13 emendat *amiculus*, ut ſit deminutivum ab: amicus. Sed equidem opinor emendatione locum hunc non egere.

10. *meditatus*] i. exercitus praeparatione iſta.

11. *Neceſſarium ergo iudico — interponere.*] Cf. Epiſt. XVIII, 3.

ſecuriorem vitam transeat, metuens ne obſcurus ſiat. Quae quidem redarguens, probatum it, philoſophiae eum et ſtudiis literarum in vera luce poſitum iri, operibus contra fortunae mox evaneſcentibus. Hoc demonſtrat exemplis ſatis luculentis. Quid, quod noſter quaſi vaticinans promittit, ſe Lucilium in poſteritatem ſecum eſſe reportaturum. Quod quam vere vaticinatus ſit, vel inde colligi poteſt, quod niſi Seneca Lucilii gloriam praedicaſſet, nullum eius veſtigium certum amplius exſtaret. Nam quod Lucilio tribuitur poema Aetna inſcriptum, coniecturis magis, quamvis ingenioſis et eruditis, quam fide hiſtorica certa ei adſcribitur.

Ceterum multos in Antiquitate laudatores nacta ſunt ſtudia literarum, e quibus Theocrit. XVI, 48—57. Horat. IV Carm. 8, 13—20. Diod. Sicul. II, p. 556 hic notaſſe ſufficiat. — Clauſula eſt Epicuri ſententia ex Epiſtola ad Idomeneа amicum nunc deperdita: ut divitias augeas, cupiditates minue. Etiamnunc graece exſtat haec ſententia ap. Stobaeum Floril. Serm. XVII, p. 346 Schow. Ἐπικούρου· Ἐπικοῦρος ἐρωτηθεὶς, πῶς ἄν τις πλουτήσειεν; Οὐ τοῖς οὖσι προστιθεὶς, ἔφη, τῆς δὲ χρείας τὰ πολλὰ περιτέμνων. *Quae quidem non ex ipſo fonte, quo uſus eſt Seneca, ſed ex collectione quadam apophthegmatum, quae multae in antiquitate fuiſſe videntur, deſumſiſſe Stobaeum, obiter moneo.*

Cum iſtis negotium tibi eſſe iudicas, de quibus ſcripſeras? maximum negotium tecum habes: tu tibi moleſtus es. Quid velis neſcis: melius probas honeſta, quam ſequeris. vides ubi ſit poſita felicitas, ſed ad illam pervenire non audes. Quid ſit autem quod te impediat, quia parum ipſe diſpicis, dicam. Magna haec eſſe exiſtimas, quae relicturus es: et quum propoſuiſti tibi illam ſecuritatem, ad quam transiturus es, retinet te huius vitae, a qua receſſurus es, fulgor, tanquam in ſordida et obſcura caſurum. Erras, Lucili: ex hac vita ad illam aſcenditur. Quod intereſt inter ſplendorem et lucem, quum haec certam originem habeat ac ſuam, ille niteat alieno: hoc inter hanc vitam, et illam. Haec, quia fulgore extrinſecus

1. *ſecuritatem*] illam vitam dicit, quae caret divitiis. Cf. Ep. XX, 9.

2. *ad illam*] ſc. philoſophiae dedicatam: de qua vide noſtri praefat. ad I Nat. Qu.

cus veniente percussa est, crassam illi statim umbram faciet quisquis obstiterit: illa vero suo lumine illustris
3 est. Studia te tua clarum et nobilem efficient. Exemplum Epicuri referam. quum Idomeneo scriberet, et illum a vita speciosa ad fidelem stabilemque gloriam revocaret, [a]rigidae tunc potentiae ministrum, et magna tractantem: „Si gloria," inquit, „tangeris, notiorem te epistolae meae facient, quam omnia ista quae
4 colis, et propter quae coleris." Numquid ergo mentitus est? quis Idomenea nosset, nisi Epicurus illum suis literis incîdisset? Omnes illos megistanas et satrapas, et regem ipsum, ex quo Idomenei titulus petebatur, oblivio alta suppressit. Nomen Attici perire Ciceronis epistolae non sinunt. nihil illi profuisset gener Agrippa, et Tiberius progener, et Drusus Caesar pronepos: inter tam magna nomina taceretur, nisi Cicero

a. *rigidae.* Omnium codd. et edd. lectio est: quam tamen Lipsius Epistolicarum Quaest. V. (Opp. Tom. I, p. 321) reiicit, reposito e sola coniectura: *regiae*, collat. de Benef. II, 5. Quales regiae potentiae ministri sunt. Sed *rigidae* i. tyrannicae bene habet. Mox *incidisset* habet, nec opus est, ut mutemus in: *indidisset*, quod nonnulli codd. dant, aut *insigniisset*, quod Gruter. proposuit.

3. *Idomeneo*] Fuit is Lampsacenus, vir doctus, cuius liber de viris claris saepe a Plutarcho aliisque laudatur. Epicuri soror Batis eius uxor fuisse traditur ap. Diog. Laert. X, 23. cf. Ionsius II, 1, 4 p. 140 sq. ed. Dorn.

4. *Numquid — incidisset?*] Straboni tamen aliisque memoratur propter eius scripta satis celebria. *Megistanas*, magnates. Suidas: Μεγιστάνες, οἱ τοῦ βασιλέως περίβλεπτοι ὑπ' ἐξουσίᾳ, Megistanes conspicui apud Regem (Persarum) ob potentiam: et Satrapae proprie regionum praefecti. Lipsius. Caecilius *Atticus* eques Rom., cuius vitam a Corn. Nepote scriptam num Senecae et Suetonio, a quibus non memoratur, incognitam aut non magni factam fuisse statuamus? Eius filiam Pomponiam duxit M. Agrippa (Corn. Nepos c. XII vit. Attici.), neptem Agrippinam Tiberius, cuius filius Drusus Caesar fuit. cf. Sueton. Tib. c. VII.

Cicero illum [b]applicuiſſet. Profunda ſupra nos altitudo temporis veniet, pauca ingenia caput exſerent, et in idem quandoque ſilentium abitura oblivioni reſiſtent, ac ſe diu vindicabunt. Quod Epicurus amico ſuo potuit promittere, hoc tibi promitto, Lucili. Habeo apud poſteros gratiam, poſſum mecum duratura nomina educere. Virgilius noſter duobus memoriam aeternam promiſit, et praeſtat: 5

Fortunati ambo, ſi quid mea carmina poſſunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet aevo:
Dum domus Aeneae Capitoli immobile ſaxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.

Quoscunque in medium fortuna protulit, quicunque membra ac partes alienae potentiae fuerant, horum gratia viguit, domus frequentata eſt, dum ipſi ſteterunt: poſt ipſos cito memoria defecit. Ingeniorum creſcit dignatio: nec ipſis tantum honor habetur, ſed quidquid illorum memoriae adhaeſit, excipitur. Ne gratis Idomeneus in epiſtolam meam venerit, ipſe eam de ſuo redimet. Ad hunc Epicurus illam nobilem ſententiam ſcripſit, qua hortatur, ut Pythoclea locupletem 6 7

b. *applicuiſſet* i. ſibi et famae ſuae iunxiſſet. Antiqua lectio, quam Muretus mutavit in: *aperuiſſet*, quod etiam bene ſtare poſſet, etſi Gruter. barbaram hanc phraſin eſſe male putat.

5. *Quod Epicurus — promitto — educere.*] Vere vaticinatus eſt: quod aliis antiquitatis ſcriptoribus idem de ſe ſperantibus accidiſſe, nos gratulamur, e. c. Horat. II Carm. 20, 27 ſq. Quae tamen fortuna multis quamvis ſatis calide de ſe vaticinatis non affulſit, ut Ennio (ap. Cic. Tuſc. Disp. I, 16. Nemo me lacrimis decoret, nec funera fletu Faxit. cur? volito vivo' per ora virum) et Cordo Cremutio ap. noſtrum in Conſolat. ad Marc. I, 4 aliisque. Splendidiſſimum Virgilii epiphonema exſtat in Aeneid. IX, 446 ſq.

7. *Ad hunc — detrahendum eſt.*] Cf. Argumentum.

tem non publicâ, nec ancipiti via faciat. „Si vis,“ inquit, „Pythoclea divitem facere, non pecuniae adiiciendum, sed cupiditatibus detrahendum est.“ Et apertior ista sententia est, quam ut interpretanda sit, et disertior quam ut adiuvanda. Hoc unum te admoneo, ne istud tantum existimes de divitiis dictum: quocun-
8 que transtuleris, idem poterit. Si vis Pythoclea honestum facere, non honoribus adiiciendum est, sed cupiditatibus detrahendum. Si vis Pythoclea esse in perpetua voluptate, non voluptatibus adiiciendum est, sed cupiditatibus detrahendum. Si vis Pythoclea senem facere, et implere vitam, non annis adiiciendum est, sed cupiditatibus detrahendum. Has voces non est,
9 quod Epicuri esse iudices; publicae sunt. Quod fieri in senatu solet, faciendum ego in philosophia quoque existimo. quum censuit aliquis, quod ex parte mihi placeat: iubeo illum dividere sententiam, et sequor. Eo libentius Epicuri egregia dicta commemoro, ut istis, qui ad illa confugient, spe mala inducti, qui velamentum seipsos suorum vitiorum habituros existimant, probem, quocunque ierint, honeste esse viven-

Pythocles amicus iunior fuit Epicuri et discipulus, qui Idomeneo commendatus esse videtur ab Epicuro. Vide Diog. Laert. X, 5. 6.

8. *publicae sunt*] i. e. cuique Philosophiae sunt communes, κοιναὶ ἔννοιαι, ut stoice loquar. Sic paullo ante §. 7. publica via. cf. Ep. III, 1. Haec et similia ex ista ipsa causa a Stob. Floril. Serm. X, p. 286. 288 sq. Socrati, Platoni aliisque philosophis tribuuntur.

9. *Quod fieri — sequor.*] Hic et alibi noster declarat, se nulli sectae philosophicae tam serviliter adhaerescere, uti de Epicureis in verba magistri quasi iurantibus notum est. Qua in perseveratione similitudine hac uti amat. Cf. Senec. de Vita beat. III, 2. not. *ad illa* dogmata Epicuri et ea male intellecta, *honeste* esse vivendum. Frequentissimum Epicuri initium literarum erat: σπουδαίως ζῆν ἄριστον. Diogen. Laert. X, 14.

vendum. Quum adierint hos hortulos, et inſcriptum 10
hortulis: „Hoſpes hic bene manebis, hic ſummum
bonum voluptas eſt;“ paratus erit iſtius domicilii cu-
ſtos, hoſpitalis, humanus, et te polentâ excipiet,
et aquam quoque large miniſtrabit, et dicet: Ecquid
bene acceptus es? Non irritant, [c] inquit, hi hortuli
famem ſed exſtinguunt: nec maiorem ipſis potionibus
ſitim faciunt, ſed naturali et gratuito remedio ſedant.
In hac voluptate conſenui: de his tecum deſideriis lo- 11
quor, quae conſolationem non recipiunt, quibus dan-
dum eſt aliquid ut deſinant. Nam de illis extraordi-
nariis, quae licet differre, licet caſtigare et opprime-
re, hoc unum commonefaciam: Iſta voluptas natura-
lis eſt, non neceſſaria: huic nihil debes. ſi quid
impendis, voluntarium eſt. Venter praecepta non
audit, poſcit, appellat. non eſt tamen moleſtus cre-
ditor, parvo dimittitur: ſi modo das illi quod debes,
non quod potes.

c. *inquit* ſc. iſtius domicilii cuſtos Epicurus. Eraſmi editio et Gruteri quatuor membranae cuſtodiunt voculam *inquit*, quam Grutero probante in textum reduxi, vulgato: *inquam* eliminato.

10. *Quum adierint hos hortulos.*] In horto octoginta minis comparato et Athenis ipſis (Plin. H. N. XIX, 4. a Brucker. Hiſt. crit. Phil. Vol. I, p. 1233 allato auctore) ſito cum amicis beate vixit Epicurus, eumque in teſtamento ſucceſſori ſcholae ſuae tradidit. Diog. Laert. X, 17. Hinc eius philoſophia κῆπος, hortus, ἡ ἐν τῷ κήπῳ διατριβή, et Epicurei οἱ ἀπὸ τ. ἐκ τῶν κήπων, κηπολόγοι, appellari ſolebant, quinetiam Epicureus Apollodorus ὁ Κυποτύραννος. cf. Brucker l. l. p. 1233 not. e. Cic. ad Attic. II Epp. 24. Diog. Laert. X, 10. 25. ibiq. Menag. Senec. Ep. IV, 8. *polenta et aqua.* Saepe huius frugalitatis vere philoſophicae fit mentio apud auctores, qui de Epicuro loquuntur. Μάζα ſ. ἀρτὸς λιτὸς, καὶ ὕδωρ eadem de re occurrunt ap. Diog. Laert. X, 11 et 131. Aelianus Stobaei Floril. Serm. p. 343. Senec. Ep. XVIII, 8. Cf. Brucker l. l. p. 1234 ſq. qui noſtrum locum non praetermiſit.

EPISTOLA XXII.

Lucilium de moleſtiis acerbiſſimis, quas ſibi procuratio Siciliae creet, literis ad Senecam miſſis, conqueſtum, nec quomodo ex his officiis et difficultatibus emergat habentem, monet Seneca, ut ipſe diſpiciat occaſionem elabendi, eaque optime utatur, vel cum dispendio vitae. Sed haec circumſpectio fiat tranquillo animo, nec ulla occupationum praemii ratione habita. Quod conſilium ut confirmet, offert quaedam ex epiſtola Epicuri ad Idomeneа, miniſtrum regis alicuius, cui easdem moleſtias conqueſto idem conſilium dederat. Adhaec viri fortis eſt, non cedere oneri, ſed ipſa rerum difficultate illectum vires ſuas experiri. Clauſula eſt ab Epicuro: omnes exire pueros e vita i. verae vitae ignaros.

Iam [a] intelligis educendum eſſe te ex iſtis occupationibus, ſpecioſis et malis: ſed quomodo id conſequi poſſis, quaeris. Quaedam non niſi a praeſente monſtrantur. Non poteſt medicus per epiſtolas, cibi aut balnei tempus eligere: vena tangenda eſt. Vetus proverbium eſt: „Gladiatorem in arena capere conſilium.“ Aliquid adverſarii vultus, aliquid manus mota, aliquid ipſa inclinatio corporis, intuentem monet. Quid fieri ſoleat, quid oporteat, in univerſum et mandari poteſt, et ſcribi: tale conſilium non tantum abſentibus, ſed etiam poſteris datur.
2 illud alterum, quando fieri debeat, aut quemadmodum, ex longinquo nemo ſuadebit: cum rebus ipſis deliberandum eſt. Non tantum praeſentis, ſed vigilantis eſt, occaſionem obſervare properantem. Itaque hanc circumſpice: hanc ſi videris, prende: et toto impetu, totis viribus id age, ut te iſtis officiis exuas. Et quidem quam ſententiam feram, attende. Cenſeo, aut ex iſtâ vita tibi, aut e vita exeundum. Sed illud idem exiſtimo, leni eundum viâ: ut quod male implicui-

a. *intelligis* proba lectio. Lipſii et aliae inſequutae edd. habebant falſo *intelligas*.

1. *Vetus proverbium eſt — conſilium.*] Cf. Eraſmi Adag. 1647.

2. *ut quod male implicuiſti.*] Ipſum Lucilium auctorem huius conditionis, quam queritur, fuiſſe

plicuiſti, ſolvas potius quam abrumpas. dummodo, ſi alia ſolvendi ratio non erit, vel abrumpas. Nemo 3
tam timidus eſt, ut malit ſemper pendere, quam ſemel cadere. Interim, quod primum eſt, impedire te noli: contentus eſto negotiis, in quae deſcendiſti, [b] vel quod videri mavis, incidiſti. Non eſt, quod ad ulteriora nitaris: aut perdes excuſationem, et apparebit te non incidiſſe. Iſta enim quae dici ſolent, falſa ſunt: Non potui aliter. Quid ſi nollem? ne- 4
ceſſe erat. Nulli neceſſe eſt, felicitatem curſu ſequi: eſt aliquid, etiam ſi non repugnare, ſubſiſtere, nec inſtare fortunae ferenti. Numquid offenderis, ſi in conſilium non venio tantum, ſed advoco? et quidem prudentiores quam ipſe ſum, ad quos ſoleo referre, ſi quid delibero. Epicuri epiſtolam ad hanc rem pertinentem legi, Idomeneo quae ſcribitur. quem rogat, ut quantum poteſt fugiat et properet, antequam aliqua vis maior interveniat, et auferat libertatem recedendi. Idem tamen ſubiicit, nihil eſſe tentandum, niſi quum 5
apte poterit tempeſtiveque tentari: ſed quum illud tempus diu captatum venerit, exſiliendum ait. Dormita-

b. vel quod videri mavis. Sic dant nonnulli codd. ap. Grut. Lipſius, quem Muretus ſequutus eſſe videtur, Elect. I, c. 16 (Opp. tom. I. p. 401) ingenioſe emendaverat, vulgata reprobata: *vel quod videri poteſt maius.*

fuiſſe neceſſe eſt, etſi caſu in eam deveniſſe videri voluit. Sed quonam modo id evenerit, dicere non habemus.

3. *Semper pendere*] Lipſius laudat Homer. Il. o. 511. 512. unde tamen parum proficias. *Non eſt, quod ad ulteriora* ſ. munera, honores.

4. *felicitatem*] quam multitudo hominum pro vera et ſincera habere ſolet. Enimvero id iam laudi eſt, pergit, non dico, ſi ei repugnaveris; nam hoc indicium magni animi eſſe poteſt, ſed ſi tamen ſubſiſtas, nec *fortunae ferenti* i. ſecundae, te abripienti in faſtigium, *inſtes*, ſtudioſe eam ſequaris. Epicuri epiſtolam ad Idomenea deperditam eſſe, iam ad priorem epiſtolam §. 3. et in Argum. declaravi.

re de fuga cogitantem vetat, et ſperat etiam ex difficillimis ſalutarem exitum, ſi nec properemus ante tempus, nec ceſſemus in tempore. Puto nunc et Stoicam ſententiam quaeris. non eſt quod quisquam illos apud te temeritatis infamet: cautiores quam fortiores ſunt. Exſpectas forſitan, ut tibi haec dicantur: turpe eſt cedere oneri: luctare cum officio, quod ſemel recepiſti: non eſt vir fortis et ſtrenuus, qui laborem fugit; [c] creſcit illi animus ipſa rerum difficultate? Dicentur tibi iſta, ſi operae pretium habebit perſeverantia, ſi nihil indignum bono viro faciendum patiendumve erit: alioquin ſordido ſe et contumelioſo labore non conteret, nec in negotiis erit negotii cauſa. Ne illud quidem, quod exiſtimas eum facturum, faciet, ut ambitioſis rebus implicitus, earum ſemper aeſtus ferat. Sed quum viderit brevia, in

c. *creſcit illi animus.* Hanc lectionem Col. codex, optimus, ut puto, Gruterianorum, praeſtat, quam vulgatae. Eraſmus autem habet: *verum ubi creſcit.* Antiqua editio *verum eſt, ubi cr.* Codex Norimb. *fugit niſi cr.* quam lectionem et Modius Novantiq. lect. Ep. 127. ex membranis ſuis affert. *Verum ibi* ap. Lipſium et ſequentes eſt typographorum vitium. Noſtra lectio Senecae abrupta loquendi ratione dignior eſt: nihil enim ei eſt magis uſitatum, quam tales particulas adverſativas omittere. Cf. Ep. XXIII, 3. XLVII, 5. LXVI, 12. de Benef. III, 15.

5. *in tempore*] ſc. opportuno. Cf. Drakenborch. ad Liv. VIII, 7. §. 5. Tom. II, p. 674. et ad Sil. Ital. XI, 8. ubi plena manu exempla huius ſignificationis attulit. *Puto nunc et Stoicam ſententiam* etc. cf. Diog. Laert. VII, 116 et loca innumera veterum auctorum e. c. Ciceronis, de fortitudine, quae cum prudentia aliisque virtutibus coniuncta eſſe debet. Hinc noſter cautiores eos vocat, quoniam mala devitanda docent, nec tamen pugnam cum iis detrectandam, ſi quando inciderit. Sequentia tria praecepta ſtoica ſunt diſertiora quam ulla interpretatione egeant.

6. *bono viro*] i. ſapienti, ἐναρέτῳ Stoico. *nec in negotiis — cauſa* niſi honeſtum et utilitas hominum conſequatur.

7. *Sed quum — tutum*] metaphora a navigatione deſumta:

in quibus volutatur, incerta, ancipitia: repetet pedem, nec vertet terga; sed sensim recedet in tutum. Facile est autem, mi Lucili, occupationes evadere, si occupationum pretia contemseris. Illa sunt, quae nos morantur et detinent. Quid ergo? tam longas spes relinquam? ab ipsa messe discedam? nudum erit latus? incomitata lectica? atrium vacuum? Ab his 8
ergo inviti homines recedunt, et mercedem miseriarum amant, ipsas execrantur. Sic de ambitione, quomodo de amica queruntur: id est, si verum affectum eorum inspicias, non oderunt, sed litigant. Excute istos, qui quae cupiere, deplorant, et de earum rerum loquuntur fuga, quibus carere non possunt: videbis voluntariam esse illis in eo moram, quod aegre ferre ipsos et misere, loquuntur. Ita est, mi 9
Lucili, paucos servitus, plures servitutem tenent. Sed si deponere illam in animo est, et libertas bona fide placuit: in hoc autem unum advocationem petis, ut sine perpetua solicitudine id tibi facere contingat: quidni te tota cohors Stoicorum probatura sit? Omnes Zenones et Chrysippi moderata, et honesta, et vera suadebunt. Sed si propter hoc tergiversaris, ut circumspicias, quantum feras tecum, et quam magnâ pecuniâ instruas otium: nunquam exitum invenies. Nemo cum sarcinis enatat. Emerge ad meliorem vitam, 10
propitiis diis; sed non sic, quomodo istis propitii sunt, quibus bono ac benigno vultu mala magnifica tribuerunt: [d]ad hoc unum excusati, quod ista quae

d. *ad hoc unum.* Sic Veteres omnes. Lipsius emendat: *ab hoc uno.* Muretus: *hoc uno.* Gronov. egregie *ob hoc unum*, laudans Ep. 74: nam brevia sunt loca vadosa et arenosa, uti apud Virgil. Aen. I, 111. *nudum — vacuum.* Ad fastum spectat satis notum, quo potentiores Romani gaudebant, ut deducerentur et salutarentur a clientibus amicisque.

9. *advocationem petis*] i. moram interponis ad deliberandum.

urunt, quae excruciant, optantibus data sunt. Iam imprimebam epistolae signum: resolvenda est, ut cum solenni ad te munusculo veniat, et aliquam magnificam vocem secum ferat. et ecce occurrit mihi nescio utrum verior, an eloquentior. cuius? inquis. Epicu-
11 ri. adhuc enim alienas sarcinas adorno. „Nemo non ita exit e vita, tanquam modo intraverit.“ Quemcunque vis occupa, adolescentem, senem, medium: invenies aeque timidum mortis, aeque insciun vitae. nemo quidquam habet facti. in futurum enim nostra distulimus. Nihil me magis in ista voce delectat, quam quod exprobratur senibus infantia. Nemo, inquit, aliter, quam quomodo natus est, exit e vita.
12 Falsum est, peiores morimur, quam nascimur. Nostrum istud, non naturae vitium est. illa de nobis conqueri debet, et dicere: Quid hoc est? sine cupiditatibus vos genui, sine timoribus, sine superstitione, sine perfidia, ceterisque pestibus: quales intrastis, exite. Percepit sapientiam, si quis tam securus moritur, quam nascitur. Nunc vero trepidamus, quum periculum accessit: non animus nobis, non color
13 constat: lacrimae nihil profuturae cadunt. Quid est turpius, quam in ipso limine securitatis esse solicitum? Causa autem haec est, quod inanes omnium bonorum

[e] sum-

XXXIX, 5. de Benef. VI, 23. Nat. Qu. VII, 14. Rari comet ae et ob hoc mirabiles. Quam Gronovii emendationem recipere licet, nisi *ad* pro *in* quandoque poni concedas, ut sit: in hoc uno respectu.

dum, ideoque deliberationem ipsam. vid. Consolat. ad Marc. X, 3 not.

10. *adhuc enim alienas sarcinas adorno*] i. aliorum dicta adiuvo interpretatione. Sarcinas enim de iis quae quis habet, portat, possidetque tamquam propria, in usu esse constat, e. c. Martial. II, 11, 8.

11. *Quemcunque vis occupa — vitae.*] Similia occurrunt apud Senecam de Brevit. vitae III, 2 sq.

[e] ſummis vitae deſideriis laboramus. Non enim apud nos pars eius ulla ſubſedit. transmiſſa eſt, et effluxit. Nemo quam bene vivat, ſed quam diu, curat: quum omnibus poſſit contingere, ut bene vivant; ut diu, nulli.

EPISTOLA XXIII.

Monet, ut verum gaudium quaerat: eſt enim ſevera res, et ex vero bono naſcitur: eſt fundamentum, quin culmen omnis ſapientiae. Reliquae voluptates fallaces et fugaces ſunt: hoc gaudium ſolidum et firmum eſt, quia in ſolido ſitum et animo, optima noſtri parte. Vno verbo, poſitum eſt in conſcientia. Spectant haec ad dogma ſtoicum ſatis celebre: ſapientem ſibi pavem et ſemper in gaudio eſſe. Conf. Cic. Paradox. V. Auguſtin. de Civit. Dei XIV, c. 11. Tribunnt autem Stoici nonniſi ſapienti velle, gaudere, cavere, ſtulto contra nonniſi cupere, laetari, metuere, contriſtari. Gaudium (χαρὰ) opponitur voluptati (ἡδονῇ) ſibique ſubiectas habet oblectationem, hilaritatem et tranquillitatem. Cic. Tuſc. Disp. IV, 6. quum ratione animus movetur placide atque conſtanter, tum illud gaudium dicitur etc. laetitia eſt ſine ratione animi elatio. Totum paradoxon Stoicorum hoc nititur eo, quod ponebant, affectus perturbationesque animi nonniſi ex opinionibus oriri: atqui ſapientem et illis et his liberum eſſe oportet, et eſt; ſequitur itaque eum tranquillitate et conſtantia, atque ideo, quod inde manat, gaudio potiri, qui ſapiens et vocari et revera eſſe velit. Cf. Lipſii Manuduct. III, Diſſ. 5.

Clauſula eſt ab Epicuro petita: turpe et moleſtum eſt, ſemper vitam incipere.

e. *ſummis vitae deſideriis.* Gruterus ſic ope codd. emendat. Eam ob cauſſam in ipſo limine ſecuritatis ſolliciti ſumus, quod huius vitae deſiderio tenemur. Pincianus ille egregius Criticus non ſine adminiculo membranarum, in quibus erat: *omnium bonorum ſumus, quum in fine vitae deſiderio laboramus* fecerat: *ſumus quorum in fine v. d. l.* Sed Gronov. obſervat, Eraſmi et Gruteri codd. una cum ſuo priſcasque edd. trium illorum: *quorum in fine* veſtigium nullum haberi, et verbum ſubſtantivum: *ſumus* recidendum eſſe, ut vox *vitae* more his auctoribus frequenti repetatur. (cf. not. ad Conſol. ad Marc. c. III, 4. et Gron. Obſſ. II, 11. p. 234 ed. Lipſ.) Amplonian. cod. praeſtat: *ſumus, qui in hac vita laboramus.*

13. *Nemo quam bene — nulli.*] Cf. Gatack. ad Antonin. p. 110 ſq. qui nec noſtri loci immemor fuit.

Putas me tibi scripturum, quam humane nobiscum hiems egerit, quae et remissa fuit, et brevis: quam malignum ver sit, quam praeposterum frigus, et alias ineptias verba quaerentium. Ego vero aliquid, quod et mihi et tibi prodesse possit, scribam. Quid autem id erit, nisi ut te exhorter ad bonam mentem? Huius fundamentum quod sit, quaeris? Ne gaudeas vanis. [a]Fundamentum hoc esse dixi? culmen est. Ad summa pervenit, qui scit quo gaudeat, qui felicitatem
2 suam in aliena potestate non posuit. Solicitus est, et incertus sui, quem spes aliqua proritat: licet ad manum sit, licet non ex difficili petatur, licet illum nunquam sperata deceperint. Hoc ante omnia fac, mi Lucili, discе gaudere. Existimas me nunc detrahere tibi multas voluptates, qui fortuita submoveo, qui spes, dulcissima oblectamenta, devitandas existimo? immo contra. nolo tibi unquam deesse laetitiam. volo illam tibi domi nasci: nascetur, si modo intra te-
3 ipsum sit. Ceterae hilaritates non implent pectus; fron-

a. *Fundamentum hoc esse dixi? culmen est.* Recte haec lectio e codd. defenditur a Modio novantiquar. lectt. Ep. 127 et Grutero, quum antea legeretur sine interrogatione et *etiam culmen est.* Mox Iurctus probat *summam*, sed *summa* bonum est; nam ille sapiens haberi debet, qui ad hoc verum gaudium pervenerit. Mox §. 3. *ceterae hilaritates non implent pectus, frontem remittunt*

1. *ne gaudeas vanis.*] vana autem sunt ea, quae non semper, nec sine ulla interruptione hominem adiuvare possunt ad officia sua accurate peragenda et virtutis leges exsequendas. Opponitur igitur his fortuitis vanisque honestum, quo ad bonam mentem perducimur, ut noster innuit §. 3. Conf. M. Antonin. VIII, 1. Diog. Laert. VII, 104.

2. *volo illam tibi domi nasci:*] Haud scio, an alluserit ad morem Romanorum, quo pecuniam suam apud mensam in foro deponerent vel a mensariis mutuarentur: opposita erat numeratio de domo, s. ex cista, vel ex arca. Cf. de Benef. III, 8. Donatus ad Terent. Phorm. V, 8. Senec. Epist. XIV, 16 not.

frontem remittunt, leves ſunt: niſi forte tu iudicas illum gaudere, qui ridet. Animus debet eſſe alacer et fidens, et ſuper omnia erectus. Mihi crede, res ſevera eſt verum gaudium. An tu exiſtimas quemquam ſoluto vultu, et, ut iſti delicati loquuntur, [b]hilari oculo mortem contemnere? paupertati domum aperire? voluptates tenere ſub fraeno? meditari dolorum patientiam? Haec qui apud ſe verſat, in magno gaudio eſt, ſed parum blando. In huius gaudii 4
poſſeſſione eſſe te volo. nunquam deficiet, quum ſemel unde petatur inveneris. Levium metallorum fructus in ſummo eſt: illa opulentiſſima ſunt, quorum in alto latet vena, aſſidue plenius reſponſura fodienti. Haec quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac perfuſoriam voluptatem: et quodcunque invecticium gaudium eſt, fundamento caret. Hoc de quo loquor, ad quod te conor perducere, ſolidum eſt, quod plus pateat introrſus. Fac, oro te, Lucili cariſſime, quod 5
unum poteſt te praeſtare felicem. disiice et conculca iſta

dant codd. ap. Pincian. vetus editio, et monuit Gronov. ad Ep. XXIV, not. 16. *ſed* eſſe eliminandum.

b. *hilari oculo.* Lipſius ex libro ſuo laudat *hilariculo*: quod in edit. Varior. peſſime in textum receptum video. Eſt enim abbreviatio noſtrae vulgatae. Mox *perfuſoriam* recte Gruter. praefert alteri codd. lectioni *ſuperfuſoriam*. v. not.

4. *Levium metallorum — fodienti.*] de auri, argenti ſimiliſque metalli fodinis haec intelligas, quae haud dubie eo maligniores ſunt, quo minor venae profunditas eſt. Bene cum his gaudium hoc philoſophicum confertur, quod niſi ex bona mente et vero bono proveniat, ideoque altas quaſi radices agat in animo, parvi pretii et alienum, *invecticium* eſt. Corporis hac in re nullam rationem haberi patet. *perfuſoriam*, non penetrantem, ſed exterius adſpergentem. Ita *perfuſorie dicere* apud Iureconſultos leviter et ſine attentione aut cura: perfuſoriae aſſertiones in Sueton. Domit. c. VIII. Sic noſter Ep. CX. Si illa te non perfuderit, ſed infecerit. L.

ista quae extrinsecus splendent, quae tibi promittuntur ab alio: ad verum bonum specta, et de tuo gaude. Quid est autem hoc? de te ipso, et tui optima parte. Corpusculum quoque, etiam si nihil fieri sine illo potest, magis necessariam rem crede, quam magnam. Vanas suggerit voluptates, breves, poenitendas, ac nisi magna moderatione temperentur, in
6 contrarium abituras. Ita dico, in praecipiti est voluptas, ad dolorem vergit, nisi modum teneat: modum autem tenere in eo difficile est, quod bonum esse credideris. Veri boni aviditas tuta est. Quid sit istud, interrogas, aut unde subeat? dicam. Ex bona conscientia, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex contemtu fortuitorum, ex placido vitae et continuo tenore unam prementis viam. Nam illi qui ex aliis propositis in alia transiliunt, aut ne transiliunt quidem, sed casu quodam transmittuntur, quomodo habere quidquam certum mansurumve possunt, suspensi et va-
7 gi? Pauci sunt, qui consilio se suaque disponant: ceteri eorum more quae fluminibus innatant, non eunt, sed feruntur. Ex quibus alia lenior unda detinuit, ac mollius vexit; alia vehementior rapuit; alia [c] proximae ripae, cursu languescente depositit; alia torrens impetus eiecit in mare. Ideo constituendum est, quid velimus, et in eo perseverandum. Hic est locus solvendi aeris alieni. Possum enim vocem tibi Epicuri tui

c. *proximae ripae* ex ed. Erasmi et codd. Gruter. recepi: sensu quoque postulante. Antea: *proxime ripam.*

7. *Quae fluminibus*] Cf. Ep. IV, 4. Horat. III Carm. 29, 33. Epictetus Stobaei Flor. Serm. I, p. 13 Schow.: vita fortunae implicata rapido flumini similis est, turbulenta, coenosa, impura. Hanc imaginem noster bene dilatat. *alia* i. alias res. Ceterum vitam cum navigatione comparari a veteribus, multa exempla docent. Cf. Gataker ad M. Antonin. p. 90, 1. *Epicuri tui* Fortasse Epicuri sectae addictus

tui reddere, et hanc epiſtolam liberare. „Moleſtum 8
eſt, ſemper vitam inchoare.“ Aut ſi hoc modo magis ſenſus poteſt exprimi: Male vivunt qui ſemper vivere incipiunt. Quare? inquis, deſiderat enim explanationem iſta vox. Quia ſemper illis imperfecta vita eſt. non poteſt autem ſtare paratus ad mortem, qui modo incipit vivere. Id agendum eſt, ut ſatis vixerimus: nemo hoc putat, qui orditur quum maxime vitam. Non eſt quod exiſtimes, paucos eſſe hos. propemodum omnes ſunt. Quidam vivere tunc incipiunt, quum deſinendum eſt. ſi hoc iudicas mirum, adiiciam quod magis admireris: quidam ante vivere defecerunt, quam inciperent.

EPISTOLA XXIV.

Lucilium de eventu iudicii, in quod inimicus, qui homo potentior fuiſſe videtur (cf. §. 11.) eum vocavit, ſolicitum longe alio modo tractat, ac ille ſperaverat. Nam ſuadet, ut quibusvis peſſimis, quae timeri poſſint, animo ſuo propoſitis, excuſſisque intelligat, aut non magnum, aut non longum eſſe, quod metuat. (In quibus et Stoicos et Epicurum facile agnoſcas. De illis res notior eſt, quam ut doceatur: de his cf. Diog. Laert. X, 22. 118. et ad utrumque locum Menag.) Haec amico probat non ſolum exemplis Rutilii, Metelli, Socratis, Mucii et Catonis, hominum quidem fortiſſimorum, ſed etiam Q. Scipionis, Cn. Pompeii M. ſoceri aliorumque hominum cuiusvis aetatis ignavorum. Hac una via ſecuritas ſumma comparatur, quandoquidem ita rebus quibuscunque terrorem incutientibus, e. c. morti, equuleis etc. omnis tumultus timorve demitur, vera quippe facie iis reddita. Hoc ſuadet philoſophia, cuius praecepta effectu probanda ſunt. Hortatur tamen, ne cogitationi de futuro malo indulgeat, ſed ut ea meditetur, quae animum, qui corpore ſit liberatus, maneant. Qua occaſione data egregium Lucilii verſum recordatur, qui habet: non repente nos in mortem incidere, ſed minutatim. Clauſula cum iis, quae hac epiſtola tractaverat, bene cohaeret. Affert autem Epicuri dicta, ſatietatem vitae riſu explodentia.

Soli-

ctus erat. Vide praefat. huius Voluminis.

liberare, e manu mittere, fi-

hanc epiſtolam nire.

Solicitum te esse scribis de iudicii eventu, quod tibi furor inimici denuntiat, et existimas me suasurum ut meliora [a]tibi ipse proponas, et acquiescas spei blandae. Quid enim necesse est mala arcessere, et satis cito patienda quum venerint, praesumere, ac praesens tempus futuri metu perdere? Est sine dubio stultum, quia quandoque sis futurus miser, esse iam miserum: sed
2 ego aliâ te ad securitatem viâ ducam. Si vis omnem solicitudinem exuere, quidquid vereris ne eveniat, eventurum utique propone: et quodcunque illud est malum, tecum ipse metire, ac timorem tuum taxa. intelliges profecto, aut non magnum, aut non longum esse, quod metuis. nec diu exempla, quibus confirmeris, colligenda sunt: omnis illa aetas tulit. In quamcunque partem rerum, vel civilium, vel externarum, memoriam miseris; occurrent tibi ingenia,
3 aut profectus aut impetus magni. Numquid accidere tibi, si damnaris, potest durius, quam ut mittaris in exsilium? ut ducaris in carcerem? [b]Numquid ultra quidquam ulli timendum est, quam ut uratur, quam ut

a. *tibi ipse.* E codd. Grut. et veteri editione, iam aliquoties laudata, restitui, ut magis Latinitati emendatae conveniens: etsi interdum regulam hanc posthabere non dubitavit noster cum Cicerone. cf. Var. lect. ad III de Ira 8. f. Antea: *tibi ipsi.*

b. *Numquid ultra quidquam ulli timendum est.* Haec in aliquot mss. suis invenit Pincianus, et Grut. in Col. at alii loco *ulli* habent *illi* ut et editio vetus. Erasmus, unus Palat. ap. Grut. et Muretus habent: *n. u. q. corpori t. e.* Vulgata est: *Numque* (s. ap.

1. *Est sine dubio — ducam.*] Lipsius laudat Ep. XIII. LXXIV et LXXVIII. Vere, addit, sapientis usurpatio et remedium. Et nostro tempore esse, qui hanc iteratam de morte cogitationem parum salubrem menti bonae et tranquillitati animi putent, eadem fere argumenta sequentes, notum est.

2. *profectus — magni*] in sapientia. Reperies, inquit, aut qui iudicio et ratione, sapientiae nempe alumni, haec contemserint, ut Cato: aut qui im-

ut pereat? Singula iſta conſtitue, et contemtores eorum cita, qui non quaerendi, ſed eligendi ſunt. Damnationem ſuam Rutilius ſic tulit, tanquam nihil illi moleſtum eſſet aliud, quam quod male iudicaretur. Exſilium Metellus fortiter tulit, Rutilius etiam liben- 4
ter. alter, ut rediret, Reipublicae praeſtitit: alter reditum ſuum Sullae negavit, cui nihil tunc negabatur. In carcere Socrates disputavit, et exire (quum eſſent qui promitterent fugam) noluit: remanſitque, ut duarum rerum graviſſimarum hominibus metum demeret, mortis et carceris. Mucius ignibus manum impoſuit. Acerbum eſt uri: quanto acerbius ſi id te faciente patiaris? Vides hominem non eruditum, nec 5
ullis praeceptis contra mortem aut dolorem ſubornatum, militari tantum robore inſtructum, poenas a ſe irriti conatus exigentem. ſpectator diſtillantis in hoſti-
li

Bipont. *numquid*) *ultra quidquam timendum eſt illi.* Mox *quam ut pereat* recte defendit Lipſius omnium codd. et edd., praeter ed. Romanam, tria haec verba omittentem, conſenſu contra Muretum, qui mallet: *q. u. pendeat:* decreſcat enim oratio, reponit L., et minus. *pendère*, quam *uri*. §. 5. *ſubornatum* recte defenditur a Gronov. contra Gruterum, qui e cod. Col. *obrutum* enotaverat. Vis vocis nunc vel ex Lexicis nota eſt, ornatum ſimpliciter.

impetu et nobilitate animi, ut Scipio. L.

3. *Rutilius*] cf. de Providentia c. III, 5. Conſolat. ad Marc. XXII, 2. not.

4. *Q. Metellus*] Numidicus, victo Iugurtha, dictus: qui cenſor et clariſſimus vir quum iurare in leges Appuleii Saturnini Trib. pl. nollet, in exilium miſſus, fortiter tulit, donec, occiſo illo, precibus lacrimisque filii praeſertim, qui ob id Pii cognomen meruit, reſtitutus eſt. Vide Erneſti clav. Cic. hiſtoric. h. v. Aurel. Vict. c. 66. *reipublicae praeſtitit*, perſuaſit. *Socrates*. Critonem et Simmiam Thebanum hoc conſilium cepiſſe, ut Socratem fuga ingratis ſuis civibus eriperent, eſt res nota vel ex Xenoph. Apolog. §. 23. p. 146 ed. Zeun. et Platon. Crit. Tom. I, p. 102 ſqq. Bip. Meiners Geſchichte der Wiſſenſch. in Griech. und Rom. Tom. II, p. 496 ſqq. *Mucius*, cf. Liv. II, 12.

li foculo dextrae ſtetit, nec ante removit nudis oſſibus fluentem manum, quam ignis illi ab hoſte ſubductus eſt. Facere aliquid in illis caſtris felicius potuit, nihil fortius. Vide quanto acrior ſit ad occupanda
6 pericula virtus, quam crudelitas ad irroganda. Facilius Porſena Mucio ignovit, quod voluerat occidere; quam ſibi Mucius, quod non occiderit. Decantatae, inquis, in omnibus ſcholis fabulae iſtae ſunt. iam mihi, quum ad contemnendam mortem ventum fuerit, Catonem narrabis. Quidni ego narrem, ultimâ illâ nocte Platonis librum legentem, poſito ad caput gladio? duo haec in rebus extremis inſtrumenta proſpexerat, alterum ut vellet mori, alterum ut poſſet.
7 Compoſitis ergo rebus, utcunque componi fractae atque ultimae poterant, id agendum exiſtimavit, ne cui Catonem aut occidere liceret, aut ſervare contingeret. et ſtricto gladio, quem usque in illum diem ab omni caede purum ſervaverat. Nihil, inquit, egiſti, fortuna, omnibus conatibus meis obſtando. non pro mea adhuc, ſed pro patriae libertate pugnavi: nec agebam tantâ pertinaciâ, ut liber, ſed ut inter liberos viverem; nunc quoniam deploratae ſunt res generis hu-
8 mani, Cato deducatur in tutum! Impreſſit deinde mortiferum corpori vulnus. quo obligato a medicis quum minus ſanguinis haberet, minus virium, animi idem, iam non tantum Caeſari, ſed ſibi iratus, nudas in vulnus manus egit, et generoſum illum contemtoremque omnis potentiae ſpiritum non emiſit, ſed eiecit. Non in hoc exempla haec nunc congero, ut ingenium exerceam,

6. Vticae hoc factum eſſe, unde Catoni cognomen Vticenſis dabatur, eſt res notiſſima, quae apud omnes auctores, qui de hac re expoſuerunt, eodem fere modo narratur, v. c. Plutarch. in Caton. min. p. 790 ſqq. in Caeſar. p. 732 Frcf. Dion. Caſſ. XLIII, 10 — 12. Quod tamen noſter *medicis* tribuit, id Plut. a Buta, libertino Catonis, Dio Caſſ. ab eius amicis factum eſſe aſſeverant.

erceam, ſed ut te adverſus id quod maxime terribile videtur, exhorter. Facilius autem exhortabor, ſi 9
oſtendero, non tantum fortes viros hoc momentum efflandae animae contemſiſſe: ſed quosdam ad alia ignavos, in hac re exaequaſſe animum fortiſſimorum. ſicut illum Cn. Pompeii ſocerum Scipionem, qui contrario in Africam vento relatus, quum teneri navem ſuam videret ab hoſtibus, ferro ſe transverberavit, et quaerentibus ubi imperator eſſet: „Imperator,“ inquit, „bene ſe habet.“ Vox haec illum parem maioribus 10
fecit, et fatalem Scipionibus in Africa gloriam non 1
eſt interrumpi paſſa. Multum fuit, Carthaginem vincere, ſed amplius, mortem. Imperator, inquit, bene ſe habet. An aliter debebat Imperator, [c]et quidem Catonis, mori? Non revoco te ad hiſtorias; nec ex omnibus ſeculis contemtores mortis, qui ſunt plurimi, colligo: reſpice ad haec noſtra tempora, de quorum languore ac deliciis querimur. omnis ordinis homines ſuccurrent, omnis fortunae, omnis aetatis, qui mala ſua morte praeciderunt. Mihi crede, 11
Lucili, adeo mors timenda non eſt, ut beneficio eius nihil anteferendum timendumve ſit. Securus itaque ini-

c. *et quidem Catonis.* Editio vetus habet: *quam Catho.* Non male. Mox §. 11. *Mihi crede — anteferendum timendumve ſit* omnes olim editi et ſcripti praeſtant, praeter Muretum, qui *timendumve* ſcalpello critico abſcidit. Lipſius emendabat: *nihil a te veren-*

9. Q. Caecilius Metellus Pius *Scipio* proelio ad Thapſum a Iul. Caeſare victus quum Hiſpaniam peteret, ad Hipponem regium, portum in regno Numidarum ſitum, delatus et a navibus hoſtilibus circumventus, ne a P. Sittio, Caeſaris legato, qui claſſi praeerat, caperetur, ſe ipſe interemit. Cf. Hirtius de Bello Afric. I, c. 96. Flor. IV, 2. Appian. de Bello civ. II, p. 798. Dio Caſſ. XLIII, 9.

10. Quam vere haec dicta ſint de multitudine eorum, qui ſua ſponte mortem ſibi conſciverint ſub Caeſaribus usque ad haec Senecae tempora, Tacitus, Dio Caſſius, al. affirmant.

inimici minas audi: et quamvis conscientia tua tibi fiduciam faciat, tamen quia multa extra causam valent, et quod aequissimum est, spera, et ad id te quod est
12 iniquissimum, compara. Illud ante omnia memento, demere rebus tumultum, ac videre quid in quaque re sit: scies nihil esse in istis terribile, nisi ipsum timorem. Quod vides accidere pueris, hoc nobis quoque maiusculis pueris evenit. illi quos amant, quibus assueverunt, cum quibus ludunt, si personatos vident, expaveſcunt: non hominibus tantum, sed et rebus
13 persona demenda est, et reddenda facies sua. Quid mihi gladios et ignes ostendis, et turbam carnificum circa te [d] frementem? Tolle istam pompam, sub qua lates, et stultos territas. mors es, quam nuper servus meus, quam ancilla contemsit. Quid tu rursus mihi flagella et equuleos magno apparatu explicas? quid singulis articulis singula machinamenta, quibus extorqueantur, aptata, et mille alia instrumenta ex-
14 carnificandi particulatim hominis? Pone ista, quae nos obstupefaciunt: iube conticescere gemitus et exclamationes, et vocum inter lacerationem elisarum acerbitatem. Nempe dolor est, quem podagricus ille contemnit, quem stomachicus ille in ipsis deliciis perfert, quem in puerperio puella perpetitur. Levis est, si

dum timendumve sit, additque: Adeo, mi Lucili, mors tibi non timenda, ut illi, nihil vereri aut timere debeas. Mala aut metus sola tollit. Sed antiqua lectio bonum sensum fundere videtur: non adeo mors est timenda, ut, ea proposita, omnium aliarum rerum respectum omittere debeas. Sic honesta sunt facienda et prava devitanda adeoque timenda, mortis nulla ratione habita. §. 12. in duobus codd. Palat. esse *timere* observat Grut., nec inficetum auribus suis faretur cum Gronovio, qui similia laudat: vulgata tamen, *nisi ipsum timorem* ideo non est movenda.

d. *frementem* lectio scriptorum et editionis veteris. cf. ad XX, c. Antea: *frementium*.

14. *Levis est — possum.*] E gravis brevis, longus si velis. nartheciis Epicuri sumtum. Si Epicurus autem ex illo Aeschy-

li

ſi ferre poſſum: brevis eſt, ſi ferre non poſſum. Haec in animo voluta, quae ſaepe audiſti, ſaepe dixiſti: ſed an vere audieris, an vere dixeris, effectu proba. hoc enim turpiſſimum eſt, quod nobis obiici ſolet, verba nos philoſophiae, non opera tractare. Quid tu? nunc primum tibi mortem imminere ſciſti, 15
nunc exſilium, nunc dolorem? in haec natus es. Quidquid fieri poteſt, quaſi futurum cogitemus. Quod facere te moneo, ſcio certe feciſſe. Nunc admoneo, ut animum tuum non mergas in iſtam ſolicitudinem. hebetabitur enim, et minus habebit vigoris, quum exſurgendum erit. Abduc illum a privata cauſa ad publicam: dic mortale tibi et fragile corpuſculum eſſe, cui non ex iniuria tantum aut ex potentioris viribus denuntiabitur dolor: [e] ipſae voluptates in tormenta vertuntur. Epulae cruditatem afferunt, ebrietates ner- 16
vorum torporem tremoremque: libidines pedum, manuum, articulorum omnium depravationes. Pauper fiam? inter plures ero. Exſul fiam? ibi me natum putabo, quo mittar. Alligabor? quid enim? nunc ſolutus ſum? ad hoc me natura grave corporis mei pondus adſtrinxit. Moriar? hoc, dicis, deſinam

e. *ipſae voluptates in t. v.* Lectio omnis ſcripta et vett. edd. Eraſmus: *Sed ipſae vol.* Recte monet Gruter. illo *ſed* electo maiorem eſſe orationis vigorem.

lii ſumſerat: Θάρσει· πόνου γὰρ ἄκρον οὐκ ἔχει χρόνον. Muretus. Cf. Gataker ad M. Antonin. p. 273. 274. Senec. Epiſt. XXX, 12.

16. *Alligabor?*] ad deportationem in inſulam ſpectat. Civitate autem privatus reus, idque in perpetuum, bonis etiam publicatis, et cuſtodiae cauſſa milite appoſito cui catena alligabatur. Cf. de Tranq. Animi X, 3 not. Exquiſita quaedam de hac poena apud Romanos dedit Heyne in Opuſc. acad. Vol. IV, p. 277 ſq. *Moriar? — deſinam poſſe.* Similia

aegrotare posse, desinam alligari posse, desinam mori
17 posse. Non sum tam ineptus, ut Epicuream cantilenam hoc loco persequar, et dicam, vanos esse inferorum metus, nec Ixionem rotâ volvi, nec saxum f humeris Sisyphi trudi in adversum, nec ullius viscera et renasci posse quotidie, et carpi. Nemo tam puer est, ut Cerberum timeat et tenebras, et g larvalem
18 habitum nudis ossibus cohaerentium. Mors nos aut consumit, aut exuit. Emissis meliora restant, onere detracto: consumtis nihil restat. bona pariter malaque submota sunt. Permitte mihi referre hoc loco tuum versum, si prius admonuero, ut te iudices non aliis scripsisse ista, sed etiam tibi. Turpe est aliud loqui, aliud sentire: quanto turpius, aliud scribere, aliud sen-

f. *humeris* codd. ap. Grut. et vett. edd. Antea: *humero.*

g. *larvalem habitum.* Ita scripti libri: editi *larvarum hab.*, sed editio vetus: *larvalem h.* Sed illud ad ipsos mortuos refer, qui pallentes tenues et larvales quaedam umbrae, ut Sidonius dixit. L. Mox *exuit* plures codd. Grut. et Erasmus. Alii apud Pincian., quem sequutus est Muretus, et editio vetus: *emittit.* cf. not.

milia collegit Gataker ad Antonin. p. 90, 2.

17. *Non sum tam ineptus, ut Epicuream —.*] Confirmat Diog. Laert. X, 123. ubi vid. Petr. Gassendus, et de vita ac moribus Epicuri c. I — IV, ubi omnia diligenter collecta sunt, quae huc spectant. Wernsdorf ad (Lucilii) Aetnam 75 P. L. M. Tom. IV, p. 104 nostrum ab isto Aetnae auctore expressum esse putavit. Caeterum iam Cic. Tusc. Disp. I, 5 et 6. et Orat. pro Rosc. Amer. c. 24. (Iuvenal. II, 149) hanc eandem sententiam de vanitate mythologiae publice protulit, ut taceam de antiquioribus nonnullis philosophis Graecis, qui eam prorsus derisui et contemtui tradere, aliisque, utique Stoicis, qui eam mitigare interpretatione allegorica non dubitarunt, v. c. de Xenophane. cf. Meiners Geschichte der Wiss. Vol. I, p. 615 sq. *Ixion* propter iniurias, quibus Iunonem afficere voluit, rotae apud inferos circumligatus turbine circumagitur. Vide Heyne ad Virgil. Ge. IV, 484. — *Sisyphus* rex Corinthi incursiones in Atticam faciens a Theseo interfectus. Poena nota est vel ex Ovid. Metam. IV, 459.

ſentire? Memini te illum locum aliquando tractaſſe, non repente nos in mortem incidere, ſed minutatim procedere. Quotidie morimur, quotidie enim demi- 19
tur aliqua pars vitae: et tunc quoque quum creſcimus, vita decreſcit. Infantiam amiſimus, deinde pueritiam, deinde adoleſcentiam: usque ad heſternum, quidquid transiit temporis, periit. hunc ipſum quem agimus diem, cum morte dividimus. Quemadmodum clepſydram non extremum ſtillicidium exhaurit, ſed quidquid ante defluxit: ſic ultima hora, quâ eſſe deſinimus, non ſola mortem facit, ſed ſola conſummat. Tunc 20
ad illam pervenimus, ſed diu venimus. Haec quum deſcripſiſſes, quo ſoles ore, ſemper quidem magnus, nunquam tamen acrior, quam ubi veritatis commodas verba, dixiſti:

[h] *Mors non ultima venit; quae rapit, ultima mors eſt.*

h. *Mors non ultima venit; quae rapit, ultima mors eſt.* Omnium librorum lectio, qua ſpreta Muretus edidit: *mors non una venit, ſed quae.* Lipſius vetera teneri mavult, deleta modo particula *ſed*, quae quidem verſum turbat. Gronov. adſentitur; i. multis mortibus conficimur, quandoquidem quotidie morimur: ideoque mors ſaepe ad nos venit, antequam nos rapuit. Sed illa mors, quae nos rapit et aufert, ipſarum mortium eſt ultima. Sic fere recte Gronov. contra Lipſium, qui ſenſum ineſſe putabat: non quae venit et iam praeteriit, mors eſt, ſed illa proprie, quae rapit ultima et nos aufert. De eodem verſu Gronov. egit in Epiſtola ad Nic. Heinſium T. III. Syllog. Burmann. p. 185. Petr. Burmann. Sec. tamen defendit Mureti lectionem ad Anthol. latin. lib. III, epigr. 150.

19. *Quotidie morimur — decreſcit.*] Haec iam Heraclitus Clementis Alex. Strom. III, p. 520. perviderat. Θανατός ἐστι, dixerat, ὁπόσα ἐγερθέντες ὁρέομεν, Saepe hoc tractat Seneca e. c. Ep. I. IV. etc. Laudat Muretus Plutarchum in libro de E*i* apud Delphos c. XVIII, p. 240. Tom. IX Hutt. valde ſimilia. Eo quoque ſpectat Heracliti iam ſupra laudatum dictum: nos non bis eundem fluvium intrare: ait enim, fluere omnia, nihilque manere. Plato Cratyl. p. 267, Tom. III Bip. cf. Heynii Opuſcul. acad. Vol. III, p. 103.

Malo te legas, quam epiſtolam meam. apparebit enim tibi, hanc quam timemus mortem extremam eſſe, non ſolam. Video quo ſpectes. quaeris quid huic epiſtolae infulſerim, quod dictum alicuius animoſum, quod
21 praeceptum utile? Ex hac ipſa materia quae in manibus fuit, mittetur aliquid. Obiurgat Epicurus non minus eos qui mortem concupiſcunt, quam eos qui timent, et ait: „Ridiculum eſt, currere ad mortem taedio vitae, quum genere vitae, ut currendum eſſet ad mortem, effeceris.“ Item alio loco dicit: „Quid tam ridiculum, quam appetere mortem, quum
22 vitam tibi inquietam feceris metu mortis?“ His adiicias et illud eiusdem notae licet: „tantam hominum imprudentiam eſſe, immo dementiam, ut quidam timore mortis cogantur ad mortem.“ Quidquid horum tractaveris, confirmabis animum, vel ad mortis, vel ad vitae patientiam. [i]In utrumque monendi ac firmandi ſumus: et ne nimis amemus vitam, et ne nimis oderimus. etiam quum ratio ſuadet finire, non
23 temere, nec cum procurſu capiendus eſt impetus. Vir fortis ac ſapiens non fugere debet e vita, ſed exire. Et ante omnia ille quoque vitetur affectus, qui multos occupavit, libido moriendi. Eſt enim, mi Lucili, ut ad alia, ſic etiam ad moriendum inconſulta animi inclinatio: quae ſaepe generoſos atque acerrimae indolis

i. *in utrumque monendi ac firmandi.* Freinshem. ad Curt. V, 9, 6. emendat ingenioſe *in utrumque muniendi ac f.* Sed vulgata bene habet.

20. *infulſerim,*] adiunxerim. Laudat I. F. Gronov. Obſſ. IV, 22. cf. Oudendorp. ad Frontin. p. 418 b).

22. *timore mortis.*] Cf. Ep. LXX, 6. Stultitia eſt, timore mortis mori. L. addas Gatacker ad Antonin. p. 324, 2. et Freinshem. ad Curt. V, 9, 6. *ne nimis — etiam quum ratio:* ratio mortem ſuadere poteſt pro patria, amicis etc. cf. Lipſii Manuduct. III. Diſſ. 22. 23. *capiendus eſt impetus.* Laudat Lipſius Plin. Epp. I, 22. Senec. Ep. XXX, 55.

dolis viros corripit, saepe ignavos iacentesque. illi contemnunt vitam, hi gravantur. Quosdam subit ea- 24
dem faciendi videndique satietas, et vitae non odium, sed fastidium: in quod prolabimur, ipsa impellente philosophia, dum dicimus: Quousque eadem? Nempe expergiscar, dormiam, satiabor, esuriam, algebo, aestuabo: nullius rei finis est, sed in orbem nexa sunt omnia: fugiunt ac sequuntur. Diem nox pre- 25
mit, dies noctem: aestas in autumnum desinit, autumno hiems instat, quae vere compescitur. omnia transeunt, ut revertantur. nihil novi video, nihil novi facio. Fit aliquando et huius rei nausea. Multi sunt qui non acerbum iudicent vivere, sed superfluum.

EPISTOLA XXV.

De duorum amicorum emendatione, et ea pro diverso utriusque ingenio diversa adhibenda agit: alterum enim invenem fortius, alterum senem remissius, ne desperet, esse tractandum. Tum ex Epicuri schola sumit, quo Lucilium hortatur, ut pergat fortem se praestare, ad legem naturae se componere, ideoque paucis esse contentum. Addit ex eodem: Sic fac omnia, tamquam spectet aliquis.

Quod ad duos amicos nostros pertinet, diversâ viâ eundum est. alterius enim vitia emendanda, alterius frangenda sunt. Vtar libertate tota: non amo illum, nisi offendero. Quid ergo? inquis. quadragenarium pupillum cogitas sub tutela tua continere? Respice aetatem eius iam duram et intractabilem! non potest re-

24. *Quousque eadem?*] cf. de Tranq. An. II, 13 not. Laudat Muretus Luciani Dial. mort. XXVI, Menippi et Chironis p. 220, Tom. II Bip. ubi sunt, quae huc pertineant.

25. *Diem nox premit* etc.] Apposite Muretus laudat Horat. II Carm. 18, 15. Truditur dies die Novaeque pergunt interire lunae. cf. ibid. IV, 7, 8. ubi nostrum locum Boettiger docte adhibuit.

formari: tenera finguntur. An profecturus ſim neſcio? malo ſucceſſum mihi, quam fidem deeſſe. Nec deſperaveris, etiam diutinos aegros poſſe ſanari, ſi contra intemperantiam ſteteris, ſi multa invitos et fa-
2 cere coëgeris et pati. Nec de altero quidem ſatis fiduciae habeo: excepto eo, quod adhuc peccare erubeſcit; nutriendus eſt hic pudor: qui quamdiu in animo eius duraverit, aliquis erit bonae ſpei locus. Cum hoc veterano parcius agendum puto, ne in deſperationem ſui veniat: nec ullum tempus aggrediendi melius fuit, quam hoc, dum interquieſcit, dum emendato
3 ſimilis eſt. Aliis haec intermiſſio eius impoſuit. mihi verba non dat: exſpecto cum magno foenore vitia reditura, quae nunc ſcio ceſſare, non deeſſe. Impendam huic rei dies: et utrum poſſit aliquid agi, an non poſſit, experiar. Tu nobis te, ut facis, fortem praeſta, et ſarcinas contrahe. Nihil ex his quae habemus, neceſſarium eſt. Ad legem naturae reverta-
4 mur: divitiae paratae ſunt. Aut gratuitum eſt quo egemus, aut vile. Panem et aquam natura deſiderat. nemo ad haec pauper eſt. „intra quae quisquis deſiderium ſuum cluſit, cum ipſo Iove de felicitate contendat, ut ait Epicurus:“ cuius aliquam vocem huic epiſtolae

1. *tenera finguntur.*] Horat. I Epp. 2, 64. Fingit equum tenera docilem cervice magiſter: et Plato ait: iuvenes *ηρίνους εἶναι.* Muretus.

4. *Panem et aquam — Epicurus.*] Cf. ad Ep. XVIII, 8. XXI, 10 not. Epicuri verba Aelianus V. H. IV, 13 ubi Scheff. et Kuhn. conſervavit, unde Stobaeus Floril. Serm. XVII, p. 343 ſumſit: *Ἐπίκουρος ὁ Γαργήττιος κέκραγε λέγων· Ὦ Ζεῦ, ὀλίγου οὐχ ἱκανόν, (ἀλλὰ) τοῦτό γε οὐδὲν ἱκανόν. ἔλεγε δ' ἑτοίμως ἔχειν, καὶ τῷ Διὶ ὑπὲρ εὐδαιμονίας διαγωνίζεσθαι μάζαν ἔχων καὶ ὕδωρ.* Habeamus, ait Seneca Ep. CX, 17. aquam, habeamus polentam, Iovi ipſi de felicitate controverſiam faciamus! Locum Stobaei ex Aeliano l. l. reſtitutum dedi, quod iam ſuaſerat Menag.

ſtolae involvam. „Sic fac,“ inquit, „omnia, tanquam ſpectet [a]Epicurus.“ Prodeſt ſine dubio, cuſtodem ſibi impoſuiſſe, et habere quem reſpicias, quem intereſſe cogitationibus tuis iudices. Hoc quidem lon- 5
ge magnificentius eſt, ſic vivere tanquam ſub alicuius boni viri, ac ſemper praeſentis, oculis: ſed ego etiam hoc contentus ſum, ut ſic facias quaecunque facies, tanquam ſpectet aliquis. Omnia nobis mala ſolitudo perſuadet. Quum iam profeceris tantum, ut ſit tibi etiam tui reverentia, licebit dimittas paedagogum: interim te aliquorum auctoritate cuſtodi. Aut 6
Cato ille ſit, aut Scipio, aut Laelius, aut cuius interventu perditi quoque homines vitia ſupprimerent; dum te efficis eum, coram quo peccare non audeas. Quum haec effeceris, et aliqua coeperit apud te tui eſſe dignatio, incipiam [b]te tibi permittere: quod idem ſuadet Epicurus. „Tunc praecipue in te ipſe ſecede, quum eſſe cogêris in turba.“ Diſſimilem te fieri mul- 7
tis oportet. dum tibi tutum non eſt a te recedere: circumſpice ſingulos. Nemo eſt, cui non ſatius ſit cum quolibet eſſe, quam ſecum. Tunc praecipue in te ipſe ſecede, quum eſſe cogêris in turba, ſi bonus

a. *Epicurus.* Reſtitui e Gruter. aliisque codd. et vett. edd. Sunt ipſi Epicuri verba ad aliquem e ſuis, quem iubet cupitque, velut ſe teſte et ſpectatore, vivere. Quanti ſe ipſe fecerit Epicurus, nota res eſt: deinde Ep. non de quolibet homine loqui, inde liquet, quod Seneca §. 5. addit: Sed ego etiam hoc contentus ſum — aliquis. Antea: *aliquis* in nonnullis codd. et plurimis edd.

b. *te tibi permittere.* Vt ſuperius: *audeo te tibi credere.* Atque ita exhibet Torrent. Gronovius. Antea ſine: *te.*

nag. ad Diog. Laert. X, 131. Nam falſa lectio Stobaeum invaſerat τὸ δή, cuius loco Schow. habita dederat: το δἰ. Sumſit quem Aelianus et Seneca fugerant, ex quatuor codd. perperam nec ulla ſenſus ratione vero Epicurus hoc a Democrito Stobaei Floril. Serm. XXXVIII. init. μάζα γὰρ καὶ στιβὰς λιμοῦ καὶ πόπου γλυκύτατα ἰάματα.

vir, si quietus, si temperans es: alioquin in turbam tibi a te recedendum est. Istic enim malo viro [c]propius es.

EPISTOLA XXVI.

Senem ait se esse, et tamen animo vigere. Fortiter de morte loquitur, quae sola, inquit, iudicat, an aliquid sit facti: nam reliqua sunt verba: robur et virtus apparebit, quum animum ages. Ab Epicuro clausula est: Disce mortem meditari.

Modo dicebam tibi, in conspectu esse me senectutis: iam vereor, ne senectutem post me reliquerim. Aliud iam his annis, [a]certe huic corpori vocabulum convenit: quoniam quidem Senectus, lassae aetatis, non fractae nomen est. Inter decrepitos me numera, et extrema tangentes. Gratias tamen mihi apud te ago: non sentio in animo aetatis iniuriam, quum sentiam
2 in corpore. Tantum vitia, et vitiorum ministeria senuerunt. Viget animus, et gaudet non multum sibi esse

c. *propius es* i. vicinior es. Quidam codd. *propior*: et sententia est illa, quam et ex vulgata efficias litera addita: istic enim a malo viro propius abes. Prope abesse ab aliquo et Cicero et Seneca usurpant pro: vicinum esse. Ipsa autem res est, quae supra Ep. X, 1. Mecum etc. L.

a. *certe*. Gruterus cum Modio in pluribus codd. invenit: est quoque in veteri editione. Abest vulgatis illa vocula, ait Lipsius, at necessaria est etc.

1. *Modo*:] spectat haud dubie ad Ep. XII, ubi §. 3 ait: Debeo hoc suburbano meo, quod mihi senectus, quocunque adverteram, apparuit. *extrema — tangentes*: quum in stadiis lineae extremae et ultimae vocarentur, quas ultra progredi nefas erat, et quae cursui finem dabant; hinc metaphoram ductam esse putant, v. c. Wernsdorf. Poet. Lat. Min. Tom. IV, p. 417. Cf. Epist. XII, 4 not. *apud te* eodem fere sensu, quo Ep. XII, 2 verba *quod inter nos sit* accipienda sunt.

2. *Tantum vitia et vitiorum — viget animus — senectute.*] Eandem fere animi sen-

esse cum corpore: magnam oneris partem sui depo-
suit, exsultat, et mihi facit controversiam de senectute.
hunc ait esse florem suum. Credamus illi, bono suo
utatur. Ire in cogitationem iuvat, et dispicere, quid
ex hac tranquillitate et modestia morum sapientiae de-
beam, quid aetati: [b]et diligenter excutere, quae non
possim facere, quae nolim: possimne aliquid, quod
nolim. Nam si quid non possum, non posse me gau- 3
deo. Quae enim querela est, quod incommodum,
si quod debet desinere, defecit? Incommodum sum-
mum est, inquis, minui et deperire, et, ut proprie
dicam,

b. *et diligenter excutere, quae non possim facere, quae nolim: possimne aliquid, quod nolim. Nam si quid non possum, non posse me gaudeo.* Tricae hic in libris vix extricandae, ait Lipsius. Vere! Conferas modo Gruterum, qui variantes lect. proponit. Pincianus, vitiatis tamen lectionibus non propositis, hanc lectionem elicit: *prosintne habituro, quae velim. Atqui si nolim, quicquid non posse me scio, gaudeo.* Erasmus ante eum edidit: *d. excutere quae nolim, prosint e habituro aliquid si quicquid nolim qui quicquid non possim, non posse me gaudeo.* Lipsius emendat: *quae nolim proderitne abituro aliquid, si nolim, quidquid non possum, et gaudeo.* Gronovius: *et diligenter excutere, quae non possim facere,* quae nolim posse: *habiturus aliquid, si nolim quidquid non posse me gaudeo.* „Nam, addit Gron., Col. haudquaquam inter infimos Gruteri: *quae nolim posse habiturus. Atqui si nolim, quicquid non posse me scio gaudeo.* Heinsianus codex: *quae nolim prodesse habiturus et in si nolim quicquid non p. m. g.* Erfurt. longa lacuna usque ad Ep. LVIII. nos destituit." Cod. Erf. Amplonian: *et dil. exc. q n. p. f. q. n. prodesse habiturus. atqui si nolim quicquid non posse me gaudeo.* Editio vetus: *et dil. exc. quaeque non possum facere: quae nolim prodesse habiturus atque si nolim quicquid non posse me gaudeo.* Muretus vulgatam tenet quam dedi. In tanta lectionis diversitate quae acumine loci orta esse videtur, equidem quidquam definire dubito.

sententiam habuit Sophocles, ex quo iam affecto aetate quum quidam quaereret, utereturne rebus venereis, Dii meliora, inquit: libenter vero istinc, tamquam a Domino agresti ac furioso profugi. Cic. de Senect. 14, coll. 7. Plut. de Cupidit. Divit. c. V, p. 153. tom. X. Hutten. Quae ducta sunt e Platon. I. de Rep. p. 150, tom. VI Bip., laudante Hemsterhusio ad Lucian. tom. III, p. 391 Bip. Senectutem florem temperantiae et prudentiae iam Democritus appellaverat apud Stobaeum Serm. CXII Laus Senectutis.

dicam, liqueſcere. Non enim ſubito impulſi ac proſtrati ſumus: carpimur. ſinguli dies aliquid ſubtrahunt viribus. Et quis exitus eſt melior, quam in ſinem
4 ſuum, natura ſolvente, dilabi? Non quia aliquid mali eſt ictus, et e vita repentinus exceſſus: ſed quia lenis haec via eſt, ſubduci. Ego certe, velut appropinquet experimentum, et ille laturus ſententiam de omnibus annis meis dies venerit, ita me obſervo et alloquor: „Nihil eſt,“ inquam, „adhuc, quod aut rebus aut verbis exhibuimus. levia ſunt iſta et fallacia pignora animi, multisque involuta lenociniis: quid
5 profecerim, morti crediturus ſum. Non timide itaque componor ad illum diem, quo remotis ſtrophis ac ſucis, de me iudicaturus ſum, utrum loquar fortia, an ſentiam: numquid ſimulatio fuerit et mimus, quidquid contra fortunam iactavi verborum contumaciam. Remove exiſtimationem hominum: dubia ſemper eſt, et in partem utramque dividitur. Remove ſtudia to-
6 tam vitam tractata: mors de te pronuntiatura eſt. Ita dico, disputationes et literata colloquia, et ex praeceptis ſapientium verba collecta, et eruditus ſermo, non oſtendunt verum robur animi; eſt enim oratio etiam timidiſſimis audax. quid egeris, tunc apparebit, quum

3. *Non enim.*] Reſponſio reticetur: nullo modo hoc incommodum eſt: more et Graecis et Romanis ſatis ſollenni. *carpimur*, i. minutatim nec ſentientes morimur. Alio modo Horat. I Carm. II, 8. *carpe diem* dixit. cf. Davis. ad Cic. de Nat. Deor. II, 50. p. 255.

5. *Non timide itaque componor — contumaciam.*] Fortiter itaque accingo me ad illum diem mortis, quo, omni fraude et ſpecie quacunque fallaci remota etc. *mimus* luſus omni veritate deſtitutus: notum eſt illud Auguſti apud Sueton. c. XC. qui ſupremo die amicos admiſſos percunctatus: Ecquid iis videretur mimum vitae commode transegiſſe? Cf. noſter Ep. LXXX, 7. Lucian. III, p. 19. VII, 26. IX, 24 Bip. Alia exempla mimi comparati cum vita humana ſuggerit Gataker. ad Antonin. p. 389 ſq.

quum animam ages. Accipio conditionem, non reformido iudicium.“ Haec mecum loquor: ſed tecum quoque me locutum puta. Iunior es? quid refert? 7
non dinumerantur anni. Incertum eſt, quo te loco mors exſpectet: itaque tu illam omni loco exſpecta. Finire iam volebam, et manus ſpectabat ad clauſulam: ſed conficienda ſunt [c] ſacra: et huic epiſtolae viaticum dandum eſt. Puta me non dicere, unde ſumturus ſim mutuum: ſcis cuius arcâ utar. Exſpecta puſillum, 8
et de domo fiet numeratio: interim commodabit Epicurus, qui ait: „Meditare utrum commodius ſit, vel mortem transire ad nos, vel nos ad eam.“ Hic patet ſenſus. Egregia res eſt, mortem condiſcere. Supervacuum forſitan putas id diſcere, quo ſemel utendum eſt? hoc eſt ipſum, quare meditari debeamus. ſemper diſcendum eſt, quod an ſciamus, experiri non poſſumus. Meditare mortem. Qui hoc dicit, medi- 9
tari libertatem iubet. qui mori didicit, ſervire dedidicit: ſupra omnem potentiam eſt, certe extra omnem. Quid ad illum carcer, et cuſtodia, et clauſtra? liberum oſtium habet. Vna eſt catena, quae nos alligatos

c. *ſacra.* Muretus habet: *ſed conficienda ſunt ſagmata*, quae de abitione adeoque finiendo opere quopiam bene dici poſſe videntur. Sed libri reſpuunt.

7. *Clauſulam:*] vale. *Conficienda ſunt ſacra.* Interpretor, ſollennia omnia ſunt adhibenda; nihil omittendum velut in ſacris. Proverbii vicem habet. Lipſius.

8. *Exſpecta puſillum — numeratio.*] H. e. te non delegabo ad argentarium, unde tibi fiat numeratio, ſed a me ipſo et meis copiis fiet. cf. ad Ep. XXIII, 2. Ceterum iam Plato docuit in Phaedone c. IX. XII. XXIX. totam philoſophorum vitam, ut Ciceronis Tuſc. Dispp. I, 30 verbis utar, commentationem mortis eſſe. Cf. Gataker ad Antonin. p. 109ſq.

9. *liberum oſtium habet.*] Sermo ſtoicus eſt. Cf. Senec. de Provid. VI, 6. Epictet. Arrian. Diſſert. I, 9, 20 iisdem fere verbis in hac eadem re uſus eſt ἤνοικται ἡ θύρα. Ad quem locum Vptonus Senecae aliorumque de hac re ſententias

tos tenet, amor vitae: qui ut non eſt abiiciendus, ita minuendus eſt: ut, ſi quando res exiget, nihil nos detineat, nec impediat, quo minus parati ſimus, quod quandoque faciendum eſt, ſtatim facere.

EPISTOLA XXVII.

Excuſat ſe, quod alios moneat, eo, quod amicum monendo ſe ipſum tetigerit, et ordinem, ad quem ipſe pertinere ſe credat, ſignificat. Nondum bonum ſe eſſe fatetur, ſed adhuc aegrum: attamen quotidie ſe admonere, ut melior fiat, ſeque caſtigare acriter, ut ad illud gaudium perveniat, de quo tam egregie Epiſt. XXIII expoſuerat. Quae omnia exhilarat faceta hiſtoria de Calviſio Sabino. Clauſula eſt Epicuri dictum. Divitiae ſunt naturalis paupertas.

Tu me, inquis, mones: iam enim te ipſe monuiſti, iam correxiſti? Ideo aliorum emendationi vacas? Non ſum tam improbus, ut curationes aeger obeam: ſed tanquam in eodem valetudinario iaceam, de communi malo tecum colloquor, remedia communico. Sic itaque me audi, tanquam mecum loquar. in ſecretum te meum admitto; et te adhibito, mecum exigo. Clamo mihi ipſe: „Numera annos tuos: et pudebit eadem velle, quae volueras puer, eadem parare.
2 Hoc denique tibi citra diem mortis praeſta: moriantur ante te vitia. Dimitte iſtas voluptates turbidas, magno

[a] le-

tias congeſſit. *Vna eſt catena* etc. Spectat hoc ad cuſtodiam, qua deportati in inſulam tenebantur. Cf. ad Ep. XXIV, 15.

1. *valetudinario*] i. male valentium et ſe curantium loco. Cf. ad I de Ira c. 16, 3. ubi in nota deleas voculam: primus. Lipſius enim ad h. l. iam e gloſſis, in quibus ὑγιαστήριον, διαιτητήριον explicatur, vim vocis monſtravit. Fuerint autem neceſſe eſt valetudinaria non ſolum in aedibus divitum, ubi numeroſa familia, ſed etiam in caſtris, ut que hibernis. *exigo*, exſtulo, invehor in, reprehend. Vide de Brevit. vit. I, 2.

alevandas. non venturae tantum, ſed praeteritae nocent. Quemadmodum, ſcelera etiam ſi non ſint deprehenſa quum fierent, ſolicitudo non cum ipſis abit: ita improbarum voluptatum, etiam poſt ipſas, poenitentia eſt. Non ſunt ſolidae, non ſunt fideles: etiam ſi non nocent, fugiunt. Aliquod potius bonum man- 3
ſurum circumſpice. nullum autem eſt, niſi quod animus ex ſe ſibi invenit. Sola virtus praeſtat gaudium perpetuum, ſecurum: etiam ſi quid obſtat, nubium modo intervenit, quae infra feruntur, nec unquam diem vincunt. Quando ad hoc gaudium pervenire continget? non quidem ceſſatur adhuc, ſed [b]feſtinetur. Multum reſtat operis, in quod ipſe neceſſe eſt vigiliam, ipſe laborem tuum impendas, ſi effici cupis. Delegationem res iſta non recipit. Aliud literarum genus adiutorium admittit. Calviſius Sabinus memo- 4
riâ

a. *levandas.* Omnium codd. lectio, quam Pincian. ex ingenio mutavit in *luendas.* At vis τοῦ· *levare* eſt auferre, vel Lexicis docentibus.

b. *feſtinetur.* In omnibus libris conſpicitur *feſtinatur.* Muretus ex ingenio dedit: *non feſtinatur*, quod Gruterus, Lipſius, Gronov. recte reprobant. Gronovii emendationem ut ſimpliciorem admiſi. Ipſe ſecum exigit Seneca, ait Gron., dein votum interponit: quando ad hoc gaudium perveniam? ſane non ceſſo: ſed non ſatis eſt, feſtinare debeo, non tantum, non ceſſare. Nam etiam qui paullulum modo promovet, non ceſſat, ſed nondum feſtinat. Lipſius emendabat: *Non quidem ceſſatur adhuc, ſed feſtinaturo multum reſtat operis: in quod ipſe.*

3. *nullum autem eſt — invenit*] vigilia et attentione, dein meditatione et ſevera in ſemetipſum animadverſione. *Sola virtus praeſtat — ſecurum.* Cf. Epiſt. XXIII, 2 et 3. Lipſii Manuduct. III. Diſſ. 5. *delegationem.* Sicut aes alienum tuum in alterum deferre non potes, ſed ipſe ſolvere debes: ſic in mente bona colenda ipſe tuam operam impendas. In bonis tamen literis haec delegatio interdum fieri ſolet: quod exemplo Calviſii Sabini docetur.

4. *Sabinus Calviſius* memoratur quidem a Tacito Annal. VI, 7. nec Lipſius multum abeſt, quin eundem eſſe autumet, quem noſter tangit. Fuit autem

riâ noſtrâ fuit dives: et patrimonium habebat [c] libertini, et ingenium. Nunquam vidi hominem beatum indecentius. Huic memoria tam mala erat, ut illi modo nomen Vlyſſis excideret, modo Achillis, modo Priami: quos tam bene noverat, quam paedagogos noſtros novimus. Nemo vetulus nomenclator, qui nomina non reddit, ſed imponit, tam properanter, quam ille Troianos et Achivos perſalutabat. Nihilominus eruditus volebat videri. Hanc itaque compendia-

c. *libertini et ingenium.* Optimi codd. Gruteri et Modii dant cum Erf. Amplon. Eraſmus: *liberum et ingenuum.* Mox *quos tam bene noverat quam paedagogos noſtros novimus.* Lipſius emendabat: *Priami: et quos tam bene noverat* etc. Gronovius haec fere: „Si tam bene noverat, quare tam facile excidebant. Removendum cenſet verbum *noverat*, tamquam hominis inepti emblema. Vide quam ſano ſenſu: modo Ach. modo Pr. quos tam bene quam paedagogos noſtros novimus. nempe omnes liberali doctrina imbuti.“ *tam properanter* omnium librorum lectio eſt. Inde an ex ingenio fecerit Pincianus *perperam tribus*, neſcio. Nomenclatoris erat officium, nomina ſervorum, quorum magnae familiae alebantur, dominis ſuggerendi (Plin. N. H. XXXIII, 1. §. 6. Petron. Arb. 37 et 117.). Proinde vulgatum teneo.

autem is clarus genere, inter primos ſenatores, ſub Tiberio accuſatus maieſtatis, ſed ſtatim discrimini exemtus a. u. 785. anno Chr. 32. Deinde a. u. 792 ſub Caio una cum uxore Cornelia poſtulatus eſt, quum modo a Pannoniae adminiſtratione rediiſſet. Ambo morte ſpontanea damnationi antevenerunt. Alium fuiſſe equidem ſtatuo, propter ſequentia. *et patrimonium habebat libertini et ingenium.* Propter ſervile ingenium ad omnes tyrannorum libidines aptum magnis honoribus ſub Caeſaribus potiti divitiis maximis affluebant, et hominum ſummo loco natorum mores et ingenii culturam exaequare ſtudebant libertini, in quibus hic Calviſius haud dubie fuit. Iam vero morem ſcimus illius aetatis fuiſſe (cf. Senec. de Brev. vit. c. XIII. coll. de Tranq. An. c. IX.) inter homines elegantiores, de rebus antiquitatem atque ideo ad mythologiam ſpectantibus disputandi: nec mirum, quod Calviſius libertinus hunc morem imitatus ſit. Erat *beatus indecenter*, quia parum decore aut eleganter et inepte opibus ſuis utebatur.

diariam excogitavit. magnâ ſummâ emit ſervos, unum qui Homerum teneret, alterum qui Heſiodum: novem praeterea Lyricis ſingulos aſſignavit. Magno emiſſe illum non eſt quod mireris. non invenerat: faciendos locavit. Poſtquam haec familia illi comparata eſt, coepit convivas ſuos inquietare. Habebat ad pedes 6
hos, a quibus ſubinde quum peteret verſus, quos referret, ſaepe in medio [d] verbo excidebat. Suaſit illi Satellius Quadratus, ſtultorum divitum arroſor, et quod ſequitur, arriſor, et quod duobus his adiunctum eſt, deriſor, ut Grammaticos haberet analectas. Quum dixiſſet Sabinus centenis millibus ſibi conſtare ſingulos ſervos: Minoris, inquit, totidem ſcrinia emiſſes. Ille tamen in ea opinione erat, ut putaret ſe 7
ſcire, quod quisquam in domo ſua ſciret. — Idem Satel-

d. *verbo.* Omnes Gruter. et Pincian. Recte antecedit enim: ut illi modo nomen Achillis exciderat. Antea: *verſu.*

5. Servos inſtituendos curavit, ut quivis ex iis auctorum celebratiſſimorum opera ediſceret, rhapſodorum apud Graecos more (cf. Wolfii Prolegg. ad Homer. p. XCVII ſq.). *Novem lyrici* quippe qui a Grammaticis Alexandrinis Ariſtophane Byzant. et Ariſtarcho ex reliquis lyricis ſelecti ſunt: Alcman, Alcaeus, Steſichorus, Anacreon, Sappho, Simonides Ceus, Ibycus, Bacchylipes, Pindarus. Cf. Ruhnken. Hiſtor. crit. orator. Graec. p. XCIV ſq. qui de claſſibus ſ. canonibus in quos principes cuiusque generis auctores ab iis redacti ſunt, egregie diſputavit.

6. *Habebat hos ad pedes*] ad lecti fulcra, quum coenaret, quos adſpicere et innuere poſſet. L. *Grammaticos analectas*, viros doctos, qui reliquias eius, quae exciderent ei, et velut ab ore aut orbe deciderent, colligerent, collecta redderent, atque ita explerent: quaſi iſte Calviſius nil niſi aurea creparet, digna quae colligerentur. Gruterus laudat Turnebi Adverſ. XXIV, 33. *centenis millibus* ſeſtertiis circa 1000 aureis a Friderico nominatis, ſi Rome de l'Iſle ſequaris in computatione hac.

7. Deriſui habuit eum Satellius: nam ſicut Calviſius do-

tellius illum hortari coepit, ut luctaretur, hominem aegrum, pallidum, gracilem. Quum Sabinus respondisset, Et quomodo possum? vix vivo. Noli, obsecro te, inquit, istud dicere. non vides, quam mul-
8 tos servos valentissimos habeas? Bona mens nec commodatur, nec emitur: et puto, si venalis esset, non haberet emtorem. at mala quotidie emitur. Sed accipe iam quod debeo, et vale. „Divitiae sunt, ad legem naturae compositа paupertas.“ Hoc saepe dicit Epicurus, aliter atque aliter. Sed nunquam nimis dicitur, quod nunquam satis discitur. Quibusdam remedia monstranda, quibusdam inculcanda sunt.

EPISTOLA XXVIII.

Lucilio conquesto, quod peregrinationibus suis nullam sibi hilaritatem conciliare potuerit, respondet Seneca, id non mirum videri, quoniam nec animum nec vitia emendaverit. Nulla autem peregrinatio, addit, incunda esse potest, nisi animi mala exemerit. Quod quidem si fiat, omni loco beate vivi posse, nec opus esse, ut in tumultu versemur. Atqui sapiens, si eius rei copia sit, optima eliget et in pace malet esse, quam in turba et pugna. Epicuri dictum clausulae loco est: Notitia peccati est initium salutis.

Hoc tibi soli putas accidisse, et admiraris quasi rem novam: quod peregrinatione tam longa, et tot locorum varietatibus, non discussisti tristitiam gravitatemque mentis. Animum debes mutare, non coelum. Licet vastum traieceris mare, licet (ut ait Virgilius no-

ctrinam servorum putabat suam, cur non item eorum robur?

8. *Bona mens*] redit ad id, propter quod hanc historiam attulerat §. 3. Bona mens tale adiutorium non habet, quali literae interdum gaudent. — Hoc Epicuri dictum iam apposuit noster Ep. IV, 8.

1. Eandem sententiam, quam hic prolixe persequitur, attigit noster Ep. II, 1, *Virgilius*

noſter) „terraeque urbesque recedant:“ ſequentur te, quocunque perveneris, vitia. Hoc idem cuidam quaerenti Socrates ait: Quid miraris, nihil tibi peregrinationes prodeſſe, quum te circumferas? Premit te 2
eadem cauſa, quae expulit. Quid terrarum iuvare novitas poteſt? quid cognitio urbium, aut locorum? in irritum cedit iſta iactatio. Quaeris quare te fuga iſta non adiuvet? tecum fugis. Onus animi deponendum eſt: non ante tibi ullus placebit locus. Talem nunc eſſe habitum tuum cogita, qualem Virgilius noſter vatis inducit, iam concitatae et inſtigatae, multumque habentis in ſe ſpiritus non ſui:

Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum ——

Vadis huc et illuc, ut excutias inſidens pondus: quod 3
ipſa iactatione incommodius ſit. ſicut in navi onera immota minus urgent: inaequaliter convoluta, citius eam partem in quam incubuere demergunt. Quidquid facis, contra te facis, et motu ipſo noces tibi. aegrum enim concutis. At quum iſtud exemeris malum, omnis mutatio loci iucunda fiet. In ultimas expellaris terras licebit, in quolibet barbariae angulo

lius Aen. III, 71. *ſequentur — vitia.* Similia habet Plutarch. tom. X, p. 5 Hutt. ubi Menandri verba, ut opinor, explanatiora dantur. Lucret. II, 47—51. Horat. III Carm. I, 39. 40. timor et minae Scandunt eodem, quo dominus: neque Decedit aerata triremi et Poſt equitem ſedet atra cura. *Socrates:* conveniunt egregie cum his ea, quae a Platone, Xenoph. al. de Socrate memorantur.

2. *Virgilius.*] Aen. VI, 78. 79. Sermo ibi eſt de Sibylla Cumaea, quae invita oraculum editura eſt. Proinde *bacchatur,* discurrit, reſiſtitque furori ſacro, *ſpiritui non ſuo,* quo ſe iam abripi ſentit.

3. Haec egregie cum iis conveniunt, quae noſter de exilio haud ſemel in Conſolatione ad Helviam expoſuit, et quae in Stobaei Serm. XXXVIII et apud alios Antiquitatis philoſophos invenias.

colloceris: hoſpitalis tibi illa qualiscunque ſedes erit.
4 Magis quis veneris, quam quo, intereſt: et ideo nulli loco addicere debemus animum. Cum hac perſuaſione vivendum eſt: Non ſum uni angulo natus: patria mea totus hic eſt mundus. Quod ſi liqueret tibi, non admirareris, nil adiuvari te regionum varietatibus, in quas ſubinde priorum taedio migras. Prima enim quaeque placuiſſet, ſi omnem tuam crederes. Non peregrinaris, ſed erras et ageris, ac locum ex loco mutas: quum illud quod quaeris, Bene vivere,
5 omni loco poſitum ſit. Num quid tam turbidum fieri poteſt, quam forum? ibi quoque licet quiete vivere, ſi neceſſe ſit. Sed ſi liceat disponere ſe, conſpectum quoque et viciniam fori procul fugiam. nam ut loca gravia etiam firmiſſimam valetudinem tentant: ita bonae quoque menti, necdum adhuc perfectae, et convaleſcenti, ſunt aliqua parum ſalubria. Diſſentio ab his qui in fluctus medios eunt, et tumultuoſam probantes vitam, quotidie cum difficultatibus rerum magno

4. *Non ſum uni angulo natus — mundus.*] Iam Socrati dictum fuit ap. Cic. Tuſc. Diſp. V, 37. Plutarch. de exilio tom. VIII, p. 371 Reisk. quamquam Meiners Geſch. der Wiſſ. tom. I, p. 361 not. parum haec Socratis moribus aliunde notiſſimis reſpondere pronuntiat: qui tamen nimis cupide haec negaſſe videtur: quidni enim mundanus fuerit Socrates, qui omnium, quorum intererat eius contubernio et inſtitutione uti, ſive Athenienſium, ſive extraneorum ſtudio animum excolendi lubentiſſime ſe obtulit? Democritus Stobaei Floril. Serm. XXXVIII idem docuit. Stoicos autem ſe mundanos declaraſſe conſtat. cf. Epictet. Arrian. Diſſ. II, 5. p. 387 not. ed. Schweighaeuſ. Noſter hac ſententia ſaepe utitur, v. c. de Ira II, 31, 6. *Bene vivere — poſitum ſit.* Confert appoſite Lipſius Horat. I Epp. XI, 27 ſq. Coelum non animum mutant, qui trans mare currunt: Strenua nos exercet inertia: navibus atque Quadrigis petimus bene vivere. quod petis hic eſt, Eſt Vlubris; animus ſi te non deficit aequus.

5. *Diſſentio*] e. c. a Cynicis, Epicureis, al. Cf. Ep. VIII.

gno animo colluctantur. Sapiens feret iſta, non eli- 6
get: et malet in pace eſſe, quam in pugna. Non enim multum prodeſt vitia ſua proieciſſe, ſi cum alienis rixandum eſt. Triginta, inquis, tyranni Socratem circumſteterunt, nec potuerunt animum eius infringere. Quid intereſt, quot domini ſint? ſervitus una eſt. Hanc qui contemſit, in quantalibet turba dominantium liber eſt. Tempus eſt deſinere, ſed ſi prius portorium ſolvero. „Initium eſt ſalutis notitia 7
peccati.“ Egregie mihi hoc dixiſſe videtur Epicurus. Nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. deprehendas te oportet, antequam emendes. Quidam vitiis gloriantur. Tu exiſtimas aliquid de remedio cogitare, qui mala ſua virtutum loco numerant? Ideo quantum potes, te ipſe coargue. inquire in te: accuſatoris primum partibus fungere, deinde iudicis, noviſſime deprecatoris: aliquando te offende.

EPISTOLA XXIX.

Nunciat amico, Marcellinum, hominem magni ingenii, alioquin prorſus ignotum nobis, difficile eſſe corrigi, quoniam aſpernetur et illudat. Tamen omnia ſe adhibiturum eſſe promittit, ut enim ad

6. *Triginta — tyranni Socratem — infringere.*] Factum hoc eſt Ol. XCIV, 1. quatuor annis ante Socratis mortem. Xenoph. Hiſt. Graec. II, 3. Triginta tyrannos deriſui habuiſſe et iis fortiter reſtitiſſe Socratem, narrat Xenoph. Mem. Socrat. I, 2. Plato tom. I, p. 75 Bip.

7. Epicuri dictum noſter iam appoſuit Ep. VI, 1. Fundamentum eius eſt: noſce te ipſum, de quo Socrates ſaepe monuit. Xenoph. Mem. Socr. IV, 2, 23. Platon. Alcib. I etc. Optime laudat Lipſius Epicteti Fragm. III (ap. Stob. Floril. Serm. I, p. 12 Schow.). *Εἰ βούλει ἀγαθὸς εἶναι, πρῶτον πίστευσον, ὅτι κακὸς εἶ. Ideo quantum potes* etc. Cf. de Ira III, c. 36 not. et Lipſii Manuduct. III, Diſſ. ult. *te offende*, animadverte in te. Noſter Epiſt. XXV, 1. non amo illum, niſi offendero.

bonam mentem, si fieri possit, reducat. Sententia Epicuri clausulae loco ponitur: Ne studeas populo placere. Cf. Ep. VII. fin. Fortasse de eodem Marcellino Ep. LXXVII, 4 sq. sermo est.

De Marcellino nostro quaeris, et vis scire quid agat. Raro ad nos venit, nulla alia ex causa, quam quia audire verum timet: a quo periculo iam abest. nulli enim nisi audituro dicendum est. Ideo de Diogene, nec minus de aliis Cynicis, qui libertate promiscua usi sunt, et obvios quosque monuerunt, dubitari solet, an hoc facere debuerint. Quid enim si quis surdos obiurget, aut naturâ morbove mutos? „Quare, inquis, verbis parcam? gratuita sunt. Non possum scire an ei profuturus sim, quem admoneo: illud scio,
2 alicui me profuturum, si multos admonuero. Spargenda est manus: non potest fieri, ut non aliquando succedat, multa tentanti.“ Hoc, mi Lucili, non existimo faciendum magno viro. diluitur eius auctoritas, nec habet apud eos satis ponderis, quos posset minus obsolefacta corrigere. Sagittarius non aliquando ferire debet, sed aliquando deerrare. Non est ars, quae ad effectum casu venit. Sapientia ars est. certum petat: eligat profecturos: ab his quos desperavit, recedat: non tamen cito relinquat, sed in ipsa
3 desperatione extrema remedia tentet. Marcellinum nostrum ego nondum despero. etiamnunc servari potest: sed si cito illi manus porrigitur. Est quidem periculum, ne porrigentem trahat. magna in illo ingenii vis est; sed iam tendentis in pravum. Nihilominus

1. *Ideo de Diogene — debuerint.*] Diogenes Laert. VI, 27. 28. 51. Epictet. Arrian. Diss. III, 22, 10. aliique plures hoc sat superque docent. Hinc publicum institutorem et paedagogum appellat Cynicum Epictetus ibid. §. 17, p. 447 ed. Schweigh. Quae tamen Seneca affert contra hanc Cynicorum libertatem promiscuam, ea vereor ut omnibus lectoribus probentur.

minus adibo hoc periculum, et audebo illi mala ſua oſtendere. Faciet quod ſolet, advocabit illas facetias, quae riſum evocare lugentibus poſſunt: et in ſe primum, deinde in nos iocabitur: omnia quae dicturus ſum, occupabit. Scrutabitur ſcholas noſtras, et ob- 4
iiciet philoſophis congiaria, amicas, gulam: oſtendet mihi alium in adulterio, alium in popina, alium in aula: oſtendet mihi lepidum philoſophum Ariſtonem, qui in geſtatione diſferebat. hoc enim ad edendas operas tempus [a] exceperat. De cuius ſecta quum quaereretur, Scaurus ait: „Vtique Peripateticus non
eſt.“ De eodem quum conſuleretur Iulius Graecinus, 5
vir egregius, quid ſentiret: „Non poſſum,“ inquit, „tibi dicere. neſcio enim quid de gradu faciat.“ tan-

 quam

a. *exceperat.* a quo dante? Lego: *hoc enim ad edendas operas tempus exceperat* i. e. reliquum ſibi fecerat, ab aliis curis parum ſeriis. Gron. Antea *acceperat.*

4. *congiaria*] oleum ſ. vinum hominibus egenis et labore victum quaerere neſciis dabantur publice. Occurrit tamen vox quoque de muneribus in univerſum, ap. Sueton. Caeſ. XXVII. Veſpaſ. XVIII. *in popina*, ubi viliores utique homines gulae aliisque libidinibus ſerviebant. *in aula*, propter adulationem. *Ariſtonem.* Vixiſſe Senecae tempore videtur et propter oſtentationem hic carpitur. *Peripateticus*, quia non ambulans philoſophatur. Mamercus *Scaurus* a. V. C. 787 anno Chr. 34 damnationem morte voluntaria anteiit cum uxore Sextia, quae incitamentum mortis et particeps fuit. Vir inſignis nobilitate et orandis cauſſis. Tacit. Annal. VI, 25. cf. Senec. de Benef. IV, 31.

5. *Iulius Graecinus*] Iulii Agricolae pater. Tacitus in vita Agricolae c. IV. ſenatorii ordinis, ſtudio eloquentiae ſapientiaeque notus, iisque virtutibus iram Caii Caeſaris meritus. namque M. Scaurum accuſare iuſſus, et quia abnuerat, interfectus eſt. Cf. Senec. de Benef. II, 21. Columella de Re Ruſt. I, 1. *de gradu faciat*, locutio arenae: neſcio quid faciat, cuiusmodi ſit ille *eſſe-*

quam de essedario interrogaretur. Hos mihi circulatores, qui philosophiam honestius neglexissent, quam
6 vendunt, in faciem ingeret. Constitui tamen contumelias perpeti. moveat ille mihi risum: ego fortasse illi lacrimas movebo: aut, si ridere perseverabit, gaudebo, tanquam in malis, [b]quod illi genus insaniae hilare contigerit. Sed non est illa hilaritas longa. observa, videbis eosdem intra exiguum tempus acerrime
7 ridere, et acerrime rabere. Propositum est aggredi illum, et ostendere quanto pluris fuerit, quum multis minoris videretur. Vitia eius, etiam si non excîdero, inhibebo. non desinent, sed intermittent: fortasse autem et desinent, si intermittendi consuetudinem fecerint. Non est hoc ipsum fastidiendum. quoniam quidem graviter affectis sanitatis loco est bona remissio. Dum me illi paro, tu interim qui potes, qui intelligis, unde quo evaseris, et ex eo suspicaris, quousque

b. *quod illi genus insaniae hilare contigerat.* Erasmus ex uno codice: Rudolph. Agricola, Erasmi amicus satis notus, eandem lectionem sua manu notaverat. Prius publicabatur: *quod illi genus insaniae evitare contigerit.* Sic quoque Gruteriani quinque et cod. Erf. Amplonianus. Contextus probat. Lipsius confert de Vita beat. XII, 1 et (quod plerisque contingit) hilarem insaniam sanire: at eius emendatio *insaniae hilarae* nihili est

essedarius, i. e curru pugnans, cum allusione ad essedum in quo gestabatur, si de curru delabitur et pugnat pedes. Similes loquendi rationes sunt: de genu pugnare, de gradu conari. Senec. de Provid. II, 4. Liv. XXXIV, 39. *circulatores*, dicit haud dubio Sophistas rhetoresque illius temporis, qui lucri faciendi caussa urbes circumire solebant, et doctrinam suam orationibus praelectionibusque aliis habitis ostentare. Huc alludit Strabo IV, 1, 6. tom. II, p. 14 ed. Lipsi. Exempla dat noster Ep. XL, 2. et Lucianus de se ipso et aliis.

7. *quanto pluris fuerit, quum multis minoris videretur*] i. quanta fuerit dignitas eius, amplexi veram philosophiam et virtutem, quum a multitudine negligeretur. Pertinere videtur hoc ad illud Epicuri, infra §. 9. Epist. VII fin. XXXVI, 2 etc. vulgi voces esse contemnendas. *unde quo, ἐξ οἵων εἰς*

que sis evasurus, compone mores tuos, attolle animum, adversus formidata consiste, numerare eos noli, qui tibi metum faciunt. Nonne videatur stultus, si 8
quis multitudinem timeat eo loco, per quem transitus singulis est? aeque ad tuam mortem multis aditus non est, licet illam multi minentur. Sic istud natura disposuit. spiritum tibi tam unus eripiet, quam unus dedit. Si pudorem haberes, ultimam mihi pensionem remisisses. Sed ne ego quidem me sordide geram in foenore aeris alieni, et tibi quod debeo impingam. „Nunquam volui populo placere. nam quae ego scio, 9
non probat populus; quae probat populus, ego nescio.“ Quis hoc? inquis. Tanquam nescias cui imperem. Epicurus. Sed idem hoc omnes tibi ex omni domo conclamabunt, Peripatetici, Academici, Stoici, Cynici. Quis enim placere potest populo, cui placet virtus? malis artibus popularis favor quaeritur: similem te illis facias oportet. non probabunt, nisi agnoverint. Multo autem ad rem magis pertinet, 10

I 5 qualis

εἰς οἷα ut dicebat Iphicrates. Muretus. Loquendi hunc usum veterum exemplis adstruxit Iacobs in Animadv. ad Analect. Vol. II, P. I. p. 395. ubi laudat Wyttenbach. in Bibl. crit. T. III, P. II. p. 21. *numerare eos — faciunt:* etenim ex Ep. XXIV. didicimus, Lucilio fuisse inimicos multa mala ei denunciantes.

8. *per quem transitus singulis est.*] ἡνοίκται ἡ θύρα ait Epictetus, quem laudavimus ad Epist. XXVI, 9. *ultima pensio:* sequentibus enim epistolis nulla amplius sententia, qua epistolam claudat, adiicietur.

9. *Nunquam — nescio.*] Tota Epicuri vita docet, quam vere haec ab illo philosopho egregio dicta sint. In fine tamen vitae doluisse videtur, quod hanc sibi sequendam proposuerit regulam, secundum Senec. Ep. LXX, 12 et 13 ex Epicuri epistola ad amicum et discipulum Metrodorum. Nota sunt similia Theocriti ap. Stobaeum Floril. Serm. XXI, p. 387 ed. Schow. et Isocratis Aristarchique, quae laudat Baylius (Dictionn. hist. et crit. Tom. I, p. 315. Art. Aristarque). Nonnulla alia dedit Gataker ad Antonin. p. 97 sq. Cf. Argum. Epist. VII.

qualis tibi videaris, quam qualis aliis. Conciliari nisi turpi ratione amor turpium non potest. Quid ergo illa laudata et omnibus praeferenda artibus rebusque philosophia praestabit? scilicet ut malis tibi placere, quam populo: ut aestimes iudicia, non numeres: ut sine metu deorum hominumque vivas: ut aut vincas
11 mala, aut finias. Ceterum si te videro celebrem secundis vocibus vulgi, si intrante te clamor, plausus, et pantomimica ornamenta obstrepuerint, si tota civitate feminae te puerique laudaverint: quidni ego tui miserear, quum sciam quae via ad istum favorem ferat?

EPISTOLA XXX.

Ausidius Bassus, qui quasso quidem corpore, sed firmo tamen animo mortem appropinquantem sine ullo metu opperitur, occasionem praestat nostro, egregie de morte contemnenda praecipiendi. Morti, ait, nos parari debere, et robur in eam sumere. Cf. Ciceron. Tusc. Dispp. liber I. qui totus est de morte contemnenda.

Bassum Ausidium, virum optimum, vidi quassum, aetati obluctantem. Sed iam plus illum degravat, quam quod possit attolli. Magno senectus et universo pondere incubuit. Scis illum semper infirmi corporis [a] et exhausti fuisse: diu illud continuit, et, ut verius

a. *et exhausti* omnium codd. Grut. lectio. Erasmus vetusque editio: *exficci*: codex Amplon. *exucti*, satis exquisite; nam quis non recordatur illud Iuvenalis Sat. VIII, 90. Ossa vides regum vacuis exsucta medullis! Plerumque hanc confusionem harum

1. *Bassum Ausidium.*] Illum opinor, qui Historias scripsit et quidem belli civilis. Colligas ex Suasoria VI ap. Senecam patrem, ubi eius de morte Ciceronis fragmentum. Sed et belli Germanici scripsisse, et in iis Sallustii velocitatem expressisse, Fabius tradit. Plinius item minor nominat et avunculum addit suum scripsisse: A fine Ausidii Bassi (ubi ille desiit) libros triginta unum, lib. III Ep. 5. De isto igi-

rius dicam, concinnavit. ſubito defecit. Quemadmodum in nave quae ſentinam trahit, uni rimae aut alteri obſiſtitur: ubi plurimis locis laxari coepit et cedere, ſuccurri non poteſt navigio dehiſcenti: ita in ſenili corpore aliquatenus imbecillitas ſuſtineri et fulciri poteſt. ubi tanquam in putri aedificio omnis iun- 2
ctura diducitur, et dum alia excipitur, alia diſcinditur: circumſpiciendum eſt, quomodo exeas. Baſſus tamen noſter alacer animo eſt. hoc philoſophia praeſtat: in quocunque corporis habitu fortem, in conſpectu mortis hilarem laetumque, nec deficientem, quamvis [b]deficiatur. Magnus gubernator et ſciſſo navigat velo, et ſi exarmavit, tamen reliquias navigii aptat ad curſum. Hoc facit Baſſus noſter, et eo ani- 3
mo vultuque finem ſuum ſpectat, quo alienum ſpectare, nimis ſecuri putares. Magna res eſt haec, Lucili, et diu diſcenda, quum adventat hora illa inevitabilis, aequo animo abire. Alia genera mortis ſpei mixta ſunt: definit morbus, incendium exſtinguitur, ruina

vocum in codd. occurrere erudite docent Critici praeſtantiſſimi R. Bentleius ad Horat. Epod. V, 37. et T. Hemſterhuſ. ad Lucian. tom. I, p. 352 ſq. Bip. Mox *iunctura diducitur* praefert Grut. recte e ſuis codd. vulgato: *iunctura dilabitur*.

b. *deficiatur*. Sic optimi fere ſcripti. Senſus: quamvis a corpore deſtituatur: cum Gron. reſtitui. Antea: *deficiat*. Mox *ſecuri putares* codd. dant. at *ſecuri eſſe* Muretus invexit, neſcio unde.

igitur an magis de filio eius iam noſter. Lipſius. *concinnavit*, moderatione et prudenti vita corpus conſervavit.

2. *Magnus — aptat ad curſum.*] Experientiſſimus naucle-rus non ſtatim omnem ſpem deponit. Diphilus Athenaei VII, p. 292 A. noſtro, cui haec imago familiaris eſt, praeiverat: Ναύκληρος ἀποδύει τίς ἐυθὺς ἀποβαλὼν Τὸν ἱστὸν ἢ πηδάλιον συντρίψας νεώς, Ἢ φορτί' ἐκρίψας ὑπέραντλος γενόμενος; quem locum cum noſtro conferendum iudicat Hemſterhuſ. ad Lucian. tom. I, p. 342 Bip. *et ſi exarmavit* neutraliter poſitum eſt, quod iam Eraſmus vidit, de nave, quae armamentis ſuis privatur.

ruina quos videbatur oppreſſura depoſuit; mare quos hauſerat, eâdem vi quâ ſorbebat, eiecit incolumes; gladium miles ab ipſa perituri cervice revocavit: nihil habet quod ſperet, quem ſenectus ducit ad mortem. 4 huic uni intercedi non poteſt. Nullo genere homines mollius moriuntur, ſed nec diutius. Baſſus noſter videtur mihi proſequi ſe, et componere, et vivere tanquam ſuperſtes ſibi, et ſapienter ferre [c] deſiderium ſui. Nam de morte multa loquitur, et id agit ſedulo, ut nobis perſuadeat, ſi quid incommodi aut metus in hoc negotio eſt, morientis vitium eſſe, non mortis: nec magis in ipſa quidquam eſſe moleſtiae, quam poſt ipſam. 5 Tam demens autem eſt qui timet quod non eſt paſſurus, quam qui timet quod non eſt ſenſurus. An quisquam hoc futurum credit, ut per quam nihil ſentitur, ea ſentiatur? Ergo, inquit, mors adeo extra omne malum eſt, ut ſit extra omnem malorum metum. Haec ego ſcio et ſaepe dicta, et ſaepe dicenda, ſed neque quum legerem, aeque mihi profuerunt: neque quum audirem, his dicentibus, qui negabant timenda, 6 a quorum metu aberant. Hic vero plurimum apud me auctoritatis habuit, quum loqueretur de morte vicina.

c. *deſiderium.* Omnium fere librorum lectio. Muretus: *diſcidium.* Eraſmus *decidium*, qui tamen ad oram notaverat: alias *deſiderium ſui.* Mox *qui timet quod non eſt paſſurus, quam qui timet, quod non eſt ſenſurus*, ſcripta omnis lectio, a Mureto ex ingenio inverſa.

3. *ruina — depoſuit*] i. ſine ſuccuſſu magno, nedum vulneratum in terra poſuit. Sic Ep. XXIII, 7. verbo deponere utitur noſter.

4. *Baſſus — proſequi — componere — ſui.*] Omnia iſta iuſta ſibi perſolvere videntur, quae mortuo praeſtabantur, ut corona imponeretur, ut efferretur cum pompa etc. et ut ſapienter ferret deſiderium, quo amici afficiebantur. Comparat noſtrum Hemſterhuſ. ad Lucian. tom. I. p. 413 Bip.

5. *his dicentibus*] ſc. profuerunt.

cina. Dicam enim quid ſentiam. Puto etiam fortiorem eum eſſe, qui in ipſa morte eſt, quam qui circa mortem eſt. Mors enim admota etiam imperitis animum dedit non vitandi inevitabilia. Sic gladiator totâ pugnâ timidiſſimus iugulum adverſario praeſtat, et errantem gladium ſibi attemperat. At illa quae in 7
propinquo eſt, utique ventura, deſiderat lentam animi firmitatem: quae eſt rarior, nec poteſt niſi a ſapiente praeſtari. Libentiſſime itaque illum audiebam, quaſi ferentem de morte ſententiam, et qualis eſſet eius natura, velut propius inſpectae, indicantem. Plus, ut puto, fidei haberet apud te, plus ponderis, ſi quis revixiſſet, et in morte nihil mali eſſe narraret expertus. Acceſſus mortis quam perturbationem affe- 8
rat, optime hi tibi dicent, qui ſecundum illam ſteterunt, qui venientem et viderunt, et [d]receperunt. Inter hos Baſſum licet numeres, qui nos decipi noluit. is ait, tam ſtultum eſſe, qui mortem timeat, quam qui ſenectutem. Nam quemadmodum ſenectus adoleſcentiam ſequitur, ita mors ſenectutem. Vivere noluit, qui mori non vult. Vita enim cum exceptione 9
mortis

d. *receperunt* ita mss. et ita maneat: aliorum coniecturae: *ſe receperunt*, *repulerunt*, *reiecerunt*. Gron.

6. *Sic gladiator — attemperat.*] cf. de Ira I, 2, 3.

8. *receperunt.*] Genus loquendi eſt intelligendum, non quatenus ſenſus verbi patet, ſed quatenus veritas rei patitur. Plinius de Caeſare Auguſto: deſtinatio moriendi et quatridui inedia magna pars mortis in corpus recepta. Quid Tacitus de Paullina Senecae? ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut oſtentui eſſet, multum vitalis ſpiritus egeſtum. Et haec, Plinii verbo, magnam partem mortis in corpus receperat. Sed non hi tantum, omnes qui non refugerunt vel inſtantem vel minantem, ab ipſis Orci cancris liberati, viderunt et receperunt mortem. Et ſufficit, animo et fide receptam atque ad eam paratos fuiſſe. Gronov.

9. *Vita enim cum exceptione mortis data eſt*] h. e. cum con-

mortis data est: ad hanc itur. quam ideo timere dementis est; quia certa exspectantur, dubia metuuntur. Mors necessitatem habet aequam et invictam. Quis queri potest, in ea conditione se esse, in qua nemo non est? prima enim pars aequitatis est aequalitas. Sed nunc supervacuum est, naturae causam agere: quae non aliam voluit legem nostram esse, quam suam. quidquid composuit, resolvit: et quidquid resolvit, componit iterum. Iam vero si cui contigit, ut illum senectus leniter emitteret, non repente avulsum vitae, sed minutatim subductum, nae ille gratias agere diis omnibus debet, quod satiatus ad requiem homini necessariam, lasso gratam, perductus est. Vides quosdam optantes mortem, et quidem magis quam rogari solet vita. Nescio utros existimem maiorem nobis animum dare: qui deposcunt mortem, an qui hilares eam quietique opperiuntur. quoniam illud ex rabie interdum, ac repentina indignatione fit: haec ex iudicio certo tranquillitas est. [e] Venit aliquis ad mortem iratus morti: venientem nemo hilaris excipit, nisi qui se ad illam diu composuerat. Fateor ergo, ad hominem mihi carum, ex pluribus me causis frequentius venisse, ut scirem an illum toties eundem invenirem: numquid cum corporis viribus minueretur animi vigor. qui sic crescebat illi, quomodo manifestior notari solet

e. *Venit aliquis ad mortem iratus morti: venientem nemo* etc. Sic Grut. omnes et Modii, unusque Erasmi. Antea: *venit a. a. m. iratus:* mortem venientem etc.

conditione simul habendae mortis. Ep. VI, 4. LVII fin. Gronov.

10. *Minutatim subductum*] Supra hoc verbo in eadem re Ep. XXVI. Pro sensu: Alexis, poeta comicus, quum quidam senem eum vidisset et aegre incedentem, Quid agis? interrogavit. Ille autem, κατὰ σχολὴν ἀποθνήσκω otiose morior i. e. paullatim illuc eo. Stobaeus Serm. CXV. Lipsius.

11. *Quomodo manifestior — appropinquant.*] Curulium ludo-

let agitatorum laetitia, quum ſeptimo ſpatio palmae appropinquant. Dicebat quidem ille Epicuri praeceptis obſequens: „primum ſperare ſe, nullum dolorem eſſe in illo extremo anhelitu: ſi tamen eſſet, habere aliquantulum in ipſa brevitate ſolatii. Nullum enim dolorem longum eſſe, qui magnus eſt. Ceterum ſuccurſurum ſibi etiam in ipſa distractione animae corporisque, ſi cum cruciatu id fieret, poſt illum dolorem ſe dolere non poſſe. Non dubitare autem ſe, quin ſenilis anima in primis labris eſſet, nec magna vi distraheretur a corpore. Ignis qui valentem materiam occupavit, aquâ, et interdum ruinâ exſtinguendus eſt: ille qui alimentis deficitur, ſua ſponte ſubſidit.“ Libenter haec, mi Lucili, audio, non tanquam nova, ſed tanquam in rem praeſentem perductus. Quid ergo? non multos ſpectavi abrumpentes vitam? ego vero vidi: ſed plus momenti apud me habent, qui ad mortem veniunt ſine odio vitae, et admittunt illam, non attrahunt. Illud quidem aiebat tormentum noſtrâ nos ſentire operâ, quod tunc trepidamus, quum prope a nobis eſſe credimus mortem. [f]A quo enim prope non eſt, parata omnibus locis, omnibusque momentis? Sed conſideremus, inquit, tunc quum aliqua cauſa moriendi videtur accedere, quanto aliae propiores ſint quae non timentur. Hoſtis alicui mortem minabatur: hanc cruditas occupavit. Si diſtinguere volue-

12 13 14

f. *A quo enim prope non eſt.* Sic Eraſmus, vetus editio et Muretus cum Grutero. Lipſius omiſit, nulla ratione adiecta.

ludorum curſum ſeptimo apud Romanos ſpatio eſſe finitum, ideoque *palmam*, victoriam reportatam, eſt res notiſſima. Laudat Gruterus Fabri Agoniſtic. I, 28. Lipſius affert pulchrum locum Iunci ap. Stobaeum Floril. Serm. CXV Laus Senectutis.

12. Ad hanc Baſſi orationem conf. Ep. XXIV, 13 ſq. Diog. Laert. X, 124. 125. 139. 140, ibique Menagii notae.

voluerimus cauſas metus noſtri, inveniemus alias eſſe,
15 alias videri. Non mortem timemus, ſed cogitationem mortis: ab ipſa enim ſemper tantundem abſumus. Ita ſi timenda mors eſt, ſemper timenda eſt. quod enim tempus morti exemtum eſt? Sed vereri debeo, ne tam longas epiſtolas, peius quam mortem, oderis: itaque finem facio. Tu tamen mortem, ut nunquam timeas, ſemper cogita.

EPISTOLA XXXI.

Gaudet, quod Lucilius in dies ad bonam mentem comparandam propius accedat, admonetque, ut vota et iudicia vulgi contemnat et laborem. Suis autem ipſius viribus ad felicitatem perveniat ſuadet, quam ſine vero bono i. rerum ſcientia aſſequi non poſſit: quae exemplis illuſtrat.

Agnoſco Lucilium meum, incipit quem promiſerat exhibere. ſequere illum impetum animi, quo ad optima quaeque, calcatis popularibus bonis, ibas. Non deſidero maiorem melioremque te fieri, quam moliebaris. Fundamenta tua multum loci occupaverunt. tantum effice, quantum conatus es, et illa quae tecum in animo tuliſti, tracta. Ad ſummam, ſapiens eris, ſi clauſeris aures. quibus ceram parum eſt obdere. firmiore ſpiſſamento opus eſt, quam uſum in ſociis
2 Vlyſſem ferunt. Illa vox quae timebatur, erat blanda, non

1. *calcatis — bonis*] calcare ut graecum πατεῖν, καταπατεῖν (cf. Iacobs Animadv. ad Anal. Vol. II, P. I. p. 277.) noſtro perquam familiare eſt de contemtu. Vide de Benef. V, 4 fin. Nat. Qu. I. praef. Ep. XII. 10. XIV, 9. XLV, 8. XCIV, 52 etc. Inprimis Stoici hoc verbo ad contemtum rerum externarum, fortuitarum, uſi ſunt, quemadmodum Epicurei verbo προσπτύειν τινι. cf. Hemſterhuſ. ad Lucian. II. p. 504 Bip. *Vlyſſem.* res notiſſima ex Hom. Odyſſ. μ, 47. 48. 173 ſq.

2. *Illa vox* Sirenum, quae in prato aſſidebant ſuavem cantum edentes, Hom. l. l. 45 ἥμε-

non tamen publica: at haec quae timenda eſt, non ex uno ſcopulo, ſed ex omni terrarum parte circumſonat. Praetervehere itaque non unum locum inſidioſa voluptate ſuſpectum, ſed omnes urbes: ſurdum te amantiſſimis tui praeſta. Bono animo male precantur. et ſi vis eſſe felix, deos ora, ne quid tibi ex his quae optantur eveniat. Non ſunt iſta bona, quae in te iſti 3
volunt congeri: unum bonum eſt, quod beatae vitae cauſa et firmamentum eſt, ſibi fidere. Hoc autem contingere non poteſt, niſi contemtus eſt labor, et in eorum numero habitus, quae neque bona ſunt, neque mala. Fieri enim non poteſt, ut una res modo mala ſit, modo bona: modo levis et perferenda, modo expaveſcenda. Labor bonum non eſt. quid ergo eſt bonum? laboris contemtio. Itaque in vanum ope- 4
roſos culpaverim. rurſus ad honeſta nitentes, quanto magis incubuerint, minusque ſibi [a]vitia conſurgere permiſe-

a. *vitia conſurgere.* Lectio plurimorum codd. et editionis vetuſtae, quam vulgato praefero *vinci ac ſtrigare*, quod Guilielmo Peliſſerio adſcribitur, quem ſic ex mſſ. codd. fide reſtituiſſe perhi-

ἥμενοι ἐν λειμῶνι. Noſter *ſcopulum* ex illo prato effinxit, forſitan excuſandus ob hoc, quod inſula, quam incolebant, (Hom. I. I. 201) ſcopuloſa et ſcopulis praetenta animo obverſabatur. *amantiſſimis tui* vel maximo amore te proſequi ſimulantibus.

3. *ſibi fidere*] a ſe pendere, et ex ſe naſcentibus bonis: externa omnia contemtui habere. Lipſius. Noſter explicat haec Ep. XCII, 2. Is inquam beatus, quem nulla res minorem facit: tenet ſumma et ne ulli quidem, niſi ſibi innixus. Cf. Ep. XXX, 7. Horat. II Serm. 7, 83 ibique Bentl. *niſi contemtus labor.* Labor enim, ſanitas, mors, morbus etc. ad indifferentes, medias ſ. praepoſitas res pertinent, quae neque bonae neque malae ſunt Stoicis, nec virtuti acquirendae quidquam conferunt: ideoque indignas cenſebant, quibus animum adverterent. Attamen officii cauſſa labor confici debet, per ſe tamen contemni meretur. Cf. Cic. de Fin. III, 15. 16. Senec. de Vit. beat. XXII, 3 not. Antonin. IX, 42.

miſerint, admirabor et clamabo: Tanto melior, ſurge et inſpira, et clivum iſtum uno, ſi potes, ſpiritu exſupera! Generoſos animos labor nutrit. Non eſt ergo quod ex illo veteri voto parentum tuorum eligas, quid contingere tibi velis, quid optes: [b]et in totum, iam per maxima acto viro turpe eſt, etiam nunc deos fatigare. Quid votis opus eſt? fac et te ipſe felicem. facies autem, ſi intellexeris bona eſſe, quibus admixta eſt virtus: turpia, quibus malitia coniuncta eſt. Quemadmodum ſine mixtura lucis nihil ſplendidum eſt: nihil atrum, niſi quod tenebras habet,

bent. Eraſmi priores edd. dabant eadem, ſed poſteriores: *minusque ſibi vitia reſpirare:* Eraſm. tamen monet, lectionem a me repoſitam in aliis codd. reperiri. Alii dant: *reſtrigare* ſ. *aſtrugare*. Turneb. Adverſ. XXIV, 1. et Scalig. in Parodiam Virgilii, una cum Lipſio, probant τὸ *ſtrigare*, Archaiſmi, puto, et raritatis amore ducti, et docent, eſſe idem quod interquieſcere, propr. de equis qui in ſtriga ſtringebantur interquieſcendi cauſſa. Si a vitiis vincerentur, nulla quies eſſet, ſed in actu vitioſo viverent: fac itaque τὸ *vinci* tolerari poſſe, tamen *ſtrigare* parum conveniret. Cf. Salmaſii Exercit. Plin. p. 40, cuius viri eruditiſſimi auctoritas tanta fuit, ut vulgatam lectionem e Phaedr. Fab. III, 6, 9. quae erat *tricandum eſt*, mutarent editores in: *ſtrigandum eſt*, ubi tamen Bentlei. vulgatam tenebat. Mox *inſpira* omnium codd. et editionis veteris lectio: i. animoſe pergas, robur tibi ſumas. Sic Quinct. Inſt. Orat. II, 5, 8. V, 14, 32. Bene hoc convenit cum contentione contra vitia. *Reſpira* Eraſmus, Muretus, al. At Ioſ. Scaliger Caſtigatt. in lib. IV Propert. reponit ex ingenio: *et reſtriga.*

b. *et in totum, iam per maxima acto viro turpe eſt, etiamnunc deos f.* Eraſmi edd. ſic fere praeſtant, praeterquam quod *et nunc* habent, pro quo Eraſm. *etiamnunc* coniicit, quod in aliquot codd. eſt. Aberrationes librariorum ſunt *maxima* ſ. *maxime apto, opto.*

4. *rurſus*] altera ex parte. *Tanto melior* eris. nota exclamandi laudandique formula.

5. *Facies autem, ſi intellexeris bona eſſe, quibus admixta — eſt.*] Vere ſtoice! Felicitatem tibi unus comparare potes: nam quum bonum non eſſe poteſt, niſi virtute coniunctum ſ. admixtum ſit, ea tantummodo concupiſces, quae indiſſolubili virtutis vinculo continentur; atqui haec bona ſemper in noſtra poteſtate ſunt, ſemper a nobis acquiri atque poſſideri poſſunt. Cf. Epictet. Arrian. II, 16. Enchiridii I, 1.

bet, aut aliquid in se traxit obscuri: quemadmodum sine adiutorio ignis, nihil calidum est, nihil sine aëre frigidum: ita honesta et turpia virtutis et malitiae so-
cietas efficit. Quid ergo est bonum? rerum scientia. 6
Quid malum est? rerum imperitia. Ille prudens atque artifex, pro tempore, quaeque repellet aut eliget. Sed nec quae repellit timet, nec miratur quae eligit: si modo magnus illi et invictus animus est. Submitti te ac deprimi veto. laborem si non recuses, parum est: posce. Quis ergo, inquis, labor frivolus et supervacuus est? c quem humiles causae vocaverunt, non est malus, non magis quam ille qui pulchris rebus impenditur: quoniam animi est ipsa tole- 7
rantia, quae se ad dura et aspera hortatur, et dicit: quid cessas? non est viri, timere sudorem. Huc et

 illud

c. *quem humiles causae vocaverunt.* Sic codd. Grut. Amplonianus et editio vetusta; recte: i. quem humiles causae tibi imposuerunt. Antea: *in quem.* Gruter. aliquamnulta hic deesse suspicabatur.

6. *ille prudens atque artifex*] i. philosophus, sapiens: nam eo nomine Stoici sapientem designare amant: sic apud Lucilium s. auctorem Aetnae versu 186. Nunc opus artificem incendit causamque reposcit. Horat. I Serm. 3, 132. 133. Sapiens operis sic optimus omnis Est opifex solus, sic rex. cf. Tiedemann System der stoisch. Phil. III, p. 158. *rerum scientia,* et divinarum et humanarum. Conf. Ep. LXXXVIII. LXXXIX. Cic. Tusc. Disp. IV, 6. Plutarch. placit. Philos. princip. Nam bonum et virtus, sapientiaque idem valent. Similem fere definitionem dedit Stoae addictus Musonius Stobaei Serm. XXVII de Assiduitate p. 201 (ed. Tigur. 1543.) ἡ ἀρετὴ, ἔφη, ἐπιστήμη ἐστὶν, οὐ θεωρητικὴ μόνον, ἀλλὰ καὶ πρακτική. Lipsius monet, esse Socraticum. Socrates enim dicere solebat, et unicum bonum esse scientiam, et unicum malum ipsciti am Diog. Laert. II, 31. Hinc ductum est hoc Stoicorum dogma, indeque docti et rudes, σπουδαῖοι καὶ φαῦλοι idem iis valent, quod boni malique. Vide Ep. IX. Diog. Laert. VII, 121. Cf. Lipsii II Manuduct. in Philos. Stoic. Diss. I.

illud accedat, ut perfecta virtus sit, aequalitas ac tenor vitae per omnia consonans sibi: quod non potest esse, nisi rerum scientia contingat, et ars, per quam divina et humana noscantur. Hoc est summum bonum: quod si occupas, incipis deorum esse socius, non sup-
8 plex. Quomodo, inquis, isto pervenitur? non per Peninum Graiumve montem, nec per deserta Candaviae: nec Syrtes tibi, nec Scylla aut Charybdis, adeundae sunt: quae tamen omnia transisti procuratiunculae pretio. Tutum iter est, iucundum est, ad quod natura te instruxit. Dedit tibi illa, quae si non deserueris, par Deo surges. Parem autem Deo pecu-
9 nia non faciet: Deus nihil habet. Praetexta non faciet: Deus nudus est. Fama non faciet, nec ostentatio tui, et in populos nominis dimissa notitia. nemo novit Deum. multi de illo male existimant, et impune. Non turba servorum, lecticam tuam per itinera urbana ac peregrina portantium: Deus ille maximus potentissimusque ipse vehit omnia. Ne for-

7. *Deorum socius,*] sapiens enim par Deo est, propter illam accuratam omnium rerum scientiam. Lipsii Manud. III, 14.

8. *Non per Peninum Graiumque montem:*] spectant ad Alpium fauces, per quas Annibalis iter fiebat. *Candaviae deserta*, montana et saltuosa pars Macedoniae, quae a Dyrrhachio incipit. Plin. N. H. III, 23. Strabon. VII, 7. 8. p. 463. Tom. II ed. Lips. Antequam ad procurationem perveniret, diversis legationibus, quas obiisse credi par est, haud dubie has regiones adiit. *Parem — nudus est.* Deus nec pecuniam nec honores (*praetexta* magistratuum insigne) curat nec amat: sunt autem res vanae et fortuitae. Perfectio moralis ei curae est, quam habet et possidet summam.

9. *Deus ille maximus — omnia.*] Noster iis Stoicis accedit, qui deum et animum mundi esse eiusque curam agere docebant. Senec. Nat. Qu. II, 45. Diog. Laert. VII, 138. Cic. de Nat. Deor. II, 30. Antonin. VI, 44.

forma quidem et vires beatum te facere poſſunt: [d] nihil horum non patitur vetuſtatem. Quaerendum eſt ergo quod non fiat in dies deterius, cui non poſſit obſtari. Quid hoc eſt? animus: ſed hic rectus, bonus, magnus. Quid aliud voces hunc, quam Deum in humano corpore hoſpitantem? Hic animus tam in equitem Romanum, quam in libertinum, quam in ſervum, poteſt cadere. Quid eſt eques Romanus, aut libertinus, aut ſervus? Nomina ex ambitione, aut ex iniuria nata. Subſilire in coelum ex angulo licet: exſurge modo, et te quoque dignum finge Deo. Finges autem non auro, non argento: non poteſt ex hac materia imago Dei exprimi ſimilis. Cogita illos, quum propitii eſſent, fictiles fuiſſe.

EPISTOLA XXXII.

Gaudet, quod Lucilius ſolitudinem amet, nec converſetur diſſimilibus et diverſa cupientibus, monetque ut ab iis ſecurum liberumque ſe reddat, qui impedire profectus poſſint, inprimis vero ut res externas, quae in bonis non ſunt numerandae, contemnat. Ad hanc ſolitudinem ſaepius noſter amicum adhortatur, vid. Ep. VII. VIII. IX. X.

K 3 Inqui-

d. *nihil horum non patitur vetuſtatem*: probatiſſima eſt lectio: i. tempore pereunt, afficiuntur a vetuſtate et peiora fiunt. alii: *nihil horum patitur vetuſtatem* h. nihil horum fert aevum, aut ſubſiſtit. Lipſ. et Gron. probant: poſterior tamen multis exemplis nunc notis docet, maluiſſe veteres accipere hanc phraſin ſine negatione: pati vetuſtatem, aetatem, ferre annos, aetatem, tolerare annos.

10. Cf. Ep. XVIII, 9 ſq. *cogita illos — fictiles fuiſſe.* Deos curam geſſiſſe humanarum rerum, ſive, ut in rudi antiquitate mos erat, *fictiles*, ex argilla fabrefacti eſſent, ſive ex auro. Animus eſt erectus qui Deo placet, et quo te ei ſimilem fingere poſſis. Cf. Epictet. Arrian. Diſſert. I, c. 10.

Inquiro in te, et ab omnibus scisciter, qui ex ista regione veniunt, quid agas, ubi et cum quibus moreris. Verba dare non potes. tecum sum. Sic vive, tanquam quid facias auditurus sim: immo tanquam visurus. Quaeris, quid me maxime ex his quae de te audio, delectet? quod nihil audio: quod plerique ex his quos interrogo, nesciunt quid agas. Hoc est salutare, non conversari dissimilibus, et diversa cupientibus. Habeo quidem fiduciam non posse te torqueri, mansurumque in proposito, etiam si solicitantium turba circumeat. Quid ergo est? non timeo ne immutent te, timeo ne impediant. Multum autem nocet etiam qui moratur, utique in tanta brevitate vitae: quam breviorem inconstantiâ facimus, aliud eius subinde atque aliud facientes initium. Diducimus illam in particulas ac lancinamus. Propera ergo, Lucili carissime, et cogita, quantum celeritati additurus fueris, si a tergo hostis instaret, si equitem adventare suspiareris, ac fugientium premere vestigia. Fit hoc, premeris: accelera, et evade. perduc te in tutum, et subinde considera, quam pulchra res sit consummare vitam ante mortem, deinde exspectare securum reliquam temporis sui partem, [a]nihil sibi, in possessione beatae vitae positum: quae beatior non sit, si longior.

O

a. *nihil sibi, in possessione beatae vitae positum.* Omnium codd. et vett. edd. lectio, et ea, puto bona, quamquam omni sensu carere affirmat Gronov., qui: *inniti sibi in poss.* ingeniose emendat: Muretus duas voces *nihil sibi* omiserat. Enimvero beatae vitae iteratio hic non exspectatur, sed explicatio eius, quae eo continetur, quod beatus homo, qui vitam ante mortem iam con-

1. *ex ista regione,*] Sicilia, cuius procurator erat Lucilius. Ep. XXXI, 8. Praefat. huius Volum. *Sic vive — visurus.* cf. Ep. XXV, 4. *torqueri* i. flecti, abstrahi a proposito.

2. *quam breviorem — facimus — initium.*] De hoc malo hominum supra iam questus est in Ep. XXII, 11 sq. XXIII, 8 sq. *lancinamus*, dividimus, separamus.

O quando videbis illud tempus, quo ſcies tempus ad te non pertinere, quo tranquillus placidusque eris, et craſtini negligens, et in ſumma tui ſatietate! Vis ſcire, quid ſit quod faciat homines avidos futuri? Nemo ſibi contigit. Optaverunt utique tibi alia parentes tui: ſed ego tibi contra, omnium eorum contemtum opto, quorum illi copiam. Vota illorum multos compilant, ut te locupletent. quidquid ad te transferunt, alicui detrahendum eſt. Opto tibi tui facultatem, ut vagis cogitationibus agitata mens, tandem reſiſtat, et certa ſit: ut placeat ſibi, et intellectis veris bonis, quae ſimul intellecta ſunt, poſſidentur, aetatis adiectione non egeat. Ille demum neceſſitates ſupergreſſus eſt, et exauctoratus ac liber, qui vivit vitâ peractâ. 4

ſummaverit, ἀπαθείᾳ iſta prorſus praeditus reliquam temporis ipſi a natura deſtinati partem exſpectet, nihil tamen amplius ſibi praeſtolatur, fato ſuo terreno quaſi conſummato, itaque nullo rerum extra ſe poſitarum amore aut deſiderio trahatur. Omnia quae eveniant, ſecurus proſpicit, et quomodocunque cadant, idem ſemper permanet, nam in poſſeſſione vitae beatae poſitus eſt.

3. O *quando videbis* etc.] Optime noſter explanat Nat. Qu. I. praefat. §. 3 ſqq. *Nemo ſibi contigit* i. nemo ſorte ſua contentus vivit. Horat. I Serm. 1. Eraſmus Adag. 4681 reſpicere Senecam putat ad illud tritum Platonis (Epiſt. Plat. IX ad Archytam Tom. XI, p. 165 Bip.), quod Cic. de Off. I, 7, 5. adduxit: neminem ſibi ſoli naſci. Dii boni, exclamat Lipſius, quam divertit a noſtri mente! quae eſt, homines distrahi, varia et vana agitare, optare: neminem apud ſe eſſe et ſe contentum. Hoc autem facit ſapiens, qui ſibi ſufficit.

4. *quae ſimul intellecta ſunt.*] Nam in iudicio et habitu optimae mentis eſt beatitudo: qui momento contingit purgata et perfecta ratione. Vide aliquid Manuduct. III Diſſ. 3 fin. Lipſius.

EPISTOLA XXXIII.

Quum Epist. XXIX, 8. Lucilio perscripsisset, se excerptas sententias clausulae loco non amplius missurum esse, atque hic aegre hoc tulisset, desideravissetque, ut hunc morem tales sententias adscribendi epistolis continuaret, negat Seneca sententias aut Chrias e Stoicis esse excerpendas, quippe quos uno tenore legendos monet: quum in Epicuro rarae, insperatae interveniant, et omnino publicae sint. Deinde turpe est, sibi non inniti, sed semper a quopiam, tamquam rege pendere, cum auctore semper loqui. Tum flosculos captare puerorum non virorum est. Itaque non semper ad magistrum respicere decet, sed tua facere, prioribus tamen non neglectis: dummodo proprias animi vires intenderis ad veritatem inveniendam et in vita exercendam praeferendamque. Ceterum Stoae auctores propter virilem scriptorum contextum laudans non advertit vitia, quae Ep. XLVIII. LXXXII. CXIII. ipsis exprobrat: de quibus vide Brucker. Hist. Crit. Phil. Vol. I. p. 904 sqq.

Desideras his quoque epistolis, sicut prioribus, adscribi aliquas voces nostrorum procerum. Non fuerunt circa flosculos occupati: totus contextus illorum virilis est. inaequalitatem scias esse, ubi quae eminent, notabilia sunt. Non est admirationi una arbor, ubi in eandem altitudinem tota silva surrexit. Eiusmodi vocibus referta sunt carmina: refertae historiae. Itaque nolo Epicuri illas esse existimes: publicae sunt, et maxime nostrae. Sed in illo magis annotantur, quia rarae interveniunt, quia insperatae, quia mirum est
2 aliquid fortiter dici ab homine mollitiam profesſo. Ita enim

1. *nostrorum procerum*] Zenonis, Cleanthis al. quos §. 3. nominat. *flosculos*, sententias eminentiores captandas, ut iis de industria orationem suam distinguerent, de virilitate et aequalitate orationis parum solliciti. Cf. I. Chr. Th. Ernesti Lexic. Technologiae Latinor. rhetoricae voc. Flos, ubi et huius loci memor fuit, bono sensu vocem a Seneca adhibitam censens, quamquam hanc occupationem circa flosculos contextui virili Stoicorum opponit Seneca, et manifeste reprehendit.

enim plerique iudicant. apud me vero Epicurus est et fortis, licet manuleatus sit. Fortitudo, et industria, et ad bellum promta mens, tam in Persas quam in alte cinctos cadit. Non est ergo quod exigas excerpta, et repetita: continuum est apud nostros, quidquid apud alios excerpitur. Non habemus itaque ista [a] odorifera, nec emtorem decipimus, nihil inventurum quum intraverit, praeter illa quae in fronte suspensa sunt. Ipsis permittimus, unde velint sumere exemplar. Puta 3
nos velle singulares sententias ex turba separare: cui

 illas

a. *Odorifera.* Miratio subit, quod ad aberrationem librariorum *ocliferia* (in cod. Amplon.) *octiferia* viri doctissimi animum advertere potuerint. Gruterus purum putum arbitratur post Lipsium Elect. lib. I. c. 16. (Opp. tom. I, p. 402 sq.) et in nota ad h.l.

1. *Ita — iudicant.*] Quantopere Cicero v. c. in Epicurum invectus sit, omnia eius opera docent, inprimis lib. II de Fin. Loca collecta vides ab Ernesti in Clav. Cic. Hist. voc. Epicurus. Cf. Bruckeri Hist. Crit. Philos. Vol. II, p. 64 sqq. *manuleatus.* Notum tunicas chirodotas s. manicatas mulierum aut mollium fuisse. Viri brachiis nudis incedebant, recte notat Lipsius, confertque Aul. Gell. Noct. Attic. VII, 12. Senec. de Vit. beat. XIII, 3. Hoc tale est, quale vir fortis stolam indutus. Tale vel asperius de Epicuro et assectis Arcesilaus, mediae Academiae auctor, qui interrogatus, Cur ex aliis sectis ad Epicuream transirent multi, nemo ex illis ad alias? Nam, inquit, ex viris Galli (evirati) fiunt, ex Gallis viri numquam. Diog. Laert. IV, 43. *Fortitudo — cadit.* Similis sententia occurrit Epist. XXXI, 10. *Persae* fluxa et soluta veste quidem usi, sed erant acerrimi bellatores. Laudat Lipsius Ammian. XXIII, 6. p. 363. Tom. I. Bip. Adeo autem dissoluti sunt et artuum laxitate vagoque incessu se iactitantes (Persae), ut effeminatos existimes, quum sint acerrimi bellatores. *alte cincti* erant milites Romani, item omnes strenui aut actuosi. Horat. I Serm. 2, 25. 26. *odorifera,* retinet metaphoram: *excerpta* enim haec et *repetita* i. desumta, flosculos dixerat; et fuerunt anthologiae s. florilegia haud pauca in antiquitate, ut notum est. Quibus flosculis exceptis nihil in eius libris est, quod magnopere desideres.

illas assignabimus? Zenoni, an Cleanthi, an Chrysippo, an Panaetio, an Posidonio? Non sumus sub rege: sibi quisque se vindicat. apud istos quidquid dicit Hermachus, quidquid Metrodorus, ad unum refertur. Omnia quae quisquam in illo contubernio lo-
4 cutus est, unius ductu et auspiciis dicta sunt. Non possumus, inquam, licet tentemus, ex tanta rerum aequalium copia aliquid educere

Pauperis est numerare pecus.

Quocunque miseris oculum, id tibi occurrit, quod eminere posset, nisi inter paria legeretur. Quare depone istam spem, posse te summatim degustare ingenia maximorum virorum: tota tibi inspicienda sunt,
5 tota tractanda. Res geritur, et per lineamenta sua ingenii opus nectitur, ex quo nihil subduci sine ruina potest. Nec recuso, quo minus singula membra, dummodo in ipso homine, consideres. Non est formosa, cuius crus laudatur aut brachium, sed illa cuius universa facies admirationem singulis partibus abstulit. Si tamen exegeris; non tam mendice tecum agam,
6 sed plena manu fiet. Ingens eorum turba est passim iacentium: sumenda erunt, non colligenda. Non enim excidunt, sed fluunt perpetua, et inter se connexa sunt.

Mox §. 4. *ex tanta rerum aequalium copia aliquid educere.* Veterem editionem sequor, et Erasm. Cf. Gruter. §. 6. *connexa sunt* est vulgata; sic et Erasm. et vetus ed. Omnes Grut. et Amplon. *contexta sunt*, quod Grut. genuinum auctoris putat.

3. *ad unum refertur*] Epicurum. Cf. Diog. Laert. X, 16. Brucker Hist. crit. Phil. Vol. I. p. 1251. ubi et nostri loci memor fuit.

4. *Pauperis — pecus.*] Versus Ovidii Metamorph. XIII, 824.

5. *Res geritur — nectitur.*] Strenue incepta sua perficiunt in libris suis, et ordinem sibi semel praestitutum perpetuo tenore custodiunt, ad flosculos inserendos animo non adverso.

6. *Non enim excidunt, sed fluunt perpetua.*] Non enim ordine

sunt. Nec dubito, quin multum conferant rudibus adhuc, et extrinsecus auscultantibus. Facilius enim singula insidunt circumscripta, et carminis modo inclusa. Ideo pueris et sententias ediscendas damus, et has quas Graeci Chrias vocant: quia complecti eas puerilis animus potest: quia plus adhuc non capit certi profectus. Viro captare flosculos turpe est, et 7
fulcire se notissimis et pauciss imis vocibus, et memoriâ stare. Sibi iam innitatur. dicat ista, non teneat. Turpe est enim seni, aut prospicienti senectutem, ex commentario sapere. Hoc Zeno dixit. tu quid? Hoc Cleanthes. tu quid? quousque sub alio moveris? et impera, et dic, quod memoriae tradatur: aliquid et de tuo profer. Omnes itaque istos nunquam auc- 8
tores, semper interpretes, sub aliena umbra latentes, nihil puto habere generosi, nunquam ausos aliquando facere, quod diu didicerant. Memoriam in alienis exer-

dine et tenore interrupto et fracto alia iacent, alia eminent, sed perpetuo fluxu prolabuntur omnia. Cf. Ernesti Lexic. Technol. Lat. rh. voc. Fluere. *extrinsecus auscultantibus.* Qui ad penetralia nondum admissi: allusumque ad libros et auditores ἐξωτερικούς. Lipsius. De hac distinctione esotericorum et exotericorum, nunc satis nota, vidisse iuvabit Buhle ad Aristotelem Vol. I, p. 107 sqq. Bip. *Chrias,* χρείας, concinna aliqua dicta memorabilia aut facta breviter enunciata et personae cuidam apte tributa. Sic definit Aphthonius: ἀπόμνημόνευμα σύντομον, εὐστόχως ἐπί τι πρόσωπον ἀναφερόμενον. Ernesti Lexic. Technol. Graec. rhet. voc. Χρεία. Quinctil. I, 5. Inst. Or. Multas collectiones huius generis et nominis in antiquitate fuere. Sic Machon poeta comicus Alexandrinus satis celeber (v. Dioscorid. epigram. in eum ap. Brunck. Anal. Tom. I. p. 501. nr. XXX.) χρείας composuit, dicta memorabilia meretricum (ἑταιρῶν) complexas. Athen. VI, p. 241. F. Recentioribus temporibus Aphthonium sequuntur commentationes artificiose nec raro inepte elaboratas nomine chriarum satis diu insignivisse praeceptores constat.

7. *Hoc Cleanthes.*] Laudat Lipsius Epictet. Arrian. Diss. II, 19. prorsus his gemina.

exercuerunt. Aliud est, meminisse: aliud, scire. Meminisse, est rem commissam memoriae custodire: at contra scire, est et sua facere quaeque, nec ab exemplari pendere, et toties ad magistrum respicere. 9 Hoc dicit Zeno, hoc Cleanthes. Aliquid interfit inter te, et librum. quousque discres? iam et praecipe. Quid est, quare audiam, quod legere possum? Multum, inquit, viva vox facit. non quidem haec, quae alienis [b]verbis commodatur, et actuarii vice fungitur. Adiice nunc, quod isti qui nunquam tutelae suae fiunt, primum in ea re sequuntur priores, in qua nemo non a priore defecit: deinde in ea re sequuntur, 10 quae adhuc quaeritur. Nunquam autem invenietur, si contenti fuerimus inventis. Praeterea qui alium sequitur, nihil invenit, immo nec quaerit. Quid ergo? non ibo per priorum vestigia? ego vero utar via veteri: sed si [c]priorem planioremque invenero, hanc muniam. Qui ante nos ista moverunt, non domini nostri, sed duces sunt. Patet omnibus veritas, nondum est occupata: multum ex illa etiam futuris relictum est.

EPI-

b. *verbis commodatur* Gruterus e codd. suis una cum Modio reduxit. Antea: *v. commendatur.*

c. *priorem.* Omnium fere codd. et edd. lectio, quam Muret. mutavit, *priorem* omittendo: cf. Mureti Var. Lect. XV, 16. P. Faber I, 10. Semestr. *priorem*, ait, reiiciendum esse Erasmus vidit et alicubi *apertiorem* legi ait: ipse vero vel *potiorem* vel *proniorem* mavult. ego *propiorem.* Haec Fabri emendatio *propiorem* vulgata facta est. Nulla tamen causa subest, cur *priorem* i. potiorem eiiciamus.

9. *actuarii*] Ita dicuntur, qui acta excipiunt et scribunt. Vide Lips. ad Tacit. Annal. V, 4. Excursu A. Tom. II, p. 632 sq. ed. Ernest. *numquam tutelae suae* i. alieni semper arbitrii, ut pupilli.

EPISTOLA XXXIV.

Gaudet profectibus, quos Lucilius fecerat, quia ſuum opus ſibi eum aſſerit, ipſeque eum formavit. Hortatur igitur ut pergat et ad ſummum perveniat.

Creſco et exſulto, et discuſſâ ſenectute recaleſco, quoties ex his quae agis et ſcribis, [a] intelligo quantum te ipſe (nam turbam olim reliqueras) ſupergrederis. Si agricolam arbor ad fructum perducta delectat, ſi paſtor ex fetu gregis ſui capit voluptatem, ſi alumnum ſuum nemo aliter intuetur quam ut adoleſcentiam illius ſuam iudicet: quid evenire credis his, qui ingenia educaverunt, et quae tenera formaverunt, adulta ſubito vident? Affero te mihi. meum opus es. Ego 2
quum vidiſſem indolem tuam, inieci manum, exhortatus ſum, addidi ſtimulos, nec lente ire paſſus ſum, ſed ſubinde excitavi: et nunc idem facio. Sed iam currentem hortor, et invicem hortantem. Quid, aliud, inquis, adhuc volo? in hoc plurimum eſt. Non ſic 3
quomodo principia totius operis dimidium occupare dicuntur,

a. *intelligo quantum te ipſe (nam turbam olim reliqueras) ſupergrederis.* Plerique Grut *nam turbam quam o. r.* Editio vetus: *quantum te ipſe facis. Nam turbam quam ol. rel. ſuper te geris.* Mox *perducta* bene habet, etſi Eraſm. et editio vetus *producta* praeſtant.

1. *nam turbam olim*] non eſt diceſſeras a conſortio hominum, ſed te diſtinxeras a vulgari hominum multitudine eo quod emineres. *ſi alumnum*, quem quis a primis inde annis aluit, ut robuſtum eius corpus fieret. Hae comparationes ſaepiſſime occurrunt ap. veteres.

2. *inieci manum*] ut te fingerem et formarem: metaphora ſumta eſt ab iis, qui equos fingunt. Alioquin iniicitur manus rei, ut poteſtas exprimatur. *Addere ſtimulos, incitare, currentem* ex eadem metaphora explices. *Quid — volo? — plurimum eſt.* Rogas quid amplius a te poſtulem? At hoc quod abs te peto, ſummi momenti eſt.

3. *Non ſic — dicuntur.*] Notum adagium, et Horatio in hac ipſa re expreſſum I Epp. 2, 40.

cuntur, ita res animo conſtat: [b]itaque pars magna bonitatis eſt, velle fieri bonum. Scis quem dicam bonum? perfectum, abſolutum, quem malum facere nulla vis, nulla neceſſitas poſſit. Hunc in te proſpicio, ſi perſeveraris et incubueris, et id egeris, ut omnia facta dictaque tua inter ſe congruant ac reſpondeant ſibi, et unâ formâ percuſſa ſint. Non eſt huiusmodi animus in recto, cuius acta discordant.

EPISTOLA XXXV.

Cauſam, cur amicum tam enixe roget, ut ſtudeat, exponit. Cupit, ut ita ad bonam mentem perveniat, diſcatque conſtanter ideoque ſapienter vivere. Ita fiet, ut amor, quo Senecam amplectatur, in amicitiam convertatur.

Quum te [a]tam obnixe rogo ut ſtudeas, meum negotium ago. habere amicum volo: quod contingere mihi,

b. *itaque pars.* Sic Eraſm., quinque Palat. ap. Grut., Amplonian. et editio vetus. Muretus ejecerat primus τὸ *itaque.*

a. *tam obnixe.* Ita Eraſmus. Codd. tamen Grut. et editio vetus *valde:* Erfurt. Amplon. una cum Erlangenſi cod. *valide:* quas varietates manifeſto pro interpretamentis difficilioris vocis *obnixe* habeas, retinendae vel ob hoc, quod exquiſitior eſt, nec cum Ruhnken. ad Vellei. Paterc. I, 9. p. 36. mutandae in: *eni-*

2, 40. *Dimidium facti qui coepit habet: ſapere aude.* Velis, et tenta ſapere: dimidium rei erit. Nec enim totum: neque ſola voluntas ſufficit, ſed videndum, ut recta ea ſit, quod ſine ſcientia nemo aſſequitur. Itaque Seneca gradationem hanc facit: *Actio recta non erit, niſi voluntas ſit recta: ab hac enim eſt actio. Rurſus voluntas non erit recta, niſi habitus animi rectus fuerit: ab hoc enim eſt voluntas. Habitus porro animi non erit* ſine ſcientia; quae bona ſcilicet et mala diſtinguit. Vide Epiſt. XCV. Lipſius. Cf. Eraſmi Adag. 1239.

1. *ſtudeas*] ſc. philoſophiae ſtoicae. A noſtro hic uſus verbi *ſtudere*, idem valentis quod operam navare literis, increbeſcere coepit. Ceterum Lipſius laudat ſuam Manuduct. II, Diſſ. I. ubi putat, eſſe hoc

Stoi-

hi, niſi pergas excolere te, ut coepiſti, non poteſt. Nunc enim amas me, amicus non es. Quid ergo? haec inter ſe diverſa ſunt? immo diſſimilia. Qui amicus eſt, amat: qui amat, non utique amicus eſt. Itaque amicitia ſemper prodeſt: amor etiam aliquando nocet. Si nihil aliud, ob hoc profice, ut amare diſcas. Feſtina ergo, dum mihi proficis, ne iſtuc alteri didiceris. Ego quidem percipio iam fructum, quum 2
mihi fingo, uno nos animo futuros, et quidquid aetati meae vigoris abceſſit, id ad me ex tua, quamquam non multum abeſt, rediturum: ſed tamen re quoque ipſa laetus eſſe volo. Venit ad nos ex his, quos amamus, etiam abſentibus, gaudium: ſed id leve et evanidum. Conſpectus, et praeſentia, et con- 3
verſatio aliquid habet vivae voluptatis: utique ſi non tantum quem velis, ſed qualem velis, videas. Affer itaque te mihi, ingens munus: et quo magis inſtes, cogita me ſenem eſſe, te mortalem. Propera ad me, ſed ad te prius. profice, et ante omnia hoc cura, ut conſtes tibi. Quoties experiri voles, an aliquid actum
ſit, obſerva an eadem velis hodie quae heri. Muta- 4
tio voluntatis indicat animum natare, [b]aliubi atque

aliubi

xe. Cf. Donatum ad Terent. Andr. I, 1, 134. Mox §. 3. *propera* mſſ. lectio eſt. Eraſmi ed. *propterea*. Muretus illud *propera* velut e ſua coniectura ortum vindicat.

b. *alinbi atque aliubi apparere*. Gruterum ſic diſtinguentem ſequor. Antea diſtinguebatur: *natare alinbi, atque* etc. Editio vetus ha-

Stoicis proprium, ut *ſtudioſos* et *ſtudere* dicerent eos, qui ſapientiae ſe darent, nec tamen probat. *habere amicum — nocet.* Egregie hac de re primus, quod ſciam, disputavit fuſe Plato in dialogo praeſtantiſſimo, Lyſis inſcripto, Tom. V, Opp. p. 211 ſqq. Bip. *ſemper prodeſt amicitia.* Eſt enim bonum. Lipſii Manud. II, 21. *Feſtina — didiceris* veretur enim, ut diu vivat.

3. *Affer itaque — munus.*] ad vocem factumque Aeſchinis, qui ſe ipſe munus Socrati obtu-

aliubi apparere, prout tulit ventus. Non vagatur, quod eſt fixum et fundatum. Iſtud ſapienti perfecto contingit, aliquatenus et proficienti provectoque. Quid ergo intereſt? hic commovetur quidem, non tamen transit, ſed ſuo loco nutat: ille nec commovetur quidem.

EPISTOLA XXXVI.

Adoleſcens quidam, honeſto loco natus, idemque Lucilii amicus, ſeſe ad philoſophiae ſtudium contulerat: quo nomine reprehendebatur a multis, et inertiae inſimulabatur. Quae quum Lucilius Senecae perſcripſiſſet, hic iſtum monet, ut amicum hortetur ad obiurgatores iſtos magno animo contemnendos. Hoc quippe otio id conſequuturum, ut fortunae ludibria evitet. Deinde cavet, ne falſa conditionis denominatio eum terreat, qua iners et horridi animi apud obiurgatores audiat. Pergat modo monet bonus eſſe et fieri, ut habeat, quo ſenex utatur, et ut ad veram libertatem perveniat, i. e. ad bonam mentem, in quam fortuna nullum habeat ius. Sic ſummam aſſequi meditetur, mortis contemtum. Cf. Ep. LXVIII.

Amicum tuum hortare, ut iſtos magno animo contemnat, qui illum obiurgant, quod umbram et otium petierit, quod dignitatem ſuam deſtituerit, et quum plus conſequi poſſet, praetulerit quietem omnibus. Quam utiliter negotium ſuum geſſerit, quotidie illis oſtendet. Hi, quibus invidetur, non deſinent transire: alii elidentur, alii cadent. Res eſt inquieta felicitas: ipſa

bet: *natare: et aliubi atque alicubi apparere prout velit ventus.* Aliubi et aliubi eſt nota ὑπόσις, i. diverſis locis. Cf. Senec. de Benef. III, 6. Plin. N. H. IX, 54.

obtulit, ut gratus eſſet. Noſter I de Benef. c. 8. L. *iſtud — provectoque.* De quibus gradibus cf. Lipſium in Manud. II, 9.

1. *iſtos*] cum contemtu poſitum, ut ſaepe ap. Ciceronem.

Hi — non deſinent transire ab uno propoſito in aliud, mutare vitam et ſtatum. Sic fine epiſtolae prioris: Hic commovetur quidem, non tamen transit. *felicitas* in communi voca-

ipſa ſe exagitat, movet cerebrum, non uno genere. Alios in alium irritat: hos in potentiam, illos in luxuriam: hos inflat, illos mollit, et totos reſolvit. [a]„At bene aliquis illam fert!“ Sic, quomodo vinum. 2
Itaque non eſt, quod tibi iſti perſuadeant, eum eſſe felicem, qui a multis obſidetur. ſic ad illum, quemadmodum ad lacum, concurritur: quem qui exhauriunt, et turbant. „Nugatorium et inertem vocant.“ Scis quosdam perverſe loqui, et ſignare contraria. Felicem vocabant. quid ergo? erat? Ne illud quidem 3
curo, quod quibusdam nimis horridi animi videtur et tetrici. Ariſton aiebat: „malle ſe adoleſcentem triſtem, quam hilarem et amabilem turbae. Vinum enim fieri bonum, quod recens durum et aſperum viſum eſt:

a. *At bene — vinum.* Plura dixiſſe noſter videtur Lipſio, quae interierunt. Sed hoc putemus non opus eſt. Nec ei adſentior in eo, quod *in impotentiam* malit. Vide notam. Mox *quem qui exhauriunt et turbant* recte indicio membranarum ſuarum reposuit Gruter.: antea defuit *τὸ* *qui*.

vocabuli ſenſu, non philoſophico. Ille propter eventuum ſucceſſus facit, ut alii ambitione ducantur ad honores adipiſcendos, ideoque ad potentiam etc.

2. *At bene — vinum.*] Vinum bonum comparatur cum homine felice. Bonitate autem ſ. felicitate gaudet vinum eodem modo quo patroni principesve. Vt enim vinum bonum ab hominibus eius cupidis ad dolium ſ. *lacum*, quo vinum novum, muſtum, deducitur, (Tibull. I, 1, 10. Virg. Ge. II, 6 ſqq.) confluentibus exhauritur et turbatur, ſic et beati illi patroni (vid. Ep. IV, 8. LXVIII, 9 etc.) a clientibus obſidentur, turbanturve. Lipſius illud: *vinum* caſu accuſ. poſitum, quod tamen nominat. eſt, intelligens, nec integra haec nec plena eſſe exiſtimat.

3. *Felicem vocabant* illum, qui a multis obſidetur, patronum. Lipſius de Corn. Sulla cogitavit, quem felicem appellatum conſtat. Cf. Conſolat. ad Marc. XII, 6 not. *Ariſton*, Chius, celeberrimus Zenonis Citiei diſcipulus, et praeceptor Eratoſthenis al. Cf. Fabricii Bibl. Gr. Vol. III, p. 540 ſqq. Harl. *Vinum enim — placuit.* Vbi enim vinum no-

4 est: non pati aetatem, quod in dolio placuit.“ Sine, eum tristem appellent, et inimicum processibus suis. [b]bene se dabit in vetustate ipsa tristitia: perseveret modo colere virtutem, perbibere liberalia studia, non illa, quibus persundi satis est, sed haec quibus tingendus est animus. hoc est discendi tempus. Quid ergo? aliquod est, quo non sit discendum? minime. sed quemadmodum omnibus annis studere honestum est: ita non omnibus institui. Turpis et ridicula res est
5 elementarius senex. Iuveni [c]parandum, seni utendum est. Facies ergo rem utilissimam tibi, si illum quam optimum feceris. Haec aiunt beneficia esse expetenda tribuendaque, non dubie primae sortis, quae tam prodest dare quam accipere. Denique nihil illi iam liberi est: spopondit. minus autem turpe est, credi-
6 tori quam spei bonae decoquere. Ad illud aes alienum solvendum opus est negotianti navigatione prospera, agrum colenti ubertate eius, quam colit, terrae, et

b. *bene se dabit* etc. Gruterus recte refutat emendationem ICti cuiusdam: *bene sedabit vetustate ipsa, tristitiam.* Nam ille loquendi usus tritissimus est. Mox *perbibere lib. stud.* recte habet. *Perhibere* tamen habet Erasmus et codd. Grut. *Prohibere* praestat editio vetus. Noster Ep. XCIV, 4. Haec quum persuasi mihi et *perbibi.* Similiter Horat. I Epp. 2, 67. nunc *adbibe* puro Pectore verba puer.

c. *parandum.* Sic Erasmus et Gruteri codd. Alii male *parendum.* Mox *Denique nihil illi iam liberi est: spopondit.* Sic Gruteri codd. Sed Erasmus et ed. vetus: *d. n. i. i. liberum e.: sp.* Pincianus in suis codd. invenit: *libernum esse spopondi.*

vellum paulum defaecasset, defundebant in amphoras et cados. Facit huc fragmentum Alexidis ex Comoedia Δημήτριος ἢ Φιλέταιρος inscripta servatum parilem sententiam efferens ap. Brunk. Gnom. poet. Graec. p. 183. 11. unde Ariston sua hausisse videri potest. Muretus et Lipsius laudant simillimum Attii dictum ap. Aul. Gell. Noct. Att. XII, 11.

4. *processibus*] ad potentiam, ideoque felicitati. Sic Ep. CXV, 18. Queruntur et de consiliis et de processibus suis. *non illa* e. c. poemata, *sed haec* sc. philosophica, quae sola vere liberale studium vocat noster Ep. LXXXVIII, 1 sqq.

et coeli favore: ille quod debet, ſola poteſt voluntate perſolvere. In mores fortuna ius non habet. Hos disponat, ut quam tranquilliſſimus ille animus ad perfectum veniat, qui nec ablatum ſibi quidquam ſentit, nec adiectum, ſed in eodem habitu eſt, quomodocunque res cadunt. Cui ſive aggeruntur vulgaria bo- 7
na, ſupra res ſuas eminet: ſive aliquid ex iſtis vel omnia caſus excuſſit, minor non ſit. Si in Parthia natus eſſet, arcum infans ſtatim tenderet: ſi in Germania, protinus puer tenerum haſtile vibraret: ſi avorum noſtrorum temporibus fuiſſet, equitare, et hoſtem cominus percutere didiciſſet. Haec ſingulis diſciplina gentis ſuae ſuadet, et imperat. Quid ergo 8
huic meditandum eſt? quod adverſus omnia tela, quod adverſus omne hoſtium genus bene facit, mortem contemnere: quae quin habeat in ſe aliquid terribile, ut et animos noſtros, quos in amorem ſui natura formavit, offendat, nemo dubitat: [d] nec enim opus eſſet in id comparari et acui, in quod inſtinctu quodam voluntario iremus, ſicut feruntur omnes ad conſervationem ſui. Nemo diſcit, ut, ſi neceſſe fuerit, aequo 9
animo in roſa iaceat: ſed in hoc duratur, ut tormentis non ſubmittat fidem: ut, ſi neceſſe fuerit, ſtans etiam aliquando ſaucius, pro vallo pervigilet, et ne pilo quidem incumbat, quia ſolet obrepere interim ſomnus in aliquod adminiculum reclinatis. Mors nullum habet incommodum. Eſſe enim debet aliquid,

d. *nec enim opus eſſet.* Sic Grut. et Pincian. in ſuis codd. invenerunt. Eraſmus et edit. vetus: *nec neceſſe eſſet.*

7. *tenerum haſtile*] illorum verbo, frameam, (Tacit. de morib. Germ. 6.) L. *equitare.* Nobiliorum aut ſtirpe equeſtri oriundorum fuiſſe nota res.

9. *Mors nullum — incommodum.*] Morte enim, ait, animum diſſipari, ideoque non ſentire incommodum, quod mors habere poſſit. Cf. Cic. Tuſc.

10 cuius sit incommodum. Quod si tanta cupiditas longioris aevi te tenet, cogita nihil eorum quae ab oculis abeunt, et in rerum naturam, ex qua prodierunt, ac mox proceſſura sunt, reconduntur, consumi. Desinunt ista, non pereunt. Et mors, quam pertimescimus ac recusamus, intermittit vitam, non eripit. veniet iterum, qui nos in lucem reponat dies, quem multi recusarent, nisi oblitos reduceret. Sed postea diligentius docebo, omnia quae videntur perire, mu-
11 tari. Aequo animo debet rediturus exire. Observa orbem rerum in se remeantium: videbis in hoc mundo nihil exstingui, sed vicibus descendere, ac resurgere. Aestas abit, [e]sed alter annus illam adducit: hiems cecidit, referent illam sui menses: solem nox obruit, sed ipsam statim dies abiget. Stellarum iste [f]discursus, quidquid praeterierit, repetit: pars coeli levatur assidue, pars mergitur. Denique finem faciam, si hoc unum adiecero, nec infantes, nec pueros, nec mente lapsos, timere mortem: et esse turpissimum, si eam securitatem nobis ratio non praestat, ad quam stultitia perducit.

EPI-

e. *sed alter annus illam adducit.* Sic Gruteriani codd. editio vetus et Erasmus. At Gronovius III, Obss. 14, p. 420 ed. Lips. in ms. membranis, quas contulit, reperisse testatur: *sed altera illam artius adducit*, unde suo more i. e. ingeniose emendat: *Aestas abit, sed alter illam Martius a.* Martium enim mensem pro initio veris poni, et aestatis hiemisque mentione saepe ver et autumnum includi apud veteres. Vtrumque tamen apud poetas tantum valere, ideoque hic non locum habere putaverim.

f. *discursus.* Sic Erasmus, editio vetus et duo codd. Grut.; at tres reliqui apud eundem habent: *iste decursus*, praeponente Grutero.

Tusc. I, 5 sq. Ad sequentia bene confert Lipsius nostrum de Benef. V, 8.

10. *Veniet*] Palingenesiam dicit. Cf. Lipsii Manud. II, 22. Lucret. III, 859 sqq. *Postea* i. alibi. Fortasse in eius opere nunc deperdito, Magna moralia inscripto.

EPISTOLA XXXVII.

Adhortatur Lucilium, ut in via ad philosophiam coepta pergat, [nec ab illa abstrahi se patiatur obiectione mollitiae et inertiae, quam obtrectatores propriam philosophiae esse statuant. Nam necessitates ut vincamus ab ea docemur, et ut ad veram libertatem perveniamus, rationi nos subiiciendo, qua quidem sola rerum et fortunae domini fieri possumus. Cf. Ep. IV. V. etc.

Quod maximum vinculum est ad bonam mentem, promisisti virum bonum. Sacramento [a] rogatus es. Deridebit, si quis tibi dixerit, mollem esse militiam et facilem. nolo te decipi. Eadem honestissimi huius, et illius turpissimi auctoramenti, verba sunt: „uri, vinciri, ferroque necari.“ Ab illis, qui manus arenae locant, et edunt ac bibunt, quae per sanguinem reddant, cavetur ut ista vel inviti patiantur: a te, ut volens libensque patiaris. Illis licet arma submittere, 2 misericordiam populi tentare: tu neque submittes,

a. *rogatus.* Sic quatuor Grut. codd. et Pinciani, Erasmus et editio vetus, laudatque sic Brissonius IV init. de formulis. Antea: *ligatus.* Mox *deridebit* antiqua est lectio ap. Erasm. et Grut. Muretus tamen ab uno Pinciani codice sumsit: *Decipit s. q. t.*

1. *Sacramento rogatus es*] ex formula, qua milites adiusiurandum adigi solebant. Comparat autem studium philosophiae cum militia. Hinc Quintil. Inst. Orat. XII, 2. p. 872. (ed. Lugd. 1665.) de philosophis, quos oratori opponit: Sed haec inter ipsos, qui velut sacramento rogati etc. *Deridebis — facilem.* Idem quoque Quintil. l. l. obiicit philosophis otium, s. abstinentiam a re publica administranda: „Non alia vitae secta longius a civilibus officiis, atque ab omni munere oratoris recessit.“ Vterque tamen causam suam recte tuetur. *turpissimi auctoramenti*, gladiatorii. Vide ad Epist. VII et LXXI, 21. Erant autem, Lipsio notante, hi gladiatores in fagina, sed cuius exitus cruentus. Eo alludunt. *Ab illis cavetur*, promittitur sacramento.

2. *Illis licet — tentare*] ut victi vulnerative: tum populus pol-

nec vitam rogabis. recto tibi invictoque moriendum
est. Quid porro prodest, paucos dies aut annos lu-
crifacere? sine missione nascimur. Quomodo ergo,
inquis, me expediam? effugere non potes necessita-
3 tes: potes vincere. [b]Fiat via: et hanc tibi viam
dabit philosophia. ad hanc te confer, si vis salvus
esse, si securus, si beatus: denique si vis esse, quod
est maximum, liber. Hoc contingere aliter non pot-
est. Humilis res est stultitia, abiecta, sordida, ser-
vilis, multis affectibus et saevissimis subiecta. Hos
tam graves dominos, interdum alternis imperantes,
interdum pariter, dimittit a te sapientia, quae sola
4 libertas est. Vna ad hanc fert via, et quidem recta.
non aberrabis: vade certo gradu. Si vis tibi omnia
subiicere, te subiice rationi. multos reges, si ratio
te rexerit. Ab illa disces, quid et quemadmodum ag-
gredi debeas: non incides rebus. Neminem mihi
dabis, qui sciat, quomodo, quod vult, coeperit vel-
le. non consilio adductus ullo, sed impetu impactus
est. Non minus saepe fortuna in nos incurrit, quam
nos in illam. Turpe est non ire, sed ferri: et su-
bito, in medio turbine rerum stupentem, quaerere:
Huc ego quemadmodum veni?

EPISTOLA XXXVIII.

Epistolarum hoc commercium familiare, cuius continuationem Lucilius optaverat, maximopere commendat Seneca praefertque illud disputationibus publicis iisque praeparatis. Haec enim submissiora eius verba fami-

b. *fiat via.* Sic Erasm. et Palat. sec. at reliqui Gruteri quatuor: *Fit via et h.* Gruterus emendat: *Fit via vi* Virgiliano hemistichio.

pollice presso (Horat. 1 Epp. 18, 66.) *missionem* dabat, i. morti exemit: missionem recusans pollicem vertebat. Proinde *sine missione nascimur* ad mortem luctamque cum necessitatibus malisque vitae nostrae destinati sumus.

familiariter enunciata facilius intrant animum et haerent, atque feminis modo fructificant et diffunduntur.

Merito exigis, ut hoc inter nos epiſtolarum commercium frequentemus. Plurimum proficit ſermo, qui minutatim irrepſerit animo. Disputationes praeparatae, et effuſae audiente populo, plus habent ſtrepitus, minus familiaritatis. Philoſophia bonum conſilium eſt: conſilium nemo [a] clare dat. Aliquando utendum eſt et illis, ut ita dicam, concionibus; ubi qui dubitat, impellendus eſt: ubi vero non hoc agendum eſt, ut velit diſcere, ſed ut diſcat, ad haec ſubmiſſiora verba veniendum eſt. Facilius intrant, [b] et haerent. nec enim multis opus eſt, ſed efficacibus. Seminis mo- 2
do ſpargenda ſunt: quod quamvis ſit exiguum, quum occupavit idoneum locum, vires ſuas explicat, et ex minimo in maximos [c] auctus diffunditur. Idem facit

 [d] ratio,

a. *clare.* Sic Eraſm. et ed. vetus cum omnibus ſcriptis. Muretus tamen mutavit, ut videtur ex ingenio: *conſilium nemo clamore dat*, non male, iudice Lipſio. Sed vulgata bene habet, i. e. clara et elata voce: cuius uſus loquendi exempla nota ſunt. Mox exponit noſter: *ad haec ſubmiſſiora verba veniendum eſt.*

b. *et haerent.* Sic Palatini quatuor ap. Gruter. et editio vetus. At membr. Col. ap. Grut. praeſtat *intrant et fortius haerent*, cui lectioni favet Gruter. legens: *ſed et h.* Eraſmus: *ſed h.* Sed cur a priore lectione discedamus, non pervideo.

c. *auctus.* Recepit Gruter. ex tribus codd. ſuis, adſtipulante Modio Nov. Lect. Ep 70. Gruterus laudat Lucret. II, 1121. hilarem grandeſcere ad auctum, ubi Creech. habet: hilaro gr. adauctu. Occurrit tamen auctus arboris ap. eundem Lucret. VI, 167. 326. Antea: *actus*, i. e. ſpatium, quod in agris eſt, agrimenſorum: cf. Columell. V, 1. et Varro de R. R. III, 11 extr. I, 10.

1. *Plurimum — animo*] cui eo ipſo copia fit talis ſermonis accuratiorem rationem habendi quam disputationum i. e. inprimis recitationum et orationum publicarum, quippe quae velociter et magno curſu convolutae non ſolum ſaepe meditationem impediebant, ſed quum oſtentationis cauſa haberi ſolerent, illa familiaritate deſtitutae erant, qua id ſolum efficiendum eſt, ut nulla movendi delectandive ratione habita,

[d]ratio. non late patet, ſi aſpicias: in opere creſcit. Pauca ſunt quae dicuntur: ſed ſi illa animus bene exceperit, convaleſcunt et exſurgunt. Eadem eſt, inquam, praeceptorum conditio, quae ſeminum. multum efficiunt, etſi anguſta ſunt: tantum, ut dixi, idonea mens rapiat illa, et in ſe trahat. Multa invicem et ipſa generabit, et plus reddet, quam acceperit.

EPISTOLA XXXIX.

Commentarios ut perficiat monenti Lucilio reſpondet, ſe in eo eſſe, ut ordinet et in anguſtum redigat. Quos donec accipiat, hortatur, ut alios philoſophos bono tamen ordine pertractet et iis ad maiora expergefieri ſe patiatur, humilibus et ſordidis infra ſe poſitis et calcatis. Nec iis delectari eum vult, quae plerumque magna habentur: omnè enim utilitate deſtituuntur, quippe inania et ex libidine ſolummodo oriuntur meramque infelicitatem pariunt.

Commentarios, quos deſideras, diligenter [a]ordinatos, et in anguſtum coactos, ego vero componam: ſed

d. *ratio.* Sic Eraſm., editio vetus, cod. Col. aliique. Recte. Nam de philoſophia ſermo eſt, quae interdum et ratio apud noſtrum vocatur, e. c. in Epiſt. ſuperiori. Pauca ſed efficacia verba affert, disputatio autem multa et ea artificioſa. Itaque non admitto Pincianum Gruterumque ex codd. nonnullis *idem facit oratio* ſcribi iubentes.

a. *ordinatos.* Gruterus et Lipſius recte praeferunt hanc meliorem librorum ſcriptorum lectionem alteri: *ornatos.* Ordinem enim inprimis deſiderat. Cf. §. 2. Epiſt. XL, 2 fin.: nec ornatus in ſummario ratio habetur, ſed ordinis: add. Ep. CVIII, 1.

bita, ſincere et nude conſilia bona dentur, et bona voluntas dirigatur, quum illae conciones eam demum elicere poſſint.

2. *etſi anguſta ſunt*] i. quibus ornatus et ſplendor eloquentiae deſunt, *ſubmiſſiora*, §. 1. exilia, tenuia, *ἰσχνά*. Cf. Erneſti Lexicon Technol. Lat. rhet. voce: *Anguſtus* et *ſummiſſus*.

1. *Commentarios*] Philoſophicos, ut coniicio, ſed breves et ſummam continentes. Lipſius. Si compares Epiſt. CVI, 2. CVIII, 1. CIX, 14.

vix

ſed vide ne plus profectura ſit oratio ordinaria, quam haec, quae nunc vulgo Breviarium dicitur, olim quum Latine loqueremur, Summarium vocabatur. Illa res diſcenti magis neceſſaria eſt: haec ſcienti. illa enim docet, haec admonet. Sed utriusque rei tibi copiam faciam. Tu a me non eſt quod illum aut illum exigas. qui notorem dat, ignotus eſt. Scribam ego quod vis: ſed meo more. Interim multos habes, 2
quorum ſcripta neſcio an ſatis ordinent. Sume in manus indicem philoſophorum: haec ipſa res expergiſci coget, ſi videris quam multi tibi laboraverint: concupiſces et ipſe ex illis unus eſſe. [b]Habet enim hoc optimum in ſe generoſus animus, quod concitatur ad honeſta. Neminem excelſi ingenii virum humilia delectant et ſordida: magnarum rerum ſpecies ad ſe vocat et extollit. Quemadmodum flamma ſurgit in re- 3
ctum, iacere ac deprimi non poteſt, non magis quam

Mox *quum Latine loqueremur* pro ſuſpectis habeam. Quidni enim *breviarium*, quod a doctiſſimo Suetonio adhibitum videmus, aeque Latinum ſit ac *ſummarium*, quod alioquin vix memoratur? Neque Senecae tempore tantopere defecerat Latinitas, neque Seneca usquam ſuam aetatem prae ſuperiore parvi habuit, ſi quando de ſermone et literis bonis loquutus ſit.

b. *Habet enim hoc optimum in ſe generoſus a. q.* Omnium librorum ſcriptura: Eraſmus tamen illud: *optimum* reiecit. Mox *iacere ac deprimi p.* vulgata eſt idque iure. *Latere* codicis Col. ap. Grut. explicatio eſt τοῦ· *iacere.*

vix dubites, quin Moralium libri hic a Seneca dicantur: libros enim totam moralem philoſophiae partem quummaxime ordinare ſe profitetur. Breviarium tamen itidem compoſuiſſe videtur. *oratio ordinaria* ordine alterum ex altero explicans copioſius et latius effert: contrarium ſit in breviario quod noſtris compendiis recte compares. *notorem*, cognitorem, qui confirmat, quae dicimus. Hinc ſe auctores ſententiarum non adducturum in commentariis eſſe dicit.

2. *Interim*] Tantisperdum libros meos hosce legere poſſis, multos auctores philoſophicos habes quos legas: ſed ordinem ſerva, qui in legendis hisce libris ſaepe negligitur. Eligat autem

quiescere: ita noster animus in motu est, eo mobilior et actuosior, quo vehementior fuerit. Sed felix qui ad meliora hunc impetum dedit! ponet se extra ius ditionemque fortunae, secunda temperabit, adver-
4 sa comminuet, [c]et aliis admiranda despiciet. Magni animi est, magna contemnere, ac mediocria malle, quam nimia. illa enim utilia vitaliaque sunt: at haec, eo quod superfluunt, nocent. Sic segetem nimia sternit ubertas: sic rami onere franguntur: sic ad maturitatem non pervenit nimia fecunditas. Idem animis quoque evenit, quos immoderata felicitas rumpit: quâ non tantum in aliorum iniuriam, sed etiam in suam
5 [d]vertuntur. Quis hostis in quemquam tam contumeliosus fuit, quam in quosdam voluptates suae sunt? quorum impotentiae atque insanae libidini ob hoc unum possis ignoscere, quod, quae fecere, patiuntur. Nec immerito hic illos furor vexat, necesse est enim in immensum exeat cupiditas, quae naturalem modum transiliit. Illa enim habet suum finem: inania et ex libidine orta sine termino sunt. Necessaria metitur uti-
6 litas. supervacua quo redigis? Voluptatibus itaque se mergunt, quibus in consuetudinem adductis carere non possunt: et ob hoc miserrimi sunt, quod eo perveniunt,

c. *et aliis admiranda d.* Sic edit. vetus Erasmusque. Gruterus tamen reducere se ait vocalam *et* suasu quinque membr. Mox *utilia vitaliaque f.* editio vetus et quatuor codd. Grut. Probat Turnebus Adverss. XVIII, 27. qui confert Horat. II Serm. 7, 4. At ap. Erasmum al. deerat vocula *utilia*: iniuria.

d. *vertuntur.* Erasm. et editio vetus cum codd. nonnullis ap. Grut. Antea: *utuntur.* Mox: *Necesse est enim* Erasm., ed. vetus et omnes fere mss. To' *enim* in multis codd. deest.

autem eos monet, duce indice philos., qualem v. c. Grammatici Alexandrini et eorum vestigiis insistens Quintil. Inst. Or. X. 1 dederunt.

3. *ita noster — in motu est*] Vide Consolat. ad Helviam c. VI.

4. *magna contemnere*] i. quae vulgo eximia habentur. *vitalia*, mansura, vitam et aevum ferre possunt. L.

niunt, ut illis quae ſupervacua fuerant, facta ſint neceſſaria. ſerviunt itaque voluptatibus, non fruuntur: et mala ſua, quod malorum ultimum eſt, amant. Tunc autem conſummata eſt infelicitas, ubi turpia non ſolum delectant, ſed etiam placent: et deſinit eſſe remedio locus, ubi, quae fuerant vitia, mores ſunt.

EPISTOLA XL.

Gratias amico agit, quod frequenter ſibi ſcribit: unum quippe modum eſſe, quo ſibi abſens oſtendere poſſit, qualis ſit, ſeque eſſe protinus unâ. Tum transit ad Serapionem philoſophum, aut Sophiſtam, quem ſcripſerat in itinere ad Siciliam applicuiſſe, et uti tunc temporis erat uſitatum, publicas recitationes et orationes habuiſſe: reprehendit eius promtum et profuſum ſermonem, ut philoſopho parum aptum, in quo omnia compoſita et ſedata eſſe debent. Nam quum rem magnam ac ſeriam agat philoſophus qui docet, eius oratio gravis, incompoſita et tarda eſſe debet, quippe quae magis intrat, deſcendit atque haeret ad bonam mentem effingendam. Quae quidem omnia ſecus habent in oratione oppoſita, quae utilitate et voluptate deſtituta eſt, nec oratorem quidem commendare valet, utique Romanum. Proinde tardiloquum eſſe Lucilium iubet.

Quod frequenter mihi ſcribis, gratias ago. nam quo uno modo potes, te mihi oſtendis. Nunquam epiſtolam tuam accipio, ut non protinus unâ ſimus. Si imagines nobis amicorum abſentium iucundae ſunt, quae memoriam renovant, et deſiderium abſentiae falſo atque inani ſolatio levant: quanto iucundiores ſunt literae, quae vera amici abſentis veſtigia, veras notas afferunt? Nam quod in conſpectu dulciſſimum eſt, id amici manus epiſtolae impreſſa praeſtat, agnoſcere. — Audiſ-

6. *vitia mores ſunt.*] Tacitus in German. c. XIX. *nec corrumpere et corrumpi ſaeculum vocatur.* Ita enim praetexunt vulgo, Mores ſunt, ſic vivitur, ſaeculum eſt. L. Cf. Ep. L, 3.

2 Audisse te scribis, Serapionem philosophum, quum istuc applicuisset: solere magno cursu verba convolvere, quae non effundit una [a] vox, sed premit et urget. plura enim veniunt, quam quibus vox una sufficiat. Hoc non probo in philosopho, cuius pronuntiatio quo-
3 que, sicut vita, debet esse composita: nihil autem ordinatum est, quod praecipitatur et properat. Itaque oratio illa apud Homerum concitata, et sine intermissione in morem nivis superveniens, oratori data est: at lenis et melle dulcior seni profluit. Sic itaque habe, ut istam vim dicendi rapidam atque abundantem, aptiorem esse [b] circulanti iudices, quam agenti rem magnam ac seriam, docentique. aeque stillare illam

a. *vox.* Sic tres codd., inque his praestantior Colon., et unus liber ap. Pincianum et ipsum hanc scripturam probantem. Editio vetus dat: *una voce.* Erasmus al. omittunt hanc voculam, probante Grutero, concinniorem hanc scripturam putante. Praeit *convolvere*, quod ex Erasmo tenemus. Libri tamen consensu: *convellere.*

b. *circulanti.* aut *credas* aut *cognoscas*, aut *indices* addunt hic codd. ap. Grut. Erasmus nostram lectionem, a codd., inprimis a Colon. corroboratam praestat.

2. *Audisse — Serapionem*] Quis philosophaster ille fuerit, nescio: nisi quod illo et sequenti aevo tales fuci multi. L. Fabricius in Bibl. Gr. Vol. III, p. 575 not. tt.) Serapionem Hierapolitanum, a Stephano Byz. in voce Ἱεράπολις memoratum, hunc esse putat, philosophum stoicum. De Sophistarum peregrinationibus vide Luci. Somnium c. 7. et quem ibi laudat Solanus, Crepollium A. G. X, 87. *Solere — convolvere* i. e. sine delectu et velocissime verba pronuntiare. Sic §. 6. tales verborum sine delectu ruentium strepitus.

3. *Apud Homerum*] Il. III, 222. de Vlysse cui donat ἔπεα νιφάδεσσι Ἐοικότα χειμερίῃσιν, quod de copia bene interpretatus Seneca, et dense verba cecidisse ut nives. *Seni*, Nestori apud eundem. L. *circulanti*, ostentationis et lucri causa urbes adeunti ibique declamatiunculas suas recitanti. *stillare* lentissime verba quasi adnumerare: metaphora egregia ad illud tarditatis vitium significandum depromta, ut videtur, a clepsydra.

illam nolo, quam currere: nec extendat aures, nec obruat. Nam illa quoque inopia et exilitas minus in- 4
tentum auditorem habet, taedio interruptae tarditatis: facilius tamen insidit quod exspectatur, quam quod praetervolat. Denique tradere [c] homines disciplulis praecepta dicuntur: non traditur, quod fugit. Adiice nunc, quod quae veritati operam dat oratio, incomposita debet esse et simplex. Haec popularis nihil habet veri. movere vult turbam, et inconsultas aures impetu rapere: tractandam se non praebet; aufertur. Quomodo autem regere potest, quae regi 5
non potest? Quid, quod haec oratio, quae sanandis mentibus adhibetur, descendere in nos debet? remedia non prosunt, nisi immorentur. Multum praeterea habet inanitatis et vani: plus sonat, quam valet. Lenienda sunt quae me exterrent, compescenda quae irritant, discutienda quae fallunt: inhibenda luxuria, corripienda avaritia. Quid horum raptim potest fieri? 6
quis medicus aegros in transitu curat? Quid, quod ne voluptatem quidem ullam habet talis verborum sine delectu ruentium strepitus? sed ut pleraque, quae fieri posse non crederes, cognovisse satis est: sic istos, qui verba exercuerunt, abunde est semel audisse. Quid enim

c. *homines disciplis.* Meus, *disciplinis*, nec male. Lipsius. Deleo insiticium: *homines*, et scribo: *Denique tradere disciplis praecepta dicuntur.* Et hoc addo illis quae ad II de Ira c. 12 (et 34) Gronovius. Docuerat autem ibi, nostrum aliosque probatos auctores interdum Subiectum omittere. Ieiunum est haud dubie h. l. illud: *homines*: sed quum omnes codd. et edd. praestent, acquiescendum puto in vulgata.

4. *inopia et exilitas:*] opponitur vis dicendi rapida et abundans. Tribuitur inprimis hoc aridum et exile dicendi genus Stoicis a Cicerone aliisque. Cf. Ernesti Lexic. Technol. Lat. rhet. voce *Exilis.*

6. *Sic istos, qui verba exercuerunt*] i. e. effuderunt et protulerunt. Idem esse videtur, quod §. 2. magno cursu verba convolvere. Nam *exercere* saepe est urgere et instare. Et mox §. 9 ait: Recte ergo faciet,

enim quis discere, quid imitari velit? quid de eorum animo iudicet, quorum oratio perturbata et [d]immissa
7 est, nec potest reprimi? Quemadmodum per proclive currentium, non ubi visum est, gradus sistitur, sed incitato corporis pondere se rapit, ac longius quam voluit effertur: sic ista dicendi celeritas nec in sua potestate est, nec satis decora philosophiae, quae ponere debet verba, non proiicere, et pedetentim procedere. Quid ergo? non aliquando et insurget? Quidni? sed salva dignitate morum, quam violenta ista [e]et
8 nimia vis exuit. Habeat vires magnas, moderatas tamen: perennis sit unda, non torrens. Vix oratori permiserim talem dicendi velocitatem, irrevocabilem, ac sine lege vadentem. Quemadmodum enim iudex subsequi poterit, aliquando etiam imperitus et rudis? Tum quoque, quum illum aut ostentatio abstulerit, [f]aut affectus impetus sui, tantum festinet atque
9 ingerat, quantum aures pati possunt. Recte ergo facies, si non videris istos, qui quantum dicant, non quem-

d. *immissa*. Sic omnes scripti. Muretus: *admissa* ex coniectura in textum invexit. Sed illud haud dubie huic loco convenit, quod quivis novit, cui venit in mentem *immissarum habenarum*, notante Grutero.

e. *et nimia vis*. Quidam libri *inimica vis*; alii prorsus omittunt cum Erasmo: alii, ut cod. Col. editio Rom. et vetus dant: *et nimia vis* quod bene habet. Lipsius suspicatur: *et mimica vis*.

f. *aut affectus impetus sui*. Omnes fere codd. et vett. edd. sic habent: quidam *effectus*. Mox etiam Grut. et Lipsius: *pati non possunt*, sed Erasmici aliique codd. cum vett. edd. particulam negandi ignorant. Et abesse debet, quippe quae inserta sit, postquam vitiosa distinctio eam requirere visa est. Impetus affectus illius, quem simulat, quem sensit atque induit, ut eum transfundat in iudicem. Lib. II de Ira 17 init. Orator, inquit — affectum. Haec fere Gronov., quem in distinguendo hoc loco sequutus sum.

cies, si non videris istos, qui quantum dicant etc.

8. *Vix oratori permiserim — vadentem.*] Idem praecepit Quintil. Inst. Or. II, 12. et aliis bene multis locis: quamquam Cicero non sine laude interdum hoc memoraverit. Cf. Ernesti Lexic. saepius laudatum voce: *Ardere*.

quemadmodum, quaerunt: et ipſe malueris aliquando ſi neceſſe eſt, [g]velut P. Vinicius dicere. qui, quum quaereretur, quomodo diceret, Aſellius ait, Tractim. Nam Geminus Varius ait: Quomodo iſtum diſertum dicatis, neſcio: tria verba non poteſt iungere. Quidni malis tu ſic dicere, quomodo Vinicius? Aliquis 10
tam inſulſus intervenerit, quam qui illi ſingula verba vellenti, tanquam dictaret, non diceret, ait: Dic, vel nunquam dicas. Nam Q. Haterii curſum ſuis temporibus oratoris celeberrimi, longe abeſſe ab homine ſano volo. Nunquam dubitavit, nunquam intermiſit: ſemel incipiebat, ſemel deſinebat. Quaedam tamen et nationibus puto magis aut minus convenire. In Graecis hanc licentiam tuleris: nos etiam quum ſcribimus, interpungere conſuevimus. Cicero quoque 11
noſter, a quo Romana eloquentia [h]exſiluit, gradarius fuit.

g. *velut P. Vinicius.* Eſt Lipſii coniectura a Gronov. probata. In libris mss. comparet: *vel P. Vinicium dicere*, quibus Eraſmus fatetur addidiſſe *inxta*. Gronov. legere malit: *velut Vinicius Publius dicere*, quia illo aevo frequenter poſtpoſuere praenomina. Mox *Q. Haterii* eſt ex emendatione Lipſii ad Tacit. Annal. IV, 61. Muretus in idem inciderat. Laudat Gruterus. Antea: *Namque Echerii.* Codd. dant: *N. Hereri; Hacleri; Theri; Herennii; Heteri —.*

h. *exſiliit.* Sic omnes ſcripti, ſubito exorta eſt, efflоruit. Eraſm., ed. Rom. et vetus: i. e. *Exſtitit* antea legebatur, recte damnatum a Grutero et Lipſio, qui emendavit: *exivit.*

9. *P. Vinicius, Aſellius* et *Geminus Varius*] declamatores illius aevi, de quibus Seneca pater conferri debet. *Tractim*, de tarda pronuntiatione. Cf. Erneſt. Lexic. Rhetor. Lat. voce *Tractus*. Aul. Gell. IV, 6. VII, 10.

10. *ſingula verba vellenti*] i. membratim caeſimque pronuntianti, carpenti orationem. Recte monet Erneſti Lexic. laud. p. 52. opponi continuae orationis volubilitati. *Curſum* i. celeritatem, flumen verborum. Cic. Or. III, 33. 16. quae loca Erneſtio l. l. voce: *Curſus* debeo. *nos — etiam — conſuevimus*, notis poſt ſingula verba poſitis. Neque enim alia adhuc interpunctio uſurpata antiquis. Tractavi in epiſtola quadam ad Audecantium. Lipſius.

11. *gradarius*] oppoſiti ſunt clamatores ad clepſydram.

Vt

fuit. Romanus ſermo magis ſe circumſpicit, et aeſtimat, et praebet aeſtimandum. Fabianus vir egregius et vitâ et ſcientiâ, et quod poſt iſta eſt, eloquentiâ quoque, disputabat expedite magis, quam concitate: ut poſſes dicere, facilitatem eſſe illam, non celeritatem. Hanc ego in viro ſapiente recipio. non exigo, ut oratio eius ſine impedimento exeat: proferatur tamen malo, quam profluat. Eo autem magis te deterreo ab iſto morbo, quod non poteſt tibi iſta res contingere aliter, quam ſi te pudere deſierit. perfricces frontem oportet, et ipſe te non audias. Multa enim inobſervatus ille curſus feret, quae reprehendere velis. Non poteſt, inquam, tibi contingere res iſta, ſalva verecundia. Praeterea exercitatione opus eſt quotidiana, et a rebus ſtudium transferendum eſt ad verba. Haec autem etiam ſi aderunt, et poterunt ſine ullo tuo labore decurrere, tamen temperanda ſunt. nam quemadmodum ſapienti viro inceſſus modeſtior convenit; ita oratio preſſa, non audax. Summa ergo ſummarum haec erit: tardiloquum te eſſe iubeo.

EPISTOLA XLI.

Laudat amicum, quod perſeverat in ſtudio philoſophiae, quo ad bonam mentem perveniat. Non ab alio quam a ſe ipſo quisque illam impetrare poteſt: in nobis deus eſt, qui nos adiuvat, obſervat cuſtoditque. Etenim bonus vir ſine eo nemo eſt. Colamus itaque ipſum et animum, qui ab illo deſcendit. In eo propria noſtra bona ſunt: alia omnia aliena, nec propria ſunt hominis, ſed eſt ani-

Vt equus moderatior dicebatur gradarius, ſic quoque orator, qui ſibi in curſu verborum moderatur, appellatus eſt. *Fabianus.* cf. de eo Conſol. ad Marc. c. XXIII, 3 not. Tom. I, p. 289.

12. 13. Idem conſilium Quintil. Inſtit. Or. II, 13 fin. dedit: Multo labore, aſſiduo ſtudio, varia exercitatione, pluribus experimentis, altiſſima prudentia, praeſtantiſſimo conſilio conſtat ars dicendi.

animus et ratio in eo perfecta. — Verbo tantum monendum eſt, ſermonem eſſe hac in epiſtola de animo noſtro et avulſo ab aethere et parte animae mundi, quem noſter Chryſippum ſequutus ſpiritum vocat, inde ab ortu noſtro inſitum nobis totumque corpus permeantem, πνεῦμα συμφυτόν. Cf. Lipſii Manuduct. in phil. ſtoic. II, 19 et Phyſiol. 3. addas Tiedemann Geiſt der ſpekul. Phil. II, p. 489 ſqq.

Facis rem optimam, et tibi ſalutarem, ſi, ut ſcribis, perſeveras ire ad bonam mentem, quam ſtultum eſt optare, quum poſſis a te impetrare. Non ſunt ad coelum elevandae manus, nec exorandus aedituus, ut nos ad aures ſimulacri, quaſi magis exaudiri poſſimus, admittat: prope eſt a te Deus, tecum eſt, intus eſt. Ita dico, Lucili, ſacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum bonorumque noſtrorum obſervator et cuſtos: hic prout a nobis tractatus eſt, ita nos ipſe tractat. Bo- 2
nus vir ſine Deo nemo eſt. An poteſt aliquis ſupra fortunam, niſi ab illo adiutus, exſurgere? ille dat conſilia magnifica, et erecta. In unoquoque virorum bonorum (quis Deus, incertum eſt) [a]habitat. Si tibi occurrit vetuſtis arboribus et ſolitam altitudinem egreſſis frequens lucus, et conſpectum coeli denſitate ramorum

a. *habitat.* Sic nonnulli codd. Palat. et editio vetus. Antea: *habitat Deus.*

1. *aedituus*,] νεωκόρος, cui templi expurgandi tuendique cura demandata erat: ὁ τοῦ νέω ἐπιμελούμενος. Quocirca iis, qui templa ſtatuasque viſere vellent, aeditui erant compellandi: quo fiebat, ut et ἐξηγηταὶ, interpretes et enarratores rerum in templo memorabilium, ideoque laudatores eſſent et appellarentur. Cf. Eckhelii Doctrina nummorum, Vol. IV, 1. p. 183 ſqq. *ſacer — ſpiritus*, πνεῦμα συμφυτὸν, pars animae mundi divina, quae in nobis habitat, ex Stoae decretis.

2. *Bonus vir — eſt.*] Parilia habet Cic. N. D. II, 66. Nemo vir magnus ſine aliquo afflatu divino umquam fuit. Loca huc facientia veterum collegit Vpton. ad Epictet. Diſſert. Arrian. I, 14, 14. poſt Gataker. ad M. Antonin. XII, 26. p. 432. *Si tibi — facit* etc.

morum aliorum alios protegentium ſubmovens: illa proceritas ſilvae et ſecretum loci, et admiratio umbrae, in aperto tam denſae atque continuae, fidem tibi nu-
3 minis facit. Et ſi quis ſpecus ſaxis penitus exeſis montem ſuſpenderit, non manu factus, ſed naturalibus cauſis in tantam laxitatem excavatus: animum tuum quadam religionis ſuſpicione percutiet. Magnorum fluminum capita veneramur: [b]ſubita ex abdito vaſti amnis eruptio aras habet. coluntur aquarum calentium fontes: et ſtagna quaedam vel opacitas vel immenſa
4 altitudo ſacravit. Si hominem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adverſa felicem, in mediis tempeſtatibus placidum, ex ſuperiore loco homines videntem, ex aequo deos; non ſubibit te veneratio eius? non dices: iſta res maior eſt altiorque, quam ut credi ſimilis huic, in quo eſt, corpuſculo poſſit? Vis iſtuc divina deſcendit. animum excellentem, moderatum, omnia tanquam minora transeuntem, quidquid timemus optamusque ridentem, coe-
5 leſtis potentia agitat. non poteſt res tanta ſine adminicu-

b. *ſubita ex abdito.* Eraſm., Col. et ed. vetus. Gruterus probat ſcripturam Palatinorum quatuor. *ſ. et e. a.* Mox *et ſtagna quaedam vel opacitas.* Sic Eraſm., et editio vetus cum Palat. ſec. Sed frigide, ait Gruterus, prae eo, quod eſt in aliis quatuor: *Coluntur aquarum calentium fontes et ſtagna, quae vel opacitas.* Vulgatam tamen tuetur quoque Senecae mos loquendi.

etc. Ex hoc ipſo ſenſu veneratio nymphis diisque ſilveſtribus in antiquitate dari ſolita ortum duxiſſe videri debet. Plinium N. H. XII, 1. lucos atque in iis ſilentia ipſa adoramus etc., cum Tacit. de Morib. Germ. 9. laudat Lipſius. Hinc templorum plerorumque ſitus altior, hinc τὰ ὀρειβάσια (Strabon. XII, p. 845 et ſimilia manarunt. Hinc fluvii ἱεροὶ, διοὶ vocantur ap. Hom. Il. II, 522. Eurip. Med. 410. ποταμῶν ἱερῶν παγαί. Cf. Lipſium ad Tacit. Annal. XIV, 22 fin.

4. *Ex aequo deos*] i. e. qui homines ſuperat, Deos aequat. Gloriatio haec Stoicorum crebra. L.

niculo numinis ſtare. Itaque maiore ſui parte illic eſt, unde deſcendit. Quemadmodum radii ſolis contingunt quidem terram, ſed ibi ſunt unde mittuntur: ſic animus magnus et ſacer, et in hoc demiſſus ut propius divina noſſemus, converſatur quidem nobiscum, ſed haeret origini ſuae. Illinc pendet; illuc ſpectat ac nititur: noſtris tanquam melior intereſt. Quis eſt ergo hic? animus qui nullo bono niſi ſuo [c]nititur. Quid 6
eſt ſtultius, quam in homine aliena laudare? quid eo dementius, qui ea miratur, quae in alium protinus transferri poſſint? Non faciunt meliorem equum aurei fraeni. Aliter leo auratâ iubâ [d]demittitur, dum contractatur, et ad patientiam recipiendi ornamenta cogitur fatigatus: aliter incultus, integri ſpiritus. Hic ſcilicet impetu acer, qualem illum eſſe natura voluit, ſpecioſus ex horrido, cuius hic decor eſt, non ſine timore adſpici, praefertur illi [e]languido, et bracteato. Nemo gloriari niſi ſuo debet. Vitem laudamus, 7
ſi fructu palmites onerat, ſi ipſa ad terram, pondere eorum quae tulit, adminicula deducit. Num quis huic illam praeferet vitem, cui aureae uvae, aurea folia dependent? Propria virtus eſt in vite, fertilitas: in homine quoque id laudandum eſt, quod ipſius eſt.

c. *nititur.* Sic duae membranae Pal. et ora cod. Col. cum editione vet. Antea: *nitet.*

d. *demittitur.* Meus et plures ſcripti ita referunt, et rectum habeo. *Demittitur* autem, quia ſubiicit ſe, et animos deprimit, mox ornandus. Lipſius. Variationes codd. ap. Eraſm. Grut. et Modium ſunt: *mittitur*, *immittitur*, *dimittitur*, *demittitur*, *nititur*. Eraſmus ex coniectura dederat: *nitet.* e. *languido et br.* Sic mss. Grut., et editio vetus. Vetuſtiores edd. habere

6. *Aliter leo — demittitur.*] Conferri iubent hunc locum cum Epictet. Diſſ. Arrian. IV, 1, 25. Shafresbury et Vpton. Λέοντας τρέφουσιν ἡμέρους ἐγκλείσαντες καὶ σιτίζουσι, καὶ νομίζουσιν ἔνιοι μεθ' αὐτῶν. *Ornamenta*, monilia, aurum iubis inſperſum, phalerae etc.

Familiam formoſam habet et domum pulchram: multum ſerit, multum foenerat. nihil horum in ipſo eſt,
8 ſed circa ipſum. Lauda in ipſo, quod nec eripi poteſt, nec dari: quod proprium eſt hominis. Quaeris quid ſit? animus, et ratio in animo perfecta. Rationale enim animal eſt homo. conſummatur itaque eius bonum, ſi id adimplevit cui naſcitur. Quid eſt autem quod ab illo ratio haec exigit? rem facillimam, ſecundum naturam ſuam vivere: ſed hanc difficilem facit communis inſania. In vitia alter alterum trudimus. quomodo autem ad ſalutem revocari poſſunt, quos nemo retinet, populus impellit?

EPISTOLA XLII.

Refutat perſuaſionem, quam quidam de ſe ipſo fecerat Lucilio, virum ſe iam bonum eſſe; nam illam converſionem eſſe nimis velocem, etiamſi quis ſe virum bonum eumque ſecundae notae, ſ. proficientem, factum eſſe profitcatur. Illum vero id nondum conſequutum eſſe, ut ſe ipſe noſcat, quamvis de malis male exiſtimet, et impotenter potentia ſua utentes odio proſequatur. Idem enim faciendi poteſtas modo deficit. Quod iudicium exemplo cuiusdam, quem Lucilius iam bonum virum eſſe olim putaverat, firmat: qui quum ſaepe oneroſa, quamquam bona ipſi viſa, affectaſſet, noſtro nunc occaſionem praebet, in conſuetudinem hominum communem invehendi, qua in externis et iis ſaepe ſupervacuis tantopere laborare ſolent, quae quidem aut incommoda aut falſa commoda ſunt haberive debent.

Iam

langnitudo, ait Gruterus. Mox *familiam formoſam* dant mss. Grut. et editio vetus. Eraſmus contra habet: *familiam pulcram.*

7. *familiam*] ſervorum. *multum ſerit — foenerat.* Duo tantum lucrifaciendi genera affert noſter: ſunt adhuc alia, e. c. paſcendi, negotiandi.

8. *ſecundum naturam ſuam vivere.*] Saepe occurrit hoc Stoicorum dogma. Lipſius laudat Manuductionem II, 17.

Iam tibi iſte perſuaſit, ſe virum bonum eſſe. Atqui vir bonus tam cito nec fieri poteſt, nec intelligi. Scis quem nunc virum bonum dicam? huius ſecundae notae. nam ille alter fortaſſe, tanquam phoenix, ſemel anno quingenteſimo naſcitur: nec eſt mirum, ex intervallo magna generari. Mediocria et in turbam naſcentia, ſaepe fortuna producit, [a] eximia vero ipſa raritate commendat. Sed iſte multum adhuc abeſt ab 2
eo, quod profitetur; et ſi ſciret quid eſſet vir bonus, nondum ſe eſſe crederet: fortaſſe etiam fieri poſſe deſperaret. „At male exiſtimat de malis.“ Hoc etiam mali faciunt: nec ulla maior poena nequitiae eſt, quam quod ſibi ac ſuis displicet. „At odit eos qui ſubita et magna [b] potentia impotenter utuntur.“ Idem 3
faciet, quum idem poterit. multorum, quia [c] imbecillia ſunt, latent vitia, non minus auſura, quum illis vires ſuae placuerint, quam illa quae iam felicitas aperuit. Inſtrumenta illis explicandae nequitiae deſunt.

a. *eximia vero ipſa raritate commendat* ſc. fortuna. Sic codd. Gruteri. Eraſmus legendum putat, aut *commendantur*, aut, quod in quodam reperit, *ipſa ſe raritate commendant*. Sed vulgata bene habet.

b. *potentia impotenter utuntur*. Sic quatuor Palatini et Modii codd. probatque Gruter. Antea: *potentia inſolenter ut*.

c. *imbecillia*. Eraſmus, editio vetus et omnes fere Gruteri codd. Antea: *imbecilli*.

1. *Vir bonus — ſecundae notae.*] Proficientem et nondum in ſummo. L. Diverſi generis eſt ſecunda ſors notaque, de qua ſermo eſt Ep. LII, 2 et 3. *Phoenix*, avis fabuloſa, aegyptiacae originis, ad ſolis curſum in periodo magna annorum D exprimendum hieroglyphice, excogitata. Aquilae eam aſſimilarunt Aegyptii in pictu is, quingenteſimo quoque anno in Aegyptum ex remotiſſima orbis parte venientem, teſte Herodoto II, 73. qui talem picturam vidit. Cf. Gatterer de Theogon. Aegyptior. Commentatt. Soc. Goetting. T. VII, p. 53. Loca veterum collegit Gataker Miſcell. p. 179 ſq. Claudiani et Lactantii, ad quem vide elegantiſſimum Lenzium, carmina in Phoenicem ſunt notiſſima.

Sic tuto ſerpens etiam peſtifera tractatur, quum riget frigore: non deſunt tunc illi venena, ſed torpent. Multorum crudelitas, et ambitio, et luxuria, [d]ut pa-
4 ria peſſimis audeat, fortunae favore deficitur. eadem velle eos, cognoſces: da poſſe, quantum volunt. Meminiſti, quum quendam affirmares eſſe in tua poteſtate, dixiſſe me, volaticum eſſe ac levem, et te non pedem eius tenere, ſed pennam. Mentitus ſum: pluma tenebatur, quam remiſit et fugit. Scis quos poſtea exhibuerit tibi ludos, quam multa in caput ſuum
5 caſura tentaverit. Non videbat, ſe per aliorum pericula in ſuum ruere: non cogitabat, quam oneroſa eſſent quae petebat, etiam ſi ſupervacua non eſſent. Hoc itaque in his quae affectamus, ad quae labore magno contendimus, inſpicere debemus, aut nihil in illis commodi eſſe, aut plus incommodi. Quaedam ſupervacua ſunt, quaedam tanti non ſunt. Sed haec non [e]providemus: et gratuita nobis videntur, quae
6 cariſſime conſtant. Ex eo licet ſtupor noſter appareat, quod ea ſola putamus emi, pro quibus pecuniam ſolvimus: et gratuita vocamus, pro quibus nos ipſos impendimus. Quae emere nollemus, ſi domus nobis noſtra pro illis eſſet danda, ſi amoenum aliquod fructuoſumve praedium: ad ea paratiſſimi ſumus pervenire cum ſolicitudine, cum periculo, cum iactura pudo-

d. *ut paria peſſ.* Sic Eraſmus et codd. Gruteri. H. e. licet, quamvis forte. Muretus hinc fecit: *ne paria peſſimis.* Editio vetus: *ubi parta peſſimis fortunae favore deſunt.*

e. *providemus.* Sic omnes mss. et editio vetus. Antea: *praevidemus.* Mox *paratiſſimi* eſt ex Gruteri libris. Antea: *parati.*

4. *Meminiſti — exhibuerit.*] Lipſius hunc eſſe opinatur inimicum illum, de quo Ep. XXIV agitur, iudicium intentante. Sed nulla cauſa certa huius opinionis ſuccurrit. *Pluma tenebatur.* Argute. Nam pluma etiam minus, quam penna. Haec in alis et firmior: illa in toto corpore ſparſa, et levi niſu evellenda. L.

pudoris, et libertatis, et temporis. Adeo nihil eſt 7
cuique ſe vilius. Idem itaque in omnibus conſiliis rebusque faciamus, quod ſolemus facere, quoties ad inſtitorem alicuius mercis acceſſimus: videamus, hoc quod concupiſcimus, quanti deferatur. Saepe [f]maximum pretium eſt, pro quo nullum datur. Multa poſſum tibi oſtendere, quae acquiſita acceptaque, libertatem nobis extorſerunt; noſtri eſſemus, ſi iſta noſtra non eſſent. Haec ergo tecum ipſe verſa, non ſolum 8
ubi de incremento agetur, ſed etiam [g]ubi de iactura. Hoc periturum eſt? nempe adventitium fuit. tam facile ſine iſto vives, quam vixiſti. Si diu illud habuiſti, perdis poſtquam ſatiatus es: ſi non diu, perdis antequam aſſueſcas. Pecuniam minorem habebis? nempe et moleſtiam, gratiam minorem? nempe et invidiam. Circumſpice iſta, quae nos agunt in inſaniam, quae cum plurimis lacrimis amittimus: ſcies non damnum in his moleſtum eſſe, ſed opinionem damni. Nemo illa periſſe ſentit, ſed cogitat. Qui ſe habet, nihil perdidit: ſed quoto cuique habere ſe contigit?

EPISTOLA XLIII.

Se non latere, reſpondet quaerenti, quomodo quaedam ad ipſum allata ſint, ea quae faciat Lucilius: Ergo vive, pergit, ut in publico. Quid ſi etiam lateas? animus tuus ſcit et videt.

Quomodo hoc ad me pervenerit, quaeris, quis mihi id te cogitare narraverit, quod tu nulli narraveras. Is qui ſcit plurimum, rumor. Quid ergo, inquis,

f. *maximum pretium* ſc. ei, quod affectamus. Tamen ſunt libri, qui legant: *pretii eſt maximi.* Gruter. emendat: *maximum pretio eſt.*

g. *ubi de iactura* Codicis Colon. aliorumque, et Pinciani atque editionis veteris ſcriptura eſt.

tantus ſum, ut poſſim excitare rumorem? non eſt quod te ad hunc locum reſpiciens metiaris: ad iſtum reſpice, in quo moraris. Quidquid inter vicina emi net, magnum eſt illic, ubi eminet. Nam magnitu do non habet certum modum: comparatio illum aut
2 tollit, aut deprimit. Navis quae in flumine magna eſt, in mari parvula eſt: gubernaculum quod navi [a] alteri magnum eſt, alteri exiguum eſt. Tu nunc in provincia, licet contemnas ipſe te, magnus es: quid agas, quemadmodum coenes, quemadmodum dormias, quaeritur, ſcitur. [b] Eo tibi diligentius vivendum eſt. Tunc autem felicem te eſſe iudica, quum poteris in publico vivere, quum te parietes tui tegent, non abs-
3 condent: quos plerumque circumdatos nobis iudicamus, non ut tutius vivamus, ſed ut peccemus occultius. Rem dicam, ex qua mores aeſtimes noſtros, vix quenquam invenies, qui poſſit aperto oſtio vivere. Ianitores conſcientia noſtra, non ſuperbia oppoſuit.
4 Sic vivimus, ut deprehendi ſit, ſubito adſpici. Quid autem poteſt recondere ſe, et oculos hominum auresque vitare? Bona conſcientia turbam advocat, mala etiam

a. *alteri magnum eſt, alteri exiguum eſt.* Sic Pinciani et Gruteri codd. Prius *eſt* deeſt in omnibus edd. vett.

b. *Eo tibi diligentius vivendum eſt.* Sic Eraſm., Cod. Col. aliique: at alii ap. Gruter. et editio vetus: *Eo tibi die d. v.* Vnde Lipſius facere voluit: aut *tibi dein diligentius*, aut, *tibi, dico, dil.* Vnus tamen Pinciani codex pluſcula addit, hoc modo: *Quanto diligentius vita tua pro honoris faſtigio quaeritur, tanto tibi diligentius vivendum eſt.* Sed haec explicationis cauſa a manu aliena adiecta putem. Mox *Tunc autem felicem* ex mss. quinque Grut. eſt. Aliis edd. vett. deeſt vocula: *autem.*

1. *non eſt quod te ad hunc locum*, Romam, *ad iſtum* Syracuſas.

3. *Aperto oſtio vivere,*] ut M. Druſus, M. fil. qui promittenti architecto, ita ſe domum aedificaturum, ut nemo in eam deſpicere poſſet, Tu vero, reſpondit, ſi quid in te artis eſt, ita compone domum meam, ut quidquid agam, ab omnibus perſpici poſſit. Vellei. Patercul. II, 14.

etiam in ſolitudine anxia atque ſolicita eſt. Si honeſta ſunt, quae facis, omnes ſciant: ſi turpia, quid refert neminem ſcire, quum tu ſcias? O te miſerum, ſi contemnis hunc teſtem.

EPISTOLA XLIV.

Lucilio, qui de malignitate naturae et fortunae in ſe queſtus erat, reſpondet noſter, hunc non eſſe ſermonem philoſophi, quippe qui ſtemma non inſpicit, neque ex eo indicari aeſtimarive vult. Illud enim non omnibus patere, ut bonam mentem. Hanc eſſe ſolam nobilitatem. Recte hanc epiſtolam appellat pulchram Lipſius. Conferri merentur Iuvenalis Sat. VIII. et Boilavii quinta: addas Plutarch. de Nobilitate.

Iterum tu mihi te puſillum facis, et dicis, malignius tecum egiſſe naturam prius, deinde fortunam, quum poſſis te eximere vulgo, et ad felicitatem [a] omnium maximam emergere! Si quid aliud eſt in philoſophia boni, hoc eſt, quod ſtemma non inſpicit. Omnes ſi ad primam originem revocentur, a diis ſunt. Eques Romanus es, et ad hunc ordinem tua te perduxit induſtria: at mehercules multis quatuordecim ſunt

 clauſi.

a. *omnium.* Nonnulli codd. et ed. vetus: *hominum*, ſollenni permutatione. Mox *perduxit induſtria* iidem Grut. codd. Eraſmus tamen habet: *p. cura. quatuordecim* addit editio vetus *τῷ· gradus.*

4. *Hunc teſtem.*] Laudat appoſite Lipſius Polybium XVIII, 26, 13 ed. Schweigh. Οὐδεὶς οὕτως οὐδὲ μάρτυς ἐστὶ φοβερὸς, οὔτε κατήγορος δεινὸς, ὡς ἡ σύνεσις, ἡ ἐγκατοικοῦσα ταῖς ἑκάστων ψυχαῖς.

1. *Omnes ſi ad — a diis ſunt.*] Cf. Argum. Epiſt. XLI.

quatuordecim gradus in theatro equitibus ex lege Roſcia theatrali, lata a L. Roſcio Othone tr. pl. a. u. c. DCLXXXVI, qua ſancitum eſt, ne quis in quatuordecim gradibus orcheſtrae, in qua ſenatores ſedebant, proximis ſederet, niſi qui eques et equeſtri cenſu eſſet. Vide Erneſti Indic. Legg. *Roſcia.*

2 clauſi. Non omnes curia admittit: caſtra quoque quos ad laborem et periculum recipiunt, faſtidioſe legunt. Bona mens omnibus patet: omnes ad hoc ſumus nobiles. nec reiicit quenquam philoſophia, nec eligit: omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit: Cleanthes aquam traxit, et rigando hortulo locavit manus: Platonem non accepit nobilem philoſophia, ſed fecit.
3 Quid eſt quare deſperes his te poſſe fieri parem? omnes hi maiores tui ſunt, ſi te illis geris dignum. Geres autem, ſi hoc protinus tibi perſuaſeris, a nullo te nobilitate ſuperari. Omnibus nobis totidem ante nos ſunt: nullius non origo ultra memoriam iacet. Plato ait: Neminem regem non ex ſervis eſſe oriundum, neminem non ſervum ex regibus. Omnia iſta longa varietas miſcuit, et ſurſum deorſum fortuna verſavit.
4 Quis ergo generoſus? ad virtutem bene a natura compoſitus. Hoc unum eſt intuendum. alioqui ſi

[b] ad

2. *Patricius Socrates non fuit.*] Patre quippe uſus lapidario ſ. marmorario Sophroniſco, Athenienſi, et matre Phaenareta obſtetrice. Vide Bruckeri Hiſt. Crit. Phil. Tom. I, p. 524. Luciani Somn. c. 12. (Opp. Tom. I. Bip. p. 13.) ib. Hemſterhuſ. *Cleanthes — manus*, unde Φρεάντλος exhauriens puteos dictus eſt. Brucker Tom. I. p. 972. *Platonem*, etiamſi ſtirpe nobili oriundum, revera tamen *non accepit nobilem philoſophia, ſed fecit.* Cf. Brucker ib. p. 628 ſqq.

3. *Omnibus nobis — ſunt*] quam illis qui nobilitate ſuperbiunt. *Plato ait.* Vbi? alius dicet. Ego contra in eo legi: Reges ex regibus oriundos, donec ad Iovem origo revocetur. — Alcibiade primo. Vera tamen illa dictio: et periodos aevi fortunaeque ſi vides, eunt haec in orbem. Lipſius. Niſi fallor, ad Platonis Theaetet. Vol. II, p. 118. 119. reſpexit noſter. Plato ibi reprehendit eos, qui generis nobilitatem laudibus efferunt, poetam neſcio quem, fortaſſis Pindarum, alludens, nec reputant, unicuique noſtrum avos proavosque innumeros anteceſſiſſe, in quibus divites et mendici, reges et ſervi, barbari et Graeci fuerint. Ex his verbis Seneca ſententiam iſtam concinnaſſe videtur, quam recte Platoni tribuit.

[b]ad vetera revocas, nemo non inde eſt, ante quod nihil eſt. A primo mundi ortu, usque in hoc tempus, perduxit nos ex ſplendidis ſordidisque alternata ſeries. Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus. nemo in noſtram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt. Animus facit nobilem, 5
cui ex quacunque conditione ſupra fortunam licet ſurgere. Puta itaque te non eſſe equitem Romanum, ſed libertinum: potes hoc conſequi, ut ſolus ſis liber inter ingenuos. Quomodo? inquis. ſi mala bonaque, non populo auctore, diſtinxeris. Intuendum eſt, non unde veniant, ſed quo eant. Si quid eſt quod beatam vitam poteſt facere, id bonum eſt ſuo iure: depravari enim in malum non poteſt. Quid eſt ergo, 6
in quo erratur? quum omnes beatam vitam optent, quod inſtrumenta eius pro ipſa habent, et illam dum petunt, fugiunt. Nam quum ſumma beatae vitae ſit ſolida [c]ſecuritas, et eius inconcuſſa fiducia, ſolicitudinis

b. *ad vetera.* Sic ex Pinciani codd. Muretus, nec aliter quatuor Gruteri, inque his Colon. Sed Eraſmus, edit. vetus et unus Palat. habent: *ad vera.*

c. *ſecuritas.* Sic quinque Grut. codd. At Eraſmus: *tranquillitas.*

4. *nemo non inde eſt — eſt.*] Omnes ſumus, ſecundum Stoicos, e primis principiis, Deo et materia. *atrium plenum fumoſis imaginibus.* Mos fuit Romanus, expreſſos cera vultus disponendi in armariis per atria, ubi fumo obnoxii erant, (nam veteres canalibus illis ad fumum e domo educendum carebant. cf. Beckmann Beytraege zur Geſch. der Erfind. II, 3 ubi p. 409 et noſtri loci memor fuit) ut eſſent imagines, quae comitarentur gentilitia funera (Plin. N. H. XXXV, 2.): vivi enim homines, aſſumto illo cereo vultu ad mortuorum ſimilitudinem expreſſo, veſtitum eorum imitati perſonas eorundem referebant. Patet hoc e Polybio VI, 53, 6. quem locum Schweighaeuſerus recte, et, quod ſciam, primus explicavit. Eleganter ei aſſenſus eſt Hugo in: Lehrbuch der Geſch. des roem. Rechts §. 120. p. 123. 124 not. (2 edit. Berolin. 1799.).

dinis colligunt cauſas, et per inſidioſum iter vitae non tantum ferunt ſarcinas, ſed trahunt. Ita longius ab affectu eius quod petunt, ſemper abscedunt, et quo plus operae impendunt, hoc ſe magis impediunt, et feruntur retro. Quod evenit in labyrintho properantibus, ipſa illos velocitas implicat.

EPISTOLA XLV.

Libris non multis ſed bonis iisque ordine rectèque lectis opus eſſe ad ſapientiam, Lucilio inopiam librorum conqueſto reſpondit Seneca. Miſſurum tamen promittit ſuos libros, quos autem proprio indicio legat hortatur, ne in vitium magnorum virorum incidat, qui in ſuperflua quaedam aut arguta, et verba magis quam res, inquirentes totique in illis et veritatem et neceſſaria praetermiſerunt. Qua occaſione data in cavillos et vocum captiones invehitur, resque monet diſquirantur earumque diſcrimina, e. c. quis beatus et quod vere beatum ſit. Cf. Ep. II. VI. Recte autem Dialecticos, inprimis Academicos et Stoicos in hac epiſtola reprehendi hiſtoria philoſophiae docet. Cf. Menag. ad Diog. Laert. II, 108.

Librorum iſtic inopiam eſſe quereris. Non refert quam multos, ſed quam bonos habeas. lectio certa prodeſt, varia delectat. Qui quo deſtinavit pervenire vult, unam ſequatur viam, non per multas vagetur. non ire iſtud, ſed errare eſt. „[a] Vellem," inquis, „magis libros mihi quam conſilium dares." Ego vero quos-

a. *Vellem, inquis, magis libros mihi quam conſilium dares.* Hanc lectionem Pincianus dedit primus, ex ingenio, arripuitque Muretus, Grutero male diſsentiente. Etiamſi in editis olim et quatuor Grut. codd. exſtat: *Vellem, inquis, magis conſilium mihi, quam libros dares*, et unus codex chartaceus Palatin. tertius vulgatam exhibet, lectionem tamen quam et nos exhibemus, ſinceriſſimam habemus, toto epiſtolae tenore praeciſe docente.

1. *iſtic*] Syracuſas hic intelligi putem, librosque latine ſcriptos. Nam graecis libris Syracuſae abundabant, non item latinis, quippe quos a Graecis parvi factos eſſe conſtat.

quoscunque habeo, mittere paratus ſum, et totum horreum excutere: me quoque iſto ſi poſſem, trans- 2
ferrem, et niſi mature te finem officii ſperarem impetraturum, hanc ſenilem expeditionem indixiſſem mihi: nec me Charybdis, et Scylla, et fabuloſum iſtud fretum deterrere potuiſſet. Transnataſſem iſta, non ſolum traieciſſem, dummodo te complecti poſſem, et praeſens aeſtimare quantum animo creviſſes. Ceterum 3
quod libros meos tibi mitti deſideras, non magis ideo me diſertum puto, quam formoſum putarem, ſi imaginem meam peteres. Indulgentiae ſcio iſtud eſſe, non iudicii: et ſi modo iudicii eſt, indulgentia tibi impoſuit. Sed qualescunque ſunt, tu illos ſic lege, tanquam verum quaeram adhuc, non ſciam, et contumaciter quaeram Non enim me cuiquam [b]emancipavi, nullius nomen fero: multum magnorum virorum

Mox *impetraturum* Eraſmus, editio vetus omnesque Gruteri codd. praeferunt ſcripturae, quae eſt orae ed. Eraſm. adſcripta atque a Mureto adſumta: *impleturum*, nullum ſanum ſenſum fundenti.
b. *emancipavit* Optimae membranae, Tarviſina, Veneta, (et vetus) edd. ſic habent: at Gruterus *mancipavi* retinendum cenſuit. Gronovius recte *emancipavi* praetulit, egregie vim harum vocum diſtinguens. Vide not.

ſtat. *et totum horreum excutere*, proverbiali loquendi ratione, de magna copia, uti Graecorum Ὅλῳ θυλάκῳ σπείρειν Corinnae ap. Plutarch. de Glor. Athen. T. IX, p. 91 Hutt.

2. *et niſi mature — impetraturum*] Ab imperatore quippe hoc petere debebat, ut ſibi ſucceſſor mitteretur. *fabuloſum*. Non falſum, ſed fabulis auctum; de quo fama et fabulae ſparſae ſunt. Sic *Hydaſpes fabuloſus* in Horatio I Carm. 22, 7. 8. ubi vide Bentleium noſtri loci non immemorem.

3. *Non enim me cuiquam emancipavi*] *Mancipo* eſt: mancipio trado; *emancipo*, e poteſtate mea et mancipio dimitto. Liber homo eſt ſuae poteſtatis; itaque quum ſe *emancipare* dicitur, intelligitur e poteſtate ſua abire, non amplius ſuus eſſe, alienus fieri, deſinere ſui iuris et mancipii eſſe, ut loquitur Brutus ad Ciceronem. Vides cur elegan-ter et loco poſuerint *emanci-pare*,

4 rum iudicio credo, aliquid et meo vindico. Nam illi quoque non inventa, ſed quaerenda nobis reliquerunt: et inveniſſent forſitan neceſſaria, niſi et ſuperflua quaeſiſſent. Multum illis temporis verborum cavillatio eripuit, et captioſae disputationes, quae acumen irritum exercent. Nectimus nodos, et ambiguam ſignificationem verbis alligamus, deinde diſſolvimus. Tantum nobis vacat? iam vivere, iam mori ſcimus? Tota illo mente pergendum eſt, ubi provideri debet,
5 ne res nos, non verba, decipiant. Quid mihi vocum ſimilitudines diſtinguis, quibus nemo unquam niſi dum disputat, captus eſt? res fallunt. illas discerne. Pro bonis mala amplectimur: optamus contra id quod optavimus: pugnant vota noſtra cum votis, conſilia cum conſiliis. Adulatio quam ſimilis eſt amicitiae? Non imitatur tantum illam, ſed vincit, et praeterit: apertis et propitiis auribus recipitur, et in praecordia
6 ima deſcendit, eo ipſo gratioſa, quo laedit. Doce quemadmodum hanc ſimilitudinem dignoſcere poſſim. venit ad me pro amico blandus inimicus: vitia nobis ſub virtutum nomine obrepunt: temeritas ſub titulo for-

pare, ubi vulgatius ipſum *mancipare* ponendum videbatur. Cf. Plauti Bacchid. I, 1, 58. Cic. de Senect. 11. Horat. Epod. IX, 12 etc. Feſtus: *emancipati* duobus modis intelliguntur: aut ii, qui ex patris iure exierunt, aut ii, qui aliorum fiunt dominii: quorum utrumque fit mancipatione. Schoppius lib. II Veriſim. c. 1. primus quod ſciam de hoc verbo obſervavit. Haec fere Gronov., quem recte laudat Erneſti in Clav. Cic. ſub hac voce.

4. *ſuperflua quaeſiſſent.*] Cacoëthes (prava conſuetudo) philoſophantium olim, nuper, hodie: ipſi Stoici in hac culpa, ante omnes Chryſippus (cuius volumina dialectica CCCXI citantur. cf. Fabric. Bibl. Graec. Vol. III, p. 548 Harl.) Lipſius.

5. *Optamus*] i. contrarium eius nunc optavimus, quod nuper optaveramus.

6. *Doce — accipitur.*] Saepe hanc querelam apud omnes cuiuscunque generis auctores ite-

fortitudinis latet: moderatio vocatur ignavia: pro cauto timidus accipitur. In his magno periculo erratur: his certas notas imprime. Ceterum qui interrogatur, an cornua habeat, non eſt tam ſtultus, ut frontem ſuam tentet: nec rurſus tam ineptus aut hebes, ut non habere ſe neſciat, quod tu illi ſubtiliſſima collectione perſuaſeris. Sic iſta ſine noxa decipiunt, quomodo praeſtigiatorum acetabula et calculi, in quibus fallacia ipſa delectat. Effice, ut quomodo fiat intelligam: perdidi uſum. Idem de iſtis captionibus dico: quo enim nomine potius ſophiſmata appellem? nec ignoranti nocent, nec ſcientem iuvant. Si vis utique verborum ambiguitates diducere; hoc nos doce, beatum non eum eſſe, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit: ſed illum, cui bonum omne in animo eſt, erectum, et excelſum, et 7 8

iteratam invenimus. Plato, quod ſciam primus hoc vitium conqueſtus eſt de Republ. V, p. 55. Tom. VII Bip., quem Lucretius IV, 1154 ſqq. expreſſit.

7. *Ceterum qui interrogatur, an cornua habeat.*] Eſt argumentatio ſ. ſyllogiſmus notus, κερατίνη ſ. κερατὶς vocatus, quem Eubulides dialecticus inveniſſe dicitur. Diog. Laert. II, 108. ubi vid. Menag. qui noſtrum locum advertit. Nomen habet ex hac ratione: habes quod non amiſiſti, Non amiſiſti cornua, Ergo habes cornua. *ut frontem ſuam tentet.* Immo vero fecit Diogenes Cynicus. Cf. Diog. Laert. VI, 38. 39. *praeſtigiatorum acetabula.* Ludus hodieque notus. Praeſtigiatores calculos ſ. numos in menſa ponunt, deinde acetabulis ſ. vaſculis aut pyxidibus opertos tam dextre loco movent et transferunt, ut quum hic eſſe cenſeas, alibi compareant. Graeci vocant ψηφοπαίκτας, ψηφοκλήπτας, ψηφολόγους. L. Egregie deſcribit hunc ludum Alciphron. Epiſtol. III, 20. ubi vide p. 73 Wagnerum. Opportune notat Muretus, hanc comparationem eſſe ab Arceſilao Stobaei Setm. LXXX.: Ἀρκεσιλάος ὁ Φιλόσοφος ἔφη, τοὺς Διαλεκτικοὺς ἐοικέναι τοῖς ψηφοσπαίκταις, οἵτινες χαριέντως παραλογίζονται.

9. *hoc nos doce, beatum* etc.] In his et ſequentibus de ſapiente ſtoico ſermonem eſſe putes.

9 et mirabilia calcantem: qui neminem videt, cum quo se commutatum velit: qui hominem eâ solâ parte aestimat, quâ homo est: qui natura magistra utitur, ad illius leges componitur, sic vivit, quomodo illa praescripsit: cui bona sua nulla vis excutit: qui mala in bonum vertit, certus iudicii, inconcussus, intrepidus: quem aliqua vis movet, nulla perturbat: quem fortuna, [c] quum quod habuit telum nocentissimum, vi maxima intorsit, pungit, non vulnerat, et hoc raro.
10 Nam cetera eius tela, quibus genus humanum debellatur, grandinis more disultant: quae incussa tectis, sine ullo habitatoris incommodo crepitat, ac solvitur. Quid me detines in eo, quem tu ipse Pseudomenon appellas, de quo tantum librorum compositum est? Ecce tota mihi vita mentitur: hanc coargue, hanc
11 ad verum, si acutus es, redige. Necessaria iudicat, quorum magna pars supervacua est: etiam quae non est supervacua, nihil in se momenti habet in hoc, ut possit fortunatum beatumque praestare. Non enim statim bonum est, si quid necessarium est. Ac proiicimus bonum, si hoc nomen pani aut polentae damus,
12 et ceteris sine quibus vita non ducitur. Quod bonum est, utique necessarium est: quod autem necessarium

c. *quum quod habuit.* Sic omnes codd. Grut. Erfurt. Amplon., et editio vetus. Antea: *quum in eum quod h.*

10. *Pseudomenon*] Argumentatio s. syllogismus celeberrimus in antiquitate, de quo adeo libros compositos esse constat, e. c. a Theophrasto et Chrysippo. Habuit autem nomen a mentiente, quia exempli causa sumitur is, qui mentitur. Hoc modo: An mentitur is, qui mentiri se dicit? Cui si respondeas, mentiri; colligitur statim, non mentiri, quod vere dixerit, se mentiri. Cf. Diog. Laert. II, 108. Menag.

12. *Quod bonum est utique necessarium est.*] Stoicis haec definitio propria est, ideoque diversa ab iis, quas Academici, Peripatetici et Epicurei dederunt

rium eſt, non ſtatim bonum eſt: quoniam quaedam neceſſaria ſunt, eadem viliſſima. Nemo usque eo dignitatem boni ignorat, ut illud ad haec in diem utilia demittat. Quid ergo? non eo potius curam transferes, ut oſtendas omnibus, magno temporis impendio quaeri ſupervacua: et multos transiſſe vitam, dum vitae inſtrumenta conquirunt? Recognoſce ſingulos, conſidera univerſos: nullius non vita ſpectat in craſtinum. Quid in hoc ſit mali, quaeris? infinitum. non 13
enim vivunt, ſed victuri ſunt: omnia differunt. Etiamſi attenderemus, tamen nos vita praecurreret: nunc vero cunctantes quaſi aliena transcurrit, et ultimo die finitur, omni perit. Sed ne epiſtolae modum excedam, quae non debet ſiniſtram manum legentis implere: in alium diem hanc litem cum dialecticis differam, nimium ſubtilibus, et hoc ſolum curantibus, non et hoc.

EPISTOLA XLVI.

De libro, philoſophico ut videtur, Lucilii iudicat, laudatque eum.

Librum tuum, quem mihi promiſeras, accepi, et tanquam lecturus ex commodo adaperui, ac tantum deguſtare volui. Deinde blanditus eſt ipſe, ut procederem

derunt. Statuerunt autem, bonum eſſe id, quod ſemper et ſine ulla mutatione animantibus ratione praeditis proſit. Cf. Cic. de Fin. II, 16. Tiedemann Syſtem der ſtoiſch. Phil. III, p. 35 ſqq.

13. *quae non debet ſiniſtram manum legentis implere.*] Hoc referas ad anguſtias et minutam libelli formam, interpretante recte Lipſio in inſtitutione epiſtolica c. 1. *et hoc ſolum curantibus, non et hoc.* Muretus de moleſtiſſimis et ſpinoſiſſimis ſyllogiſmis et repugnantibus recte intelligit, qui fere ita confirmari ſolent. Non et hoc et illud: *Hoc* autem eſt, non igitur *illud.*

1. *ex commodo*] i. otioſe, ubi commodum eſſet.

derem longius: qui quam difertus fuerit, ex hoc intelligas licet. brevis mihi visus est, quum esset nec mei, nec tui [a]corporis, sed qui primo adspectu aut T. Livii, aut Epicuri posset videri. tanta autem dulcedine me tenuit et traxit, ut illum sine ulla dilatione perlegerem. Sol me invitabat, fames admonebat, 2 nubes minabantur: tamen exhausi totum. Non tantum delectatus, sed gavisus sum. Quid ingenii iste habuit? quid animi? dicerem, quid impetus? si interquievisset, si intervallo surrexisset. Nunc non fuit impetus, sed tenor, compositio virilis et [b]sancta. Nihilo-

a. *corporis*. Recte praefert Grut. e quinque suis codd., et Gronov. e suo cod. et tribus edd. vett. Erasmus: *temporis*, quod Lipsius tuetur et commode explicat: qui esset grandior, quam aut tuum, aut meum tempus ferret scribere, sive legere. Vetus ed. *corporis* praebet. cf. not.

b. *sancta*, i. e. gravis, venerationem incutiens. Sic Quintil. Institut. Orat. X, 1. post med. ait: Oratio sancta et gravis (Calvi). Lipsius tamen emendat: *sana*. Nec male. Vide Ernesti Lexic. Technolog. Lat. sub voce: *Sanus*.

T. Livii] multa enim scripsit abolita, etiam philosophica. Et certe libri historiarum nec ex quadrante exstant. L. Vide Fabricii Bibl. Lat. T. I, p. 276 sqq. *quum esset nec mei nec tui corporis*. Salmas. de M. Usur. c. X. exponit: quales nec ego, nec tu scribere solemus. coll. Cic. Ep. ad Quint. II, 13. ubi libri Callisthenis et Philisti vocantur corpora. Seneca de Tranq. An. IV, 6. Melius Gronov. de ratione veterum legendi volumina explicat, qua voluminis partem nondum lectam mento subiiciebant, reliquam utraque manu in oris comprehendebant. Itaque volumen tam grande ac spissum, ut commode sic neque ab ipso, neque a Lucilio teneri possit, vocat Seneca *nec mei, nec tui corporis*. Tamen tanta me perfudit voluptate, ut brevis videretur, etsi esset iusto spissior. *Aut Epicuri*, qui omnes philosophos copia librorum, quos scripsit, vicit praeter Chrysippum. Diog. Laert. X, 26. Duos autem hos scriptores non solum multa, sed magna quoque volumina composuisse constat. *Sol me — minabantur*: tempus opportunum erat, posito libro, aut apricandi, aut corpus exercendi ante pluviam.

2. *Non tantum — sum.*] Vides hic differentiam τοῦ· *delectari*

Nihilominus interveniebat dulce illud et loco lene. Grandis et rectus es. hoc te volo tenere, sic ire. Fecit aliquid et materia. ideo eligenda est fertilis, quae capiat ingenium, quae excitet. De libro tuo 3 plura scribam, quum illum retractavero: nunc vero parum mihi sedet iudicium, tanquam audierim illa, non legerim. Sine me et inquirere. Non est quod verearis, verum audies. O te hominem felicem, quod nihil habes, propter quod quisquam tibi tam longe mentiatur! nisi quod etiam ubi causa sublata est, mentimur et consuetudinis causa.

EPISTOLA XLVII.

Laudat amicum, quod cum servis familiariter agat vivatque. Hinc sumit occasionem, in consuetudinem multorum sui aevi invehendi, qui contraria tractandi servos suos ratione utentes nonnisi superbissime et crudelissime in eos grassantur. Docet deinde, iudicio esse servos liberius aut severius, pro indole et virtute cuiusque habendos. — De re, quae hac in epistola tangitur, cf. Reitemeier de servitute inter Graecos etc. et Heynii Opuscula acad. Vol. IV, p. 120 sqq. Ceterum epistolam hanc Macrobius Saturnal. I, 11. suo more descripsit.

Libenter ex his qui a te veniunt cognovi, familiariter te cum servis tuis vivere: hoc prudentiam tuam,

Stari et *gaudere*. *Dulce — lene*. Distinctum fuisse indicat sermonem virilem et gravem venustate et suavitate quadam imaginum et narrationum ad lectorem iucunde afficiendum: et opportuno *loco* hoc *lene* i. e. suavis atque iucunda oratio adhibebatur, quae medium tenet inter fortius et tenuius, Quintiliano iudice, Instit. Or. XII, 10. cf. Bentlei. ad Horat. A. P. 25. qui et nostrum locum advertit. *Grandis* propter sublime argumentum, et *rectus* i. sanus, propter orationem, quae varietate et ornamentis e figuris caret. *Impetum* enim ait defuisse. Aequabilitas igitur sermonis regnabat in Lucilii libro.

3. *tam longe*] In tua provincia aliquid potes, hic Romae nihil (L.). Hic itaque nulla causa subest, cur tibi blandiar.

hoc eruditionem decet. Servi sunt? immo homines. Servi sunt? immo contubernales. Servi sunt? immo humiles amici. Servi sunt? immo conservi, si cogitaveris tantundem in utrosque licere fortunae. Itaque rideo istos qui turpe existimant cum servo suo coenare: quare? nisi quia superbissima consuetudo [a]coenanti domino stantium servorum turbam circumdedit.
2 Est ille plus quam capit, et ingenti aviditate onerat distentum ventrem, ac desuetum iam ventris officio, ut maiore opera omnia egerat, quam ingessit: at infelicibus servis movere labra, ne in hoc quidem, ut loquantur, licet. virgâ murmur omne compescitur: et ne fortuita quidem verberibus excepta sunt, tussis, sternutamentum, singultus: magno malo ulla voce [b]interpellatum silentium luitur: nocte tota ieiuni, mutique

a. *coenanti domino.* Sic Erasmus et quatuor Palat. codd. Alii et edit. vetus *coenantem dominum.* Statim sequens *ventris* est haud dubie a Seneca.

b. *interpellatum.* Nonnulli libri, *interpolatum*, item recte. Lipsius. Cui tamen iudicio Gronov. Obss. III, 22. p. 479. ed. Lips. non subscribit: *interpellatur*, ait, cui interceditur, aut quod continuatum abrumpitur: *interpolatur*, quod in aliam formam mutatur, sic tamen, ut ipsum corpus maneat. Cf. Tertullian. adversus Marcionem V, 11. Non. Marcell. I, 145. qui ait: interpolant est tractum ab arte fullonia: qui poliendo diligenter vetera quaeque quasi in novam speciem mutant: add. Cic. ad Quint. fratr. Epp. II, 12.

1. *Eruditionem*] i. sapientiam, ut Stoici loquebantur. Vid. Lipsii Manuduct. II, 1. *Quare? nisi quia* nulla alia causa subest, quam quod consuetudo sic iubet.

2. *Est ille — licet.*] Comedit ille plus, quam prodest, ideoque labra iusto saepius movet: at servis ne labra quidem movere licet. Reprehendit iam III de Ira, 24, 1. 35, 2. Lipsius laudat Ammian. Marcell. XXIII, 6. p. 363, Tom. II. Bip. ubi similia de Persis memorantur. *ut maiore opera, omnia — ingessit.* Hunc morem illustrant illa Senecae Consol. ad Helv. IX, 10. Vomunt ut edant, edunt ut vomant. Cic. pro Deiot. c. 7. *virga — compescitur.* Hinc fuere servi, quorum erat, silentium hoc praestare, ideoque silentiarii dicti. Vide Salvian. de Gubernat. p. 96. Rittersh. et *ne fortuita — singultus.* cf. II. de Ira 25, 4.

tique perſtant. Sic fit, ut iſti de domino loquantur, 3
quibus coram domino loqui non licet. At illi quibus
non tantum coram dominis, ſed cum ipſis erat ſermo,
quorum os non conſuebatur, parati erant pro domino
porrigere cervicem, periculum imminens in caput ſuum
avertere. In conviviis loquebantur, ſed in tormentis
tacebant. Deinde eiusdem arrogantiae proverbium
iactatur: Totidem eſſe hoſtes, quot ſervos. Non 4
habemus illos hoſtes, ſed facimus. Alia interim cru-
delia et inhumana praetereo, quod nec tanquam ho-
minibus quidem, ſed tanquam iumentis abutimur:
quod quum ad coenandum discubuimus, alius ſputa
detergit, alius reliquias temulentorum ſubditus colli-
git, [c] alius pretioſas aves ſcindit: pectus et clunes,
certis ductibus circumferens eruditam manum, in fru-
ſta excutit. Infelix qui huic uni rei vivit, ut altilia 5
decenter ſecet! niſi quod miſerior eſt, qui hoc vo-
luptatis cauſa docet, quam qui neceſſitatis diſcit. Alius
vini miniſter in muliebrem modum ornatus, cum ae-

 tate

c *alius pretioſas aves ſcindit: pectus et clunes ductibus circumferens eruditam manum, in fruſta excutit.* Sic Muretus Lipſiusque, probante Grutero, quem vide.

3. *At illi — tacebant.*] Exempla affert Macrobius I. l. *Totidem eſſe hoſtes, quot ſervos.* Fuit hoc Catonis maioris dictum. Lipſius Feſtum in *Quot ſervi* de hoc ipſo adagio laudat. Conferri quoque meretur Terentii Andr. III, 4, 4 ibique Weſterhov.

4. *Alia — abutimur.*] Sic Plin. N. H. XVIII, 3. vincti pedes, damnatae manus, inſcriptique vultus, arva exercent: coll. Flor. III, 19. Lucan. VII, 402, ut alios omittam. *ſputa detergit — excutit.* eadem fere de Brevit. vit. L. XII, 4. Iuvenal. Sat. V, 120.

5. *in muliebrem modum ornatus.*] Lipſius recte: comatus et in veſte longa, idemque calamiſtratus et comtulus. Appulei. Metam. II. poſt med. p. 123, 8 Elmenhorſt.: Scitule miniſtrantes pueri, calamiſtrati, pulchre induſiati (induſium autem erat interula feminarum linea

tate luctatur. [d]Non potest effugere pueritiam; retrahitur. iamque militari habitu glaber, destrictis pilis, aut penitus evulsis, tota nocte pervigilat, quam inter ebrietatem domini ac libidinem dividit, et in cubiculo
6 vir, et in convivio puer est. Alius cui convivarum censura permissa est, perstat infelix et exspectat, quos adulatio, intemperantia aut gulae, aut linguae, [e]revocet in crastinum. Adiice obsonatores, quibus dominici palati notitia subtilis est: qui sciunt, cuius rei illum sapor excitet, cuius delectet adspectus, cuius novitate nauseabundus erigi possit, quid iam ipsa satie-
7 tate fastidiat, quid illo die esuriat. Cum his coenare non sustinet, et maiestatis suae diminutionem putat, ad eandem mensam cum servo suo accedere. Dii melius, quod ex istis dominos habent! Stare ante limen Callisti dominum suum vidi, et eum qui illi impegerat titu-

d. *Non potest effugere pueritiam; retrahitur* sc. pueritia. Sic membranae Gronovii, uti notavit ad Ep. XXIV, 15 et Palat. sec. a manu secunda. Antea: *sed retr.* Mox *destrictis p. aut penitus evulsis.* Bona lectio. Aberrant libri in *retritis*, *tritis*, *detritis*.

e. *revocet in crastinum.* Sequor Gronovium. Priores, ait, quia intemperantes ipsi, qui pascerent aut coenarent, amabant, quibus esset, ut loquitur Iuvenalis *usus edendi*: posteriores ob vernilitatem seu dicacitatem. Senec. Ep. CXXII, 12. Martialis VI, 44.

linea byssinave. Salmas. ad Scriptt. Hist. Aug. T. I, p. 972). *iamque militari habitu.* Ille ut mulier ornatus servus formam militis robustioris habet, sed ut pueritiam retrahat effugere volentem, pilos destringit aut penitus evellit. cf. Ep. XCV, 18 sqq.

7. *Callisti*] praepotentis liberti Claudiani. Cf. Tacit. Annal. XI, 29. XII, 1 etc. Similiter Epictet. Diss. Arrian. I, 19, 19 sqq. ed. Schweigh. memoratur de Felicione quodam sui aevi, quem ibi Vatinium ap. Tacit. Annal. XV, 34 al. memoratum haud temere credidit Vptonus. *qui illi impegerat titulum.* Venalitiis titulus vel inscriptio collo pectorique *impingebatur* i. alligabatur, unde nomen, patria, et bona malave eorum cognoscerentur. Vilissimi autem et propter multa vitia ridiculi venalitii in prima decuria producti sunt a mangonibus. Cic. de

titulum, qui inter f ridicula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi. Retulit illi gratiam ſervus, ille in primam decuriam coniectus, in qua vocem praeco experitur, et ipſe illum invicem apologavit, et ipſe non iudicavit domo ſua dignum. Dominus Calliſtum 8
vendidit: ſed domino quam multa Calliſtus? Vis tu cogitare iſtum quem ſervum tuum vocas, ex iisdem ſeminibus ortum, eodem frui coelo, aeque ſpirare, aeque vivere, aeque mori? Tam tu illum ingenuum videre potes, quam ille te ſervum. g Variana clade quam multos ſplendidiſſime natos, ſenatorium per mi-

 litiam

f. *ridicula* omnium librorum et ſcriptorum et editorum ſcriptura: non *reiicula*, quod tamen Lipſius Gruterusque probant. Sunt autem *ridicula* propter titulos ſ. indices morborum et vitiorum cuiusque mancipii: et riſu iocisve excipi ſolebant ab ipſis etiam praeconibus. Appuleium VIII, (p. 182 Bip.?) laudat Lipſius. Eadem harum vocum varietas occurrit ap. noſtrum de Brevit. vit. VII, 4.

g. *Variana clade.* Omnes libri, mss. et edd. exhibent: *Mariana.* Enimvero meridiano ſole clarius eſt, *Variana* eſſe ſanam ab auctore profectam ſcripturam. Lipſius, quod ſciam, primus ſic legendum eſſe egregie oſtendit ad Tacit. Annal. I, 10. not. 11. ed. Erneſt. Magnus quoque Bentleius ad Horat. III Carm. 5, 8. hanc lectionem aſſenſu ſuo firmavit. Neque vero Marius tulit cladem a barbaris, ſed dedit, nec ad ipſos Germanos referre potes, quaſi factos ab eo ſervos: nam addit: *ſenatorium gradum auſpicatos*, quod certe Romanorum eſt, non itidem Germanos. Variana clade, qua Quintil. Varus a Viſurgi verſus Luppiam ducens cum toto ſuo exercitu a Germanis Arminio duce a. Chr. XX. deletum eſſe conſtat. Cf. Monumenta Paderbornenſia p. 20 ſqq. ubi omnia veterum loca inde a Strabone usque ad Oroſium al. deſignata ſunt, ut Schmidtium aliosque auctores Hiſtor. German. omittam. *ſenatorium gradum.* Ad ſenato-

de Offic. III, 23, 11. et Reitemeier l. l. *apologavit* i. reiecit, repudiavit. Cf. Heumann. Poecile III, 2. p. 319.

8. *Sed domino — Calliſtus?*] Ipſi domino aliquid a Caeſare (Claudio) petenti Calliſtus impetravit, ſed non ſine pretio et dono. Lipſius, qui et ad ſequentia *ex iisdem ſeminibus* etc. peropportune laudat Epictet. Diſſ. Arr. I, 13.

litiam auſpicantes gradum, fortuna depreſſit? alium ex
9 illis paſtorem, alium cuſtodem caſae fecit. Contemne nunc eius fortunae hominem, in quam transire, dum contemnis, potes. Nolo in ingentem me locum immittere, et de uſu ſervorum disputare, in quos ſuperbiſſimi, crudeliſſimi, et contumelioſiſſimi ſumus. Haec tamen praecepti mei ſumma eſt: Sic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum ſuperiorem velles
10 vivere. Quoties in mentem venerit, quantum tibi in ſervum liceat: veniat in mentem, tantundem in te domino tuo licere. „At ego," inquis, „nullum habeo dominum." Bona aetas eſt. forſitan habebis. neſcis qua aetate Hecubą ſervire coeperit, qua Croeſus,
11 qua Darii mater, qua Plato, qua Diogenes? Vive cum ſervo clementer. comiter quoque et in ſermonem admitte, et in conſilium, et in convictum. Hoc loco acclamabit mihi tota manus delicatorum: Nihil hac re humilius, nihil turpius. Hos ego eosdem deprehendam, alienorum ſervorum oſculantes manum. Ne illud quidem videtis, quam omnem invidiam maiores noſtri dominis, omnem contumeliam ſervis detraxe-
12 rint? Dominum, patremfamiliae appellaverunt: ſervos

manorum. Cape igitur de Quintil. Vari in Weſtphalia clade, cum tribus legionibus ab Armenio caeſi: atque in ea multi honeſti aut nobiles facti ſervi.

toriam dignitatem per militares honores progrediebantur. Cf. Lipſium de militia roman. II, 9 et c. 2. et Epictet. Diſſ. Arrian. IV, 1, 39 not.

10. *bona aetas eſt,*] iuventus: ut mala aetas, ſenectus. L. *Hecuba*, uxor Priami vel e Virgil. Aen. II, 501 nota. *Croeſus* a Cyro captus. Herodot. I, 84 ſq. *Darii mater*, Siſygambis. Curtius III, 11. *Plato* a Dionyſio maiore Polidi Lacedaemonio traditus, qui eum Anniceri Cyrenaico vendidit: a quo tamen ſtatim liberatus eſt. Diog. Laert. III, 18. ubi Menagius noſtrum locum non praetermiſit. *Diogenes*. Vide Diog. Laert. VI, 74.

vos (quod etiam in mimis adhuc durat) familiares. Inſtituerunt diem feſtum, [h] quo non ſolum cum ſervis domini veſcerentur, ſed quo utique honores illis in domo gerere, ius dicere permiſerunt, et domum puſillam rempublicam eſſe iudicaverunt. Quid ergo? omnes ſervos admovebo menſae meae? non magis quam omnes liberos. Erras, ſi exiſtimas me quos- 13
dam quaſi ſordidioris operae reiecturum, ut puta illum mulionem, et illum bubulcum: non miniſteriis illos aeſtimabo, ſed moribus. Sibi quisque dat mores: miniſteria caſus aſſignat. Quidam coenent tecum, quia digni ſunt; quidam, ut ſint. Si quid enim in illis ex ſordida converſatione ſervile eſt, honeſtiorum convictus excutiet. Non eſt, mi Lucili, quod amicum 14
tantum in foro et in curia quaeras: ſi diligenter attenderis, et domi invenies. Saepe bona materia ceſſat ſine artifice. tenta, et experire. Quemadmodum ſtultus eſt, qui equum emturus, non ipſum inſpicit, ſed ſtratum eius ac fraenos: ſic ſtultiſſimus eſt, qui hominem aut ex veſte, aut ex conditione, quae veſtis modo nobis circumdata eſt, aeſtimat. Servus eſt?

h. *quo non ſolum.* Editio vetus aliique praeferunt: *non quo ſolo:* ſententia eadem.

12. *Inſtituerunt diem feſtum*] Saturnalia. Cf. Ep. XVIII. *ius dicere.* Permiſſum hoc fuit omnibus ſervis hoc die feſto: Cato Cenſorinus tamen hunc morem ſemper coluit. Plutarch. Vol. II, p. 592. c. 21 Reisk.

13. *Sibi quisque dat mores*] Cf. Iuvenal. Sat. V, inpr. 108 ſqq.

14. *Quemadmodum — fraenos*] Similia exſtant ap. Horat. I Serm. 2, 86, ubi Bentleius conferatur, qui nec hunc locum, nec Ep. LXXX, 8. praetermiſit. *ſtratum*, tegmen equis ad mollem vecturam paratum: moneo, ne de ephippio ſ. ſella equitatoria, qua noſtri equites utuntur, cogites: hac enim haec aetas, de qua ſermo eſt, carebat. Vide Beckmanni Beitraege zur Geſchichte der Erfind. III, 1. p. 90 ſqq.

15 ſed fortaſſe liber animo. Servus eſt? hoc illi nocebit? oſtende quis non ſit. Alius libidini ſervit, alius avaritiae, alius ambitioni; omnes timori. Dabo conſularem, aniculae ſervientem; dabo ancillulae divitem: oſtendam nobiliſſimos iuvenes mancipia Pantomimorum. Nulla ſervitus turpior eſt, quam voluntaria. Quare non eſt quod faſtidioſi te deterreant, quo minus ſervis tuis hilarem te praeſtes, et non ſuperbe ſuperio-
16 rem. Colant potius te, quam timeant. Dicet nunc aliquis, me vocare ad pileum ſervos, et dominos de faſtigio ſuo deiicere, quod dixi, colant potius dominum, quam timeant. Itane, inquit, prorſus colant tanquam clientes, tanquam ſalutatores? Hoc qui dixerit, obliviſcetur, id dominis parum eſſe, quod Deo ſatis eſt, qui colitur et amatur. Non poteſt
17 amor cum timore miſceri. Rectiſſime ergo te facere iudico, quod timeri a ſervis tuis non vis, quod verborum caſtigatione uteris. Verberibus multa admonentur. non quidquid nos offendit, et laedit. Sed ad rabiem cogunt venire deliciae, ut quidquid non ex voluntate reſpondit, [i]iram evocet. Regum nobis induimus animos. nam illi quoque obliti et virium ſuarum,

i. *iram evocet.* Sic Gronov. in ſuo et Iureti codice invenit, et eſt in editione veteri. Mire hoc verbum amaſſe videtur Seneca. Sic invenit quoque Macrobius Saturn. I, 11. p. 247 ed. Bip.: ut quidquid non ex voluntate reſpondit, iram furoremque evocet. Gronovii emendatione: *ſed ad rabiem cogunt venire deliciae: ut quidque non ex voluntate reſpondit, iram evocet*, tuto ſuperſedeamus. Antea: *iram provocet.*

15. *mancipia Pantomimorum*] Laudat Lipſius Senec. Nat. Quaeſt. VII, cap. ult. Vide Lipſium ad Tacit. Annal. I, 77.

17. *Regum nobis induimus animos.*] Sic noſter II de Ira 31, 1. Reges quisque intra ſe animum habet, ut licentiam ſibi dari velit, in ſe nolit. Similia ſunt Muſonii Rufi, qui Senecae aequalis Romae ſtoicam philoſophiam cum laude docuit. (Cf. Petri Nieuwlandi,

rum, et imbecillitatis alienae, ſic excandeſcunt, ſic ſaeviunt, quaſi iniuriam acceperint: a cuius rei peri- 18
culo illos fortunae ſuae magnitudo tutiſſimos praeſtat. Nec hoc ignorant, ſed occaſionem nocendi captant, quaerendo. acceperunt iniuriam, ut facerent. Diutius te morari nolo. non eſt enim tibi exhortatione opus. Hoc habent inter cetera boni mores, placent ſibi, et permanent. levis eſt malitia, ſaepe mutatur: non in melius, ſed in aliud.

EPISTOLA XLVIII.

Lucilius quum quaeſtionem, neſcimus quam, attamen graviſſimam, noſtro propoſuiſſet, ſe nunc non ſtatim reſpondere poſſe ſcribit, quia diverſae utilitatis rationes obſtent. Haec utilitatis commemoratio occaſionem praebet, de amicitia quaedam egregia afferendi, et, quum ipſum Lucilium his tricis philoſophorum indulſiſſe intelligeret, ab iſto ſtudio avocandi, et in eos invehendi, qui quum utiliter praecipere debeant, aridis diſtinctionibus, ſpinoſis ineptiis, atque adeo inutili ſubtilitate non ſolum in loco de amicitia, ſed ubique utantur, ideoque et Dialecticos facete perſtringendi. Etenim ſunt alia multa mala, pergit, contra quae auxilium parandum eſt: itaque ſuccurramus oportet prius iis, qui his malis laborant, ut doceantur, moneantur, ſubleventur, quam ut iſtis captiunculis et interrogatiunculis tantam operam navemus. Cf. Ep. XLV.

Ad epiſtolam quam mihi ex itinere miſiſti, tam longam, quam ipſum iter fuit, poſtea reſcribam. Seducere me debeo, et quid ſuadeam, circumſpicere. Nam

di, praematura morte literis erepti, Diſſ. de Muſonio Rufo, quam Daniel. Wyttenbachio falſo tribuerunt. Fabric. Bibl. Gr. Vol. III, p. 566.) Eius locus eſt ap. Stob. Serm. 2, p. 66 ed. Schow. a Lipſio laudatus: Τί προβαλλόμεθα τοὺς τυράννους μακρῷ χείρονες αὐτῶν καθεστῶτες; τὰς γὰρ ὁμοίας αὐτοῖς ἔχομεν ὁρμὰς ἐν τοῖς οὐχ ὁμοίοις τύχαις.

1. *ſeducere,*] in ſolitudinem me conferre, ut cogitem de reſpon-

Nam tu quoque qui consulis, diu an consuleres cogitasti: quanto magis hoc mihi faciendum est, quum longiore mora opus sit, ut solvas quaestionem, quam ut proponas? Vtique quum aliud tibi expediat, aliud mihi: iterum ego tanquam Epicurus loquor. Mihi vero idem expedit, quod tibi: aut non sum amicus,
2 nisi quidquid agitur ad te pertinens, meum est. Consortium rerum omnium inter nos facit amicitia: nec secundi quidquam singulis est, nec adversi. in commune vivitur. Nec potest quisquam beate degere, qui se tantum intuetur, qui omnia ad utilitates suas convertit: alteri vivas oportet, si vis tibi vivere. Haec societas diligenter et sancte observanda est, quae nos omnes omnibus miscet, et iudicat aliquod esse commune ius generis humani. plurimum ad illam quoque (de qua loquebar) interiorem societatem amici-
3 tiae colendam proficit. Omnia enim cum amico communia habebit, qui multa cum homine. Hoc, Lucili, virorum optime, mihi ab istis subtilibus praecipi malo, quid amico praestare debeam, quid homini, quam quot modis Amicus dicatur, et Homo quam multa significet. In diversum ecce sapientia et stultitia discedunt. cui accedo? in utram ire partem iubes? Illi homo pro amico est, huic amicus non est pro homine: ille amicum sibi parat, hic se amico.

Tu

responsione. *iterum ego — loquor*. Epicurus enim utilitatibus amicitiam metitur. Vide Epist. IX, 6.

2. *in commune vivitur*] Stoicorum sententiae de amicitia consentaneum est. Cf. Ep. IX. Illud Pythagorae notissimum est, omnia amicis communia esse praecipientis. Cic. de Off. I, 17, 10. ibi Heusinger. Lipsius opportune laudat Aristotelis illud notissimum, qui quum interrogatus esset, quid sit amicus, respondit: μία ψυχὴ δύο σώμασιν ἐνοικοῦσα, una anima duobus corporibus inhabitans.

3. *Illi homo pro amico est*] stoico. *huic*, Epicuro eiusque assectis.

Tu mihi verba distorques, et ſyllabas digeris. Scili- 4
cet niſi interrogationes vaferrimas ſtruxero, et con-
cluſione falſa a vero naſcens mendacium adſtrinxero,
non potero a fugiendis petenda ſecernere! Pudet me.
in re tam ſeria ſenes ludimus. Mus ſyllaba eſt: mus
autem caſeum rodit: ſyllaba ergo caſeum rodit. Pu-
ta nunc me iſtud non poſſe ſolvere: quod mihi ex iſta
ſententia periculum imminet? quod incommodum?
Sine dubio verendum eſt, ne quando in muſcipula ſyl- 5
labas capiam, aut ne quando, ſi negligentior fuero,
caſeum liber comedat. Niſi forte acutior eſt illa col-
lectio: Mus ſyllaba eſt: ſyllaba autem caſeum non
rodit: mus ergo caſeum non rodit. O pueriles in-
eptias! in hoc ſupercilia ſubduximus? in hoc barbam
demiſimus? hoc eſt quod triſtes docemus et pallidi?
Vis ſcire, quid philoſophia promittat generi humano? 6
conſilium. Alium mors vocat, alium paupertas urit,
alium divitiae vel alienae torquent, vel ſuae: ille ma-
lam fortunam horret, hic ſe felicitati ſuae ſubducere
cupit: hunc homines male habent, illum dii. Quid
mihi

4. *Tu mihi — digeris*] ut Dialectici, Academici et Stoici, facere ſolent. Cf. Cic. de Or. II, 38. Tuſc. III, 10. IV, 5. 14. Hinc ironice exagitat illas *interrogationes* i. ſyllogiſmos, ἐρωτήσεις. Interrogare enim et ἐρωτᾶν λόγους eſt Dialecticis, primum captioſas interrogationes nectere, ex quibus conceſſis concluſiunculae deducantur: deinde argumentari. Sic Cic. Acad. II, 28. 29. Soritem vocat vitioſum interrogandi genus. Cf. Hemſterhuſ. ad Lucian. Tom. II, p. 403. Bip. Alludit ad illa concludendi genera ſpinoſa et ea falſa, quorum et in Ep. XLV. meminerat, et quibus *mendacium adſtringitur* i. falſa argumentatio e Dialectices legibus conſtruitur. *Mus — caſeum rodit.* Vides idem vitium hic occurrere, quod in cornuto reperitur. Medius enim terminus, quem vocant, non idem ſignificat in propoſitione et aſſumtione, ideoque contra primam ſyllogiſmi regulam peccatur.

5. *in hoc ſupercilia — demiſimus?*] Faſtuoſi ſumus et reverentiam ab aliis poſcimus propter unam hanc futilem artem?

mihi luſoria iſta proponis? non eſt iocandi locus.
7 ad miſeros advocatus es. Opem te laturum naufragis, captis, aegris, egentibus, intentae ſecuri ſubiectum praeſtantibus caput pollicitus es: quo diverteris? quid agis? hic cum quo ludis, timet. [a] Succurre! quid, quod laqueati deſpondent: in poenis omnes undique ad te manus tendunt, perditae vitae, perituraeque auxilium aliquod implorant, in te ſpes
8 opesque ſunt. Rogant ut ex tanta illos volutatione extrahas, ut disiectis et errantibus clarum veritatis lumen oſtendas. Dic quid natura neceſſarium fecerit, quid ſupervacuum, quam faciles leges poſuerit; quam iucunda ſit vita, quam expedita, illas ſequentibus; quam acerba et implicita eorum, qui opinioni plus quam

a. *Succurre! quid, quod laqueati deſpondent: in poenis omnes.* Eraſmus vulgatam mutans codicem Anglicanum ſequutus dedit: *Succurre, quisquis eloquentior es, pereuntium poenis.* In aliis codd. erat: *quisquis eloquentior es in poenis: quicquid laqueati reſpondentium poenis:* in aliis: *ſuccurrere*, et, *ſuccurre, quidqui laqueati r. in p.*; in aliis: *quid eſt quod laqueati r. i. p.* Cod. Colon. habet: *ſuccurre, quicquid laqueati reſpondent in poenis*, notatumque ad oram, pro *reſpondent* alias legi: *rei pudent.* Cod. Erfurt. Amplonianus habet: *quicquid laqueati reſpondentium penis.* Eraſmus adiecit: Si pro *reſpondent* legas *deſpondent* i. deſperant, tolerabilis erit lectio. Hanc recepi. Sed locum nondum perſanatum puto. Lipſius coniecit: *hic cum quo ludis, timet. Succurre! Quidquid illaqueatorum pendet in poenis, omnes undique* etc.

7. *Succurre! quid, quod — opesque ſunt.*] Opem ferre: nam non ſolum timent illi, quibuscum tam inepte philoſopharis, ſed deſperant, his poenis metus deſperationisque turbati anxiique.

8. *Dic — temperat.*] Spectant haec ad illa, quae §. 6. poſuerat mala, contra quae omni ope pugnandum ſit. Scribe illis legem et expone: ſequere naturam! *Veritatis lumen.* Hoc promittunt philoſophi et praeſtant. Lucret. (V, 10 ſqq.) quique per artem Fluctibus e tantis vitam tantisque tenebris In tam tranquilla et tam clara luce locarunt. Vtramque imaginem ibi habes et *volutationis* et *luminis*. L.

quam naturae crediderunt: [b]ſi prius docueris, quae partem eorum levatura ſunt, quid iſtorum cupiditates demit, quid temperat. „Vtinam tantum non prod- 9
eſſent!“ nocent. Hoc tibi, quum voles, manifeſtiſſimum faciam, et comminui et debilitari generoſam indolem, in iſtas argutias coniectam. Pudet dicere, contra fortunam militaturis quae porrigant tela, quemadmodum illos ſubornent. Hac ad ſummum bonum itur? per iſtud philoſophiae ſunt nigrae, et turpes, infamesque, etiam ad album fedentibus, exceptiones. Quid enim aliud agitis, quum eum quem interrogatis, 10
ſcientes in fraudem inducitis, quam ut formulâ cecidiſſe videatur? Sed quemadmodum illum praetor, ſic hos philoſophia in integrum reſtituit. Quid disceditis ab ingentibus promiſſis, et grandia locuti, effecturos vos, ut non magis auri fulgor, quam gladii, perſtringat oculos meos, ut ingenti conſtantia, et quod omnes optant, et quod omnes timent, calcem, ad Grammaticorum elementa

b. *ſi prius docueris, quae partem eorum levatura ſunt, quid — temperat.* Sic Eraſmus, editio vetus, et codd. At Muretus omiſerat illa: *ſi prius — ſunt.* Et quum illa: *quid iſtorum — temperat* cum antecedentibus arcte cohaereant, iſtis iunxi, τῶν· *ſint* mutato in *ſunt*, et ſignis interrogandi ſublatis. Mox alii habent: *Disputationes iſtae utinam* etc. Sed neque in edd. vett. nec in quamplurimis codd. reperiuntur priores duae voces.

9. *Vtinam — prodeſſent!*] Obiectio eſt eius, qui disputationes illas defenſum it. *per iſtud — exceptiones.* illae captioſae *exceptiones*, i. obiectiones et cavillationes, quae adeo iureconſultis et advocatis, alioquin ſimilia non aſpernantibus, odio ſunt, a dialectica inpr. Stoicorum non abhorrent, (Fabric. Bibl. Gr. Vol. III, p. 535 ſqq.) et contemnuntur. *ad album* praetoris *ſedentibus* i. tabulam albam in qua edicta praetoris etc. proponebantur, iureconſulti.

10. *formula cecidiſſe*] quod fit, quum actio aliter, alio tempore, apud alium, quam oportuit, et praeſcriptum erat, inſtituitur. Vide ad II de Clement. 3, 1. *ad Grammaticorum elementa* etymologias ſectando, verbaque non res curando etc.

menta deſcenditis? Quid dicitis? ſic itur ad aſtra? hoc enim eſt quod philoſophia mihi promittit, ut me parem Deo faciat: ad hoc invitatus ſum, ad hoc veni. fidem praeſta. Quantum potes ergo, mi Lucili, reduc te ab iſtis exceptionibus et praeſcriptionibus philoſophorum. [c] Aperta decent et ſimplicia bonitatem. Etiam ſi multum ſupereſſet aetatis, parce iam dispenſandum erat, ut ſufficeret neceſſariis: nunc quae dementia eſt, ſupervacua diſcere in tanta temporis egeſtate?

EPISTOLA XLIX.

Pompeiorum, quam urbem in itinere per Campaniam adierat, adſpectu memoriam Lucilii ſibi renovatum ſcribit. Unde occaſionem ſumit de brevitate et velocitate temporis diſſerendi, in quo nihil longum aut vetus eſſe monet. Proinde in eos iterum invehitur, qui ad ſupervacua et ineptias vacant, praeſertim in Dialecticos, quos non omnino contemnendos, ſed tantum proſpiciendos et a limine ſalutandos iubet. Facilis hinc eſt transitus ad ea elevanda, quae neceſſaria ſunt ad vitae mala depellenda aut minuenda.

Eſt quidem, mi Lucili, ſupinus et negligens, qui in amici memoriam ab aliqua regione admonitus reducitur: tamen repoſitum in animo noſtro deſiderium loca interdum familiaria evocant, nec exſtinctam memoriam reddunt, ſed quieſcentem irritant. ſicut dolorem lugentium, etiam ſi mitigatus eſt tempore, aut ſervuli familiaris [a] admiſſio, aut veſtis, aut domus renovat.

c. *Aperta decent et ſimplicia bonitatem.* Iterum me angit ſilentium aliorum: nam noſtrae membranae, *veritatem:* ſequenti extrema (Ep. XLIX, 12.) *Nam, ut ille ait tragicus, veritatis ſimplex oratio eſt.* Gronov.

a. *admiſſio.* Sic Pincianus e mss. probat, et codex Col. *Amiſſio* Eraſmus, ed. vetus et cod. Pal. Grut. *Admonitio* Muretus. Prius tamen antiquum habeo: *admittitur* autem is, qui in col-

11. *praeſcriptiones*] Ita et exceptiones dicuntur, quibus reus agentem repellit. Talia autem in ſophiſmatis et ſcita quaedam legesque ad reiicien dum et ſolvendum. Lipſius.

novat. Ecce Campania, et maxime Neapolis, ad Pompeiorum tuorum conſpectum, incredibile eſt, quam recens deſiderium tui fecerit. Totus mihi in oculis 2
es: quum maxime a te discedo: video lacrimas combibentem, et affectibus tuis inter ipſam coërcitionem exeuntibus [b] non ſatis reſiſtentem. modo amiſiſſe te videor. Quid enim non modo eſt, ſi recorderis? modo apud Sotionem philoſophum puer ſedi, modo cauſas agere coepi, modo deſii velle agere, modo deſii poſſe. Infinita eſt velocitas temporis, quae magis 3
apparet reſpicientibus. Nam ad praeſentia intentos fallit: adeo praecipitis fugae transitus levis eſt. Cauſam huius rei quaeris? quidquid temporis transiit, eodem loco eſt: pariter aſpicitur, una iacet: omnia inde in profundum cadunt. et alioquin non poſſunt longa

loquium venit. Iam ſervus familiaris in colloquium admiſſus iacturam, ideoque dolorem de amico mortuo renovat.

b. *non ſatis.* Illud *non* acceptum feramus Pinciano, qui id in nonnullis ſuis codd. invenerat, unde et Muretus ſumſit. Eraſmus habet: *nobis ſatis*, quod et Gruter. in mss. ſuis quinque reperit, et eſt in Erfurt. Amplon.

1. *Pompeiorum tuorum*] Villam, opinor, in Pompeiano habebat. Vide initio Epiſt. LXX. Lipſius. Equidem Pompeiis oriundum fuiſſe Lucilium hinc liquere puto. Ceterum illa urbs, quae terrae motu anno Chriſti LXXIX corruit, noſtro demum ſaeculo detecta eſt, una cum Herculano. Cf. Martini, et Volckmann Nachrichten von Italien. Vol. III, p. 327 ſqq.

2. *Sotionem*] Aliquoties Sotion quidam citatur de ſucceſſione philoſophorum, a Laertio, Graece Σωτίων· non iſte opinor. Citatur et ab Aul. Gellio I, 8. *e peripatetica diſciplina.* etſi male ibi libri quidam *Phocion.* Sed noſter iſte magis Pythagoricus fuiſſe videtur ex Epiſt. CVIII, 7. De quo etiam Euſeb. Chronico, extremis Auguſti annis: *Sotio philoſophus Alexandrinus praeceptor Senecae clarus habetur.* Lipſius. Ex iſta epiſtola hoc colligere non licet. Magis Stoicus fuiſſe videtur. Sed cf. Fabric. Bibl. Gr. Vol. III, p. 576. Harl.

longa intervalla esse in ea re, quae tota brevis est.
4 Punctum est quod vivimus, et adhuc puncto minus: sed hoc minimum specie quadam longioris spatii natura divisit. Aliud ex hoc infantiam fecit, aliud pueritiam, aliud adolescentiam, aliud inclinationem quandam ab adolescentia ad senectutem, aliud ipsam senectutem. In quam angusto quot gradus posuit? Modo te prosecutus sum: et tamen hoc modo aetatis nostrae bona portio est, cuius brevitatem aliquando fu-
5 turam cogitemus. Non solebat mihi tam velox tempus videri. nunc incredibilis cursus apparet: sive quia admoveri lineas sentio, sive quia attendere coepi et computare damnum meum. Eo magis utique indignor, aliquos ex hoc tempore (quod sufficere nec ad necessaria quidem potest, etiam si custoditum diligentissime fuerit) in supervacua maiorem partem erogare.
6 Negat Cicero, si duplicetur sibi aetas, habiturum se tempus quo legat Lyricos, eodem modo Dialecticos. Tristius inepti sunt. illi ex professo lasciviunt: hi agere se ipsos aliquid existimant. Nec ego nego prospicienda ista: sed prospicienda tantum, et a limine salutanda, in hoc unum, ne verba nobis dentur, et aliquid esse in illis magni ac secreti boni iudicemus. Quid te torques et maceras in ea quaestione, quam sub.

4. *aliquando futurum*] in senio et sub exitum. L.

5. *sive quia admoveri lineas sentio.*] Bene hic observat Lipsius inter alia: ut in stadio, ubi curritur ad lineam, et iam tangimus. Duplex enim ibi linea, et a qua, et ad quam currebant: κανόνα aut γραμμὴν Graeci dixerunt. Cf. ad Epist. XII, 4. XXVI, 1 nott.

6. *Negat Cicero — Dialecticos.*] Vbi haec Cicero dixerit, non memini. Sed extremis annis ab eo dicta esse videntur, se neque Lyricos, Pindarum, Alcaeum etc., neque Dialecticos iterum lecturum esse: quippe cuius animo ad graviora et utiliora intento neque lascivia Lyricorum, neque spinae et tricae Dialecticorum placere

ſubtilius eſt contemſiſſe, quam ſolvere? Securi eſt, 7
et ex commodo migrantis, minuta conquirere. Quum hoſtis inſtat a tergo, et movere iuſſus eſt miles, excutit neceſſitas quidquid pax otioſa collegerat. Non vacat mihi, verba dubie cadentia conſectari, et vafritiam in illis meam experiri.

Adſpice, qui coeant populi, quae moenia clauſis
Ferrum acuant portis.

Magno mihi animo ſtrepitus iſte belli circumſonantis exaudiendus eſt. Demens omnibus merito viderer, ſi, 8
quum ſaxa in munimentum murorum ſenes feminaeque congererent; quum iuventus intra portas armata ſignum eruptionis exſpectaret, aut poſceret; quum hoſtilia in portis tela vibrarent, et ipſum ſolum ſuffoſſionibus et cuniculis tremeret; ſederem otioſus, et eiusmodi quaeſtiunculas ponens: Quod non perdidiſti, habes: cornua autem non perdidiſti: cornua ergo habes: aliaque ad exemplum huius acutae delirationis concinnata. Atqui aeque licet demens tibi videar, ſi 9
iſtis impendero operam. et nunc obſideor. Tunc [c] tamen periculum mihi obſeſſo externum immineret, murus me ab hoſte ſecerneret: nunc mortifera mecum ſunt. Non vaco ad iſtas ineptias. ingens negotium in manibus eſt. Quid agam? mors me ſequitur, fu-

c. *tamen*. Praeſtat fortaſſis: *tantum*. Confuſas autem eſſe a librariis has duas voculas, docet Schwarzius ad Plin. Panegyr. c. 31.

cere poterant. Iuveni autem Ciceroni eos lectos fuiſſe conſtat.

7. *verba dubie cadentia conſectari*] Dialecticorum more. Etenim mala et pericula undique mihi imminent. — Verſus ſunt e Virgil. Aen. VIII, 385 ſq. verba Veneris a Vulcano arma petentis in uſum Aeneae. Sequitur vivida deſcriptio urbis obſeſſae, in cuius *munimentum* i. muros et propugnacula imbellis turba ſaxa confert in hoſtem deiicienda. De *quaeſtiuncula* cf. Ep. XLV, 7 not.

git vita. [d]Adverſus haec me doce aliquid: effice ne
10 ego mortem fugiam, vita me non effugiat. Exhortare adverſus difficilia, de aequanimitate: adverſus inevitabilia, anguſtias temporis mei laxa: doce non eſſe poſitum bonum vitae in ſpatio eius, ſed in uſu: poſſe fieri, immo ſaepiſſime fieri, ut qui diu vixit, parum vixerit. Dic mihi dormituro: Potes non expergiſci! dic experrecto: Potes non dormire amplius! Dic exeunti: Potes non reverti! dic redeunti: Potes
11 non exire! Erras, ſi in navigatione tantum, exiſtimas minimum eſſe, quo a morte vita diducitur: in omni loco aeque tenue intervallum eſt. Non ubique ſe mors tam prope oſtendit: ubique tam prope eſt. Has tenebras discute: et facilius ea trades, ad quae praeparatus ſum. Dociles natura nos edidit, et ra-
12 tionem dedit imperfectam, ſed quae perfici poſſet. De iuſtitia mihi, de pietate disputa, de frugalitate, de pudicitia utraque, et illâ, cui alieni corporis abstinentia eſt, et hâc, cui ſui cura. Si me nolueris per devia ducere, facilius ad id quo tendo, perveniam. Nam, ut ille ait Tragicus, Veritatis ſimplex oratio eſt. Ideoque illam implicare non oportet. nec enim quidquam minus convenit, quam ſubdola iſta calliditas, animis conantibus magna.

EPI-

d. *Adverſus haec me doce aliquid: effice ne ego mortem fugiam, vita me non effugiat.* Haec Pincianus bene correcta dedit ex mss. Antea ap. Eraſmum: *Adverſus haec me doce: aliquid affer, ne mortem effugiamus* etc.

10. *Doce — vixerit.*] Cf. Cic. de Senect. c. 19. noſter Epiſt. XCIII, 2. non ut diu vivamus, curandum eſt, ſed ut ſatis: nam ut diu vivas fato opus eſt, ut ſatis, animo.

12. *Tragicus*] Euripides in Phoeniſſis 481. Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ.

EPISTOLA L.

Negat ſibi opus eſſe, ut ab eo, qui Lucilii epiſtolam proximam abhinc multos menſes ſcriptam tradiderat, quaerat, quid agat, quum probe ſciat, illum emendationi ſui quotidie incumbere, neque a nimio ſui amore praepediri. Quod aliter evenit in quamplurimis hominibus, qui coeci ſunt et velamenta vitiis quaerunt. Exemplo eſt Harpaſte, uxoris fatua, quae oculis ſubito capta domum tenebricoſam eſſe putat. Agnoſcenda itaque monet vitia eſſe, et in tempore remedia quaerenda. Vnde enim alioquin animi ſanitas exorietur? quae etiam contingere vel inveteratis vitiis poteſt: quia animus facilis eſt flecti et natura ad bonum volat.

Epiſtolam tuam accepi poſt multos menſes, quam miſeras. ſupervacuum itaque putavi, ab eo qui afferebat, quid ageres, quaerere. Valde enim bonae memoriae eſt, ſi meminit: et tamen ſpero te ſic iam vivere, ut ubicunque eris, ſciam quid agas. Quid enim aliud agas, quam ut meliorem te ipſe quotidie facias, ut aliquid ex erroribus ponas, ut intelligas tua vitia eſſe, quae putas rerum? Quaedam enim locis et temporibus adſcribimus: at illa, quocunque transierimus, ſecutura ſunt. Harpaſten, uxoris meae fatuam, ſcis 2
hereditarium onus in domo mea remanſiſſe. Ipſe enim [a]avariſſimus, ab iſtis prodigiis non ſum: ſi quando

a. *avariſſimus, ab iſtis prodigiis non ſum.* Sic cod. Colon. ap. Gruterum, in quo ſinceram auctoris manum agnoſco. Reliqui omnes Palatini et editiones praeſtant: *avariſſimus ab iſtis prodigiis ſumpſi. quando* etc. Rudolf. Agricola annotaverat: *averſiſſimus ab iſtis prodigiis ſum. ſi quando* etc. Ex qua ſcriptura facta eſt vulgata, quam tamen prae ea, quae a codd. affertur, eo ablegandum putavi, unde pedem intulit. Senſus eſt: etſi multi ſunt, qui talia prodigia pro deliciis habeant, equidem tamen iis non delector. Eſt autem vis praepoſitionis *a* elegantior, qua pars a qua ſtamus, ſumus, quam amplectimur, ex-

1. *Quaedam enim locis — ſunt.*] Saepius huc revertitur noſter et maximo iure. cf. Ep. XXVIII.

2. *Harpaſten*] Eſt ἁρπαστὴ bene ominatum nomen: quaſi bellula futura et rapienda ab omnibus, ut ἁρπαστὸν pilae

fatuo delectari volo, non eſt mihi longe quaerendus: me rideo. Haec fatua ſubito deſiit videre. Incredibilem tibi narro rem, ſed veram. neſcit eſſe ſe caecam: ſubinde paedagogum ſuum rogat, ut migret: ait domum tenebroſam eſſe. Hoc quod in illa ridemus,
3 omnibus nobis accidere, liqueat tibi. Nemo ſe avarum eſſe intelligit, nemo cupidum. Caeci tamen ducem quaerunt: nos ſine duce erramus, et dicimus: „Non ego ambitioſus ſum, ſed nemo aliter Romae poteſt vivere.“ „Non ego ſumtuoſus ſum, ſed urbs ipſa magnas impenſas exigit.“ „Non eſt meum vitium quod iracundus ſum, quod nondum conſtitui certum
4 genus vitae: adoleſcentia haec facit.“ Quid nos decipimus? non eſt extrinſecus malum noſtrum: intra nos eſt, in viſceribus ipſis ſedet. Et ideo difficulter ad ſanitatem pervenimus, quia nos aegrotare neſcimus.

primitur. Sic Cic. Or. II, 38 extr. Erat enim (Critolaus) ab iſto Ariſtotele etc.

lae genus ea re dixerunt. L. Haec fatua, vernula ut videtur, ioci cauſa alebatur, γελωτοποιοῦσα: hereditate tamen ad Senecam transmiſſa. Luxus enim ambitionisque nanos, nanas, copreas etc. in familiis habuiſſe Romanos, praeſertim huius aevi, patet ex. c. e Sueton. Tib. 61 extr. Claud. 8. *paedagogum*, et ipſum ſervum, cuius curae ſervi urbani iique politiores demandabantur: nam paedagogi non ſolum ii ſervi erant, qui pueros nobiliores ad ludum literarium deducerent, ab Horat. A. P. 161. *cuſtodes* appellati, ſed etiam ii, qui alicui rei praeſunt: cf. Columella de R. R. I, 1. p. 25 Bip. Hinc domus illa pars, in qua ſervi illi degerent paedagogium appellabatur. Plin. Ep. VII, 27. cf. ad I, 4. de Tranq. An. not.

3. *Nemo ſe avarum — cupidum.*] Idem Horat. I Epp. 8, 7. occupavit. Vide Bentlei. ad Horat. I Epp. 16, 38. ubi noſtrum locum advertit.

4. *quia aegrotare, neſcimus.*] Laudat Lipſius Pythagoram Stobaei Serm. XII de fiducia dicendi p. 319 ed. Schow. Ὥσπερ σωματικὸν πάθος οὐ κρυπτόμενον οὐδὲ ἐπαινούμενον ὑγιάζεται, οὕτως οὐδὲ

mus. Si curari coeperimus, quando tot morbos, tantasve aegritudines discutiemus? Nunc vero ne quaerimus quidem medicum: qui minus negotii haberet, si adhiberetur ad recens vitium. sequerentur teneri et 5
rudes animi, recta monstrantem. nemo difficulter ad naturam reducitur, nisi qui ab illa defecit. Erubescimus discere bonam mentem. at mehercules, [b]si turpe est magistrum huius rei quaerere; illud desperandum est, posse nobis casu tantum bonum influere: laborandum est: et, ut verum dicam, ne labor quidem
magnus est: si modo, ut dixi, ante animum nostrum 6
formare incipimus, et recorrigere, quam indurescat pravitas eius. Sed nec indurata despero. Nihil est quod non expugnet pertinax opera, et intenta ac diligens cura. Robora in rectum, quamvis flexa, revocabis: curvatas trabes calor explicat; et aliter natae in id finguntur, quod usus noster exigit: quanto facilius animus accipit formam, flexibilis, et omni
humore obsequentior? quid enim aliud est animus, 7
quam quodammodo se habens spiritus? vides autem tanto spiritum esse faciliorem omni aliâ materiâ, quanto tenuior est. Illud, mi Lucili, non est quod te impediat, quo minus de nobis bene speres, quod malitia iam nos tenet, quod diu in possessione nostri est. Ad neminem ante bona mens venit, quam mala. om- 8

 nes

b. *si turpe est* etc. Voculam *si* e cod. Col. ap. Grut., hoc ipso probante, addidi, sermonis tenore postulante, distinctione media post: *quaerere* posita.

οὐδὲ ψυχὴ κακῶς φρουρουμένη καὶ συναγορευομένη θεραπεύεται.

5. *laborandum est*] Doctrina enim virtutem praestat; illa sine magistro non est. Stoicum dogma est. Vide Epist. LII, 1. et Lipsii Manuduct. II, 10.

6. *Robora — exigit.*] Cf. Senec. I de Ira 5, 4 not. *Calor explicat* ligno scisso et ponderibus aliorsum ducto subditus. Vascularii et nautae quotidie faciunt. Lipsius.

nes praeoccupati ſumus: virtutes diſcere [c]eſt vitia dediſcere. ſed eo maiore animo ad emendationem noſtri debemus accedere, quod ſemel [d]nobis traditi boni perpetua poſſeſſio eſt. Non dediſcitur virtus. Contraria enim mala in alieno haerent: ideo expelli et exturbari poſſunt: fideliter ſedent, quae in locum ſuum veniunt. Virtus ſecundum naturam eſt: vitia
9 inimica et infeſta ſunt. Sed quemadmodum virtutes receptae exire non poſſunt, facilisque earum tutela eſt: ita initium ad illas eundi arduum: quia hoc primum imbecillae mentis atque aegrae eſt, formidare inexperta. Itaque cogenda eſt mens, ut incipiat. Deinde non eſt acerba medicina: protinus enim delectat, dum ſanat. Aliorum remediorum poſt ſanitatem voluptas eſt: philoſophia pariter et ſalutaris et dulcis eſt.

EPISTOLA LI.

Quemque habere, quo delectetur, ait: Lucilium Aetna, ſe Baiis. Sed hoc diverſorium luxuriae et vitiorum ſe mox reliquiſſe. Ita occaſionem ſumit, de receſſu et de evitandis irritamentis vitiorum exponendi. Indurandus autem eſt animus et a blandimentis voluptatum procul abſtrahendus, ne Hannibalis Campaniae luxu enervati ſortem experiamur. Nobis enim quoque bellum gerendum eſt contra voluptates cuiuscunque generis, et contra fortunam, ut libertatem adipiſcamur. Quocirca loca ſobria ſanctaque eligenda ſunt, ut ingenium firmetur et magnis conatibus aptum reddatur, velut ii fecerunt, qui primi villas in Baiano exſtruxerunt, et Catonis in modum. Verbo, perſequatur Lucilius vitia et voluptates monet.

Quomodo quisque poteſt, mi Lucili: tu iſtic habes Aetnam, illum nobiliſſimum Siciliae montem: (quem quare

c. *virtutes diſcere eſt vitia dediſcere.* Ex Gron. emendatione recepi, qui verbum *eſt* ob contextum et Latinitatem addendum eſſe cenſuit.

d. *nobis* e quinque Gruteri codd., Erfurt. Amplon., et editione vetere addidi.

1. *Quomodo quisque poteſt,*] egregiis, quas habet: Lucilius ſit contentus iis regionibus Aetnâ, Seneca Baiis. *Meſſal-*

la

quare dixerit Meſſalla unicum, ſive Valgius, apud utrumque enim legi, non reperio, quum plurima loca evomant ignem, non tantum edita, quod crebrius evenit, videlicet quia ignis in altiſſimum effertur, ſed etiam iacentia): nos utcunque poſſumus, contenti ſu- 2
mus Baiis, quas poſtero die, quam attigeram; reliqui: locum ob hoc devitandum, quum habeat quasdam naturales dotes, quia ſibi illum celebrandum luxuria deſumſit. Quid ergo? ulli loco indicendum eſt odium? minime. ſed quemadmodum aliqua veſtis ſapienti ac probo viro magis convenit quam alia, nec ullum colorem ille odit, ſed aliquem putat parum aptum eſſe frugalitatem profeſſo: ſic regio quoque eſt, 3
quam ſapiens vir, aut ad ſapientiam tendens, declinet, tanquam alienam bonis moribus. Itaque de ſeceſſu cogitans, nunquam Canopum eliget, quamvis

la Corvinus, orator, qui extremis Auguſti annis mortuus eſt. Cf. Hieronymus in Chronic. ad Olymp. 197, 3. et Harduin. in Indice Plin. T. *Valgius* Rufus, poeta nobilis epicus, ad quem Horatii Carm. II, 9 exſtat. Cf. Heyne ad Tibull. IV, 180 ed. nov. Occurrerunt haec fortaſſe in Valgii bucolicis, de quibus videas Wernsdorfii Poet. Lat. Min. T. IV, p. 804 et 586. Ceterum cuique, vel me non monente, conſtabit, nobis de illa lite, cur Aetna *unicus* dictus ſit, nullum iudicium competere; hariolari tamen licet, epitheton illud petitum eſſe ab evomendo igne etc., quo nullus alius neque Siciliae neque Italiae mons iſto tempore inclaruit.

2. *Baiis,*] urbe Campaniae, thermis, quas noſter *naturales dotes* vocat, olim celebri, (cf. Strabo V, 2, 19. 4, 5 ed. Lipſ.) nunc vero ruinis obruta, vide Meyers Darſtellungen aus Italien p. 460.

3. *Canopum*] urbem Aegypti, quae duodecim milliaribus ab Alexandria diſtabat, ad oſtium Nili Canopicum ſitam, ubi nunc Bequier, les Beguières, ſ. Abukir (Savary I, p. 33). Famoſa fuit in antiquitate et propter templum Canopi ſ. Serapidis, et propter luxuriam: unde καναβισμὸς et καναβίζειν in proverbium abierunt. Lipſius laudat Ammian. Marc. XXII, 16. p. 327 Bip. et Strabon. XVII, p. 759 ed. Baſ. 1549. Vide Intpp. ad Sil. Ital.

neminem Canopus esse frugi vetet. Ne Baias quidem: diversorium vitiorum esse coeperunt. Illic sibi plurimum luxuria permittit: illic, tanquam aliqua licentia
4 debeatur loco, magis solvitur. Non tantum corpori, sed etiam moribus salubrem locum eligere debemus. Quemadmodum inter tortores habitare nolim, sic nec inter popinas quidem. Videre ebrios per litora errantes, et comessationes navigantium, et symphoniarum cantibus perstrepentes lacus, et alia, quae velut soluta legibus luxuria non tantum peccat, sed publicat, quid necesse est? Id agere debemus, ut irritamenta
5 vitiorum quam longissime profugiamus. Indurandus est animus, et a blandimentis voluptatum procul abstrahendus. [a] Vna Hannibalem hiberna solverunt: et indomitum illum nivibus atque Alpibus virum enervaverunt fomenta Campaniae. Armis vicit, vitiis victus est. Nobis quoque militandum est: et quidem genere mili-

a. *Vna Hannibalem hiberna* in uno membranaceo invenit Modius (Novant. Lect. Epist. 58.) et in Pal. tert. a secunda manu Gruterus. Probavit et Lipsius. Ceteri codd. et omnes edd. vett. dant: *vina*. *Vim Hannibalis* coniecit Muretus.

XI, 433. Schlichtegroll zu Abbildungen I, p. 38.

4. *Symphoniarum cantus*] de instrumento musico intelligo, quod Isidor. Origg. III, 21. describit ita: lignum cavum ex utraque parte pelle extensa, quam virgulis hinc et inde Musici feriunt; fitque in ea ex concordia gravis et acuti suavissimus cantus. Quo et referam Epist. XII, 8. ut inter plausus exoletorum hoc ad symphoniam caneretur: Βεβίωται etc.

5. *Vna — Campaniae.*] Fuit haec perpetua inter Romanos fama, cuius haud semel meminit Livius, e. c. XXIII, 18. 45., saepius tamen ab artium militarium peritis recte in dubium vocata, *fomentis* i. mollitie et luxuria Campaniae enervatum esse Hannibalem eiusque exercitum unis hibernis. *Nobis quoque militandum est.* Laudat Lipsius Epictet. Arrian. Disc. III, 24, 34. Militia est vita hominis super terram, ubi Vptonus p. 772 Schweigh. nostrum locum et M. Anton. II, 1, 17. adduxit. Addas Platon. de Legg. I, p. 8. 9. Vol. VIII Bip.

militiae, quo nunquam quies, nunquam otium datur. Debellandae sunt in primis voluptates: quae (ut vides) saeva quoque ad se ingenia rapuerunt. Si quis 6
sibi proposuerit, quantum operis aggressus sit, sciet nihil delicate, nihil molliter esse faciendum. Quid mihi cum istis calentibus stagnis? quid cum sudatoriis, in quae siccus vapor corpora exhausturus includitur? Omnis sudor per laborem exeat! Si faceremus quod fecit Hannibal, ut interrupto cursu rerum, omissoque bello, fovendis corporibus operam daremus: nemo 7
non intempestivam desidiam, victori quoque, nedum vincenti periculosam, merito reprehenderet. Minus nobis, quam illis Punica signa sequentibus, licet: plus periculi restat cedentibus, plus operis etiam perseverantibus. Fortuna mecum bella gerit: non sum imperata facturus. iugum non recipio: immo quod maiore virtute faciendum est, excutio: non est emolliendus animus. Si voluptati cessero, cedendum est 8
dolori, cedendum labori, cedendum est paupertati: idem sibi in me iuris esse volet et ambitio, et ira: inter tot affectus distrahar, immo discerpar. Libertas proposita est: ad hoc praemium laboratur. Quae sit libertas, quaeris? nulli rei servire, nulli necessitati, nullis casibus: fortunam in aequum deducere. quo die intellexero illam plus posse, nil poterit. Ego illam feram, quum in manu mors sit? His cogitatio- 9
nibus intentum, loca seria sanctaque eligere oportet.

Esse-

6. *Quid mihi — includitur?*] Sermo est de thermis Baianis. Epist. CVIII, 16. Decoquere corpus atque exinanire sudoribus inutile simul delicatumque credimus.

8. *Libertas proposita est:*] Is enim inter fines fructusque Philosophiae. Et quae libertas ea sit, Epictetus Arr. Diss. quum alibi, tum toto capite I. libri IV. Adde Senecam Ep. LXV fin. *in aequum* (sc. locum) *deducere*, ne supra me stet, imperetque. L.

Effeminat animos amoenitas nimia; nec dubie aliquid ad corrumpendum vigorem poteſt regio. Quamlibet viam iumenta patiuntur, quorum durata in aſpero ungula eſt: in molli paluſtrique paſcuo ſaginata cito ſubteruntur. Et fortior miles ex confragoſo venit: ſegnis eſt urbanus et verna. Nullum laborem recuſant manus, quae ad arma ab aratro transferuntur: in primo deficit pulvere ille unctus et nitidus. Severior loci diſciplina firmat ingenium, aptumque magnis conatibus reddit. Literni honeſtius Scipio, quam Baiis exſulabat: ruina eius non eſt tam molliter collocanda. Illi quoque, ad quos primos fortuna Romani populi publicas opes transtulit, C. Marius, et Cn. Pompeius, et

9. *Effeminat — regio.*] Hanc Senecae obſervationem firmarunt omnes, qui de climatis quod dicimus, ſive de coeli ad animos corporaque vi egerunt inde a Platone et Ariſtotele usque ad Falconetum aliosque. Cf. Le voyage du jeune Anacharſis p. Barthélémy Tom. IV, p. 77. ed. Pariſienſ. *Et fortior miles — venit.* Hoc iam obſervavit Cyrus apud Herodot. IX, 122. qui eandem ob cauſam praepediit, quominus Perſae patria ſterili et confragoſa relicta ſegnes fierent. *Verna* i. molliter educatus. Proprie enim vernae ſunt ſervi ex ſervis nati et ii non duriter habiti. Seneca de Provid. I, 6 not.

10. *pulvere*] i. ſtudio, labore et exercitatione. *Literni*, oppidi Campaniae, nunc Torre di Patria, quo ſeceſſit Scipio Africanus maior, ut invidiam et certamina cum tribunis pl. evitaret. Ibi quoque mortuus eſt. cf. Liv. XXXVIII, 52. 53. Strabo V, 4, 4. p. 187 ſq. ed. Lipſ.

11. *C. Marius*] Meminit Plutarchus in Mario c. 34. ἦν ἐκεῖ (ſc. in Baiano) περὶ Μισήνου τῷ Μαρίῳ πολυτελὴς οἰκία (pretioſa villa) τρυφὰς ἔχουσα καὶ διαίτας ἡλυτέρας, ἢ κατ' ἄνδρα πολέμων τοσούτων καὶ στρατειῶν αὐτουργόν. Plin. H. N. XVIII, 7, 1. noviſſimus villam in Miſenenſi poſuit C. Marius ſeptiesConſul, ſed peritiâ caſtrametandi; ſicut comparatos ei caeteros etiam Sulla Felix caecos fuiſſe diceret. Plutarcho narrante hanc villam non ita longe poſt emit L. Lucullus, unde huius nomine apud Scriptores de Re Ruſt. occurrit: vide Indicem

et Caesar exstruxerunt quidem villas in regione Baiana, sed illas imposuerunt summis iugis montium. Videbatur hoc magis militare, ex edito speculari late longeque subiecta. Adspice quam positionem elegerunt, quibus aedificia excitaverunt locis, et qualia: scias non villas esse, sed castra. Habitaturum tu putas unquam fuisse in [b] Vtica Catonem, ut praeternavigantes adulteras dinumeraret, et adspiceret tot genera cymbarum variis coloribus picta, et fluitantem toto lacu rosam, ut audiret canentium nocturna [c] convitia? nonne manere ille intra vallum maluisset, quod in una nocte manu sua ipse duxisset? Quidni malit, quisquis 12

vir

b. *Vtica*, sc. regione. Omnes edd. et multos codd. occupat haec lectio, quam Lipsius, Modius, Gronovius aliique repudiarunt. Nam de Vticae deliciis, dicunt, neque fama est, neque, ut de iis constaret, hic locus esse possit, ubi de Baiis sermo est. Codd. quoque locum corruptum esse clamant. Dant enim *in Vtica*, alii *in numma*, alii *in villa Cat.*, alii *in unica*, alii *miniaca*, alii *inimica*, alii *in ima*. Hinc Modius Ep. 123. Nov. lectt. coniecit: *in Vatiae* sc. Villa ex Epistola Senecae LV. Lipsius *in Mica*, quia putabat sic loca coenationum minuta sed elegantiae et lautitiae facta appellata Romanis, coll. Martial. II, 59, 1. at illa *Mica* Domitiani demum tempore exstructa est. Gronovius coni. *in Acta* i. amoeno litore: Rubenius *in ima Acte*. Viri docti nondum satis distincte docuerunt, cur *Vtica* hic stare non possit. Honestius, ait, Cato intra vallum manebat, quam in loco deliciis et voluptatibus affluente, ut Scipio Literni, quam Baiis exsulare maluit. Fuit, quum e var. lect. *in numma* et Strabone V, 4, 4 ed. Lips. emendarem: *in Cumano*. Sed impetum repressi. Nam situs Vticae non impedit, quominus vera sint, quae noster, cui uberior quam nobis notitia de hac urbe esse potuit, hic attulit.

c. *convitia*. Sic dant codd. Gruteri et Modii cum Amploniano Erf. Erasmus tamen et editio vetus: *convivia*, quam lectionem non prorsus abiiciam, memor Quintil. I, 2. Omne convivium obscoenis canticis strepit. Paulo post dedi *quod in una*

dicem ad eos, ubi p. 240 col. 2. Schneiderus hunc Plutarchi locum adscripsit. Quaedam notavit Wernsdorf. P. L. M. Vol. V, 3. p. 1380. *et Caesar*, de cuius villa Baiana Tacit. XIV, Ann. 9. laudat Lipsius: Viam Miseni propter et villam Caesaris Dictatoris quae subiectos simul editissima prospectat.

12. *Lacu*] sc. Lucrino. *manu sua*. Non solus quidem, sed impe-

vir est, somnum suum classico, quam symphonia rum-
13pi? Sed satis diu cum Baiis litigavimus, nunquam sa-
tis cum vitiis: quae, oro te, mi Lucili, persequere
sine modo, sine fine; nam illis quoque nec finis est,
nec modus. Proiice quaecunque cor tuum laniant:
quae si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis re-
vellendum erat. Voluptates praecipue exturba, et invi-
sissimas habe, latronum more, quos [d] Philetas Aegy-
ptii vocant: in hoc nos amplectuntur, ut strangulent.

EPISTOLA LII.

Inconstantiam et vacillationem hominum in rebus bonis rectisque querens et adiutorio opus esse statuens, Epicurum recordatur, qui tres hominum ad veritatem contendentium classes constituit, quarum prima ad eos pertinet, qui nullo auxilio indigent, altera eos complectitur, qui indigent duce, tertia continentur ii quibus non solum duce sed adiutore et coactore opus est. Ex quibus ultimi maiore laude digni sunt. Hisce noster se applicat. Iam quum de duce, quem eligendum suadeat ut formeris sermo sit, inprimis eligantur monet, qui factis suis verba confirmant, vitentur qui rhetoras agunt philosophi, ideoque verbosi et ambitiosi sunt atque plausum captant; in quos hac occasione satis acerbe invehitur. Comparari meretur Luciani libellus egregius adversus Pollucem Tom. VII, p. 220 sq. Bip.

Quid est hoc, Lucili, quod nos alio tendentes alio trahit, et eo unde recedere cupimus, impellit? quid colluctatur cum animo nostro, nec permittit nobis quid-

nocte manu sua ipse duxisset; Pincianus et Modius in codd. invenerunt: sic habetur quoque in cod. Ampl. Erf. Antea: *q. i. unam noctem m. s. duxisset.*

d. *Philetas Aegyptii.* Editio Erasmi et vetus *Philistas*, alii *Prestilistas*: perperam. Muretus *Philetas* recte defendit. Quasi tu dicas, ait male derivans vocem, basiatores. Cf. not.

imperatores et ipsi olim manum operi admovebant, quod hic adsignificat. L.

13. *Philetas.*] Est voc. graecum, φιλήτης, latro, fur, quod noster derivat a φιλέω, amo, osculor; sed rectius deducitur a φηλέω, fallo. Cf. Schneideri Lexicon Graecum in Φήλης.

quidquam ſemel velle? Fluctuamus inter varia conſilia: nihil libere volumus, nihil abſolute, nihil ſemper. Stultitia, inquis, eſt, cui nihil conſtat, nihil diu placet. Sed quomodo, aut quando nos ab illa revellemus? Nemo per ſe ſatis valet, ut emergat: oportet manum aliquis porrigat, aliquis educat. [a]Quosdam, ait Epicurus, ad veritatem ſine ullius ad- 2
iutorio, ex his ſe, feciſſe ſibi ipſos viam: hos maxime laudat, quibus ex ſe impetus fuit, qui ſe ipſi protulerunt. quosdam indigere ope aliena, non ituros ſi nemo praeceſſerit, ſed bene ſecuturos: ex his Metrodorum ait eſſe. Egregium hoc quoque, ſed ſecundae ſortis ingenium. Nos ex illa prima nota non 3
ſumus: bene nobiscum agitur, ſi in hanc ſecundam reci-

a. *Quosdam, ait Epicurus, ad veritatem ſine ullius adiutorio, ex his ſe, feciſſe ſibi ipſos viam.* Sic reſtituit Gronovius, quum Pincianus dederat: *adiutorio contendere, ex iis ſe feciſſe ſibi ipſum v.* At verbum *contendere* non eſt, niſi in unico Pinciani et Pal. valde corrupto: dein omnes *ſibi ipſos.* Solus iſte Pinciani *ſibi ipſis.* Eraſmi, quatuor Pall. Heinſ. et Gronov. codd. cum vett. edd. concorditer: *adiutorio exiſſe feciſſe ſibi ipſos.* Vnde, pergit Gronov., praeſto ſincerum: *Q. a. E. a. v. ſ. u. adiutorio, ex his ſe, feciſſe ſibi ipſos v.* Vides integrum ſenſum commodiſſima brevitate. Quosdam, ait, et ſe ex illis, hoc feciſſe. Vt coniecera-mus, plane in ms. quodam codice exhibitum teſtis mihi Rubenius. Accedit editio vetus. Sed cod. Amplon. Erf. exhibet lectionem antea vulgatam: *Quosdam, ait Epicurus, ad veritatem ſine ullius adiutorio contendere: ex iis ſe feciſſe ſibi ipſum viam.*

1. *Stultitia,*] Stoico ſenſu, ille animi ſtatus, qui nondum philoſophiae luce colluſtratus eſt. Cf. Lipſii Manuduct. in phil. Stoic. II, 1. Ceterum ſpectat huc illud celeberrimum Araſpis ap. Xenophont. Cyropaed. VI, 1, 41 ed. Zeun. de duabus animis.

2. *Epicurus,*] Cicero de N. D. I, 26. Gloriabatur, ait, ut videmus in ſcriptis, ſe magiſtrum habuiſſe nullum. Bene iudicat Bruckerus Hiſt. crit. Phil. Vol. I, p. 1231 ſq. de hac re ita: Opponitur Epicurus αὐτοδιδάκτῳ philoſopho ſectario, idque voluit Gargettius philoſophus, nulli ſectae ſe philoſophiam ſuam debere, ſed ſuomet ingenio et meditatione collectas ingenii opes in proprium doctrinae ſuae aedificium contuliſſe. De *Metrodoro* Epicuri diſcipulo ſupra quaedam notavimus ad Epiſt. VI, 6.

recipimur. Nec hunc quidem contemſeris hominem, qui alieno beneficio eſſe ſalvus poteſt: et hoc multum eſt, velle ſervari. Praeter haec adhuc invenies aliud genus hominum, ne ipſum quidem faſtidiendum, eorum, qui cogi ad rectum compellique poſſunt: quibus non duce tantum opus ſit, ſed adiutore, et, ut
4 ita dicam, coactore. Hic tertius color eſt. Si quaeris huius exemplar, Hermachum ait Epicurus talem fuiſſe. Itaque alteri magis gratulatur, alterum magis ſuſpicit. Quamvis enim ad eundem finem uterque pervenerit: tamen maior eſt laus, idem effeciſſe in difficiliore materia. Puta enim duo aedificia excitata eſ-
5 ſe, ambo paria, aeque excelſa, aeque magnifica: alterum [b] puram aream accepit, illic protinus opus crevit: alterum fundamenta laxa habet, in mollem ac fluidam demiſſa humum; multumque laboris exhauſtum eſt, dum pervenitur ad ſolidum. Apparet in altero, quidquid factum eſt: alterius magna pars et difficilior latet. Quaedam ingenia facilia et expedita: quaedam manu, quod aiunt, facienda ſunt, et in fun-
6 damentis ſuis occupanda. Itaque ego illum feliciorem dixerim, qui nihil negotii ſecum habuit: hunc quidem

de

b. *puram aream.* Omnium eſt codd. et impreſſorum lectio. Pincianus tamen coniecit: *dura area*, Mureto receptum. Mox *alterum fundamenta laxa habet.* Sic tres Palatini. Praefero vulgatae: *alterius fundamenta laſſarunt*, monitro lectionis. Muretus Rudolphi Agricolae coniecturam *lapſabunda* recepit. Aberrationum loco habeo variet. codd. nonnullorum: *laxabant*, *laſſabant*, *laxabunda*, *ſapabunda.*

4. De *Hermacho* (ſic enim ſcribere malui codices plerosque obſequutus, quam *Hermarchum* e mandato lapidarii) vid. ad Epiſt. VI, 6. *a. alteri*, Metrodoro, *alterum*, Hermachum.

5. *pura area*] *i.* libera ab aqua et luto, ideoque ſicca et ſolida. Sic terra, campus, locus purus haud raro occurrunt: dici autem de qualibet re, nullo vitio contaminata notum eſt. *manu — facienda* i. labore et opere: vid. Conſol. ad Marc. c. XIX, 2, de Ira II, 8, 6.

de se melius meruisse, qui malignitatem naturae suae vicit, et ad sapientiam se non perduxit, sed extraxit. Hoc durum et laboriosum [c] ingenium nobis datum scias licet: imus per obstantia. Itaque pugnemus, aliorum invocemus auxilium. Quem, inquis, invocabo? 7
hunc, aut illum? Tu vero etiam ad priores revertere, qui vacant. adiuvare nos possunt, non tantum qui sunt, sed et qui fuerunt. Ex iis autem qui sunt, eligamus non eos, qui verba magna celeritate praecipitant, et communes locos volvunt, et in privato circulantur: sed eos qui [d] vitam docent, qui quum dixerint quid faciendum sit, probant faciendo: qui docent quid vitandum sit, nec unquam in eo, quod fugiendum dixerint, deprehenduntur. Eum elige ad- 8
iutorem, quem magis admireris quum videris, quam quum audieris. Nec ideo te prohibuerim hos quoque audire, quibus consuetudo est admittere populum, ac disserere: si modo hoc proposito in turbam prodeunt, ut meliores fiant, faciantque meliores: si non ambitionis hoc causa exercent. Quid enim turpius philo- 9
sophia

c. *ingenium* ex quinque Grut. codd. Amplonianoque et Erasm. ed. margine est. *Laboriosum negotium* Erasmi editio et vetus agnoscunt, at Muretus excusit, *laboriosum* dans *nobis d.* Sequentia: *datum scias licet: imus per obstantia* Modii divinationi adscribit Grut., qui et in quinque suis codd. invenit; est quoque in cod. Amplon. Erf. Erasmus et editio vetus habent: *datum scias scilicet imus* etc.

d. *vitam* Erasmus, quinque codd. Grut. Amplon. et editio vetus. Antea: *vita.*

7. *in privato circulantur:*] coronam auditorum circa se congregant, recitandi causa: de his §. 8. sermo est. Reprehendit autem sophistarum recitationes hoc aevo valde sollemnes, ἐπιδείξεις et ἀκροάσεις ἐπιδεικτικὰς appellatas: fiebant plerumque in domibus ditiorum ad hunc usum commodatis. Cf. Vpton. ad Epictet. Diss. Arrian. III, 23, 23 ed. Schweigh.

ſophia captante clamores? Numquid aeger laudat medicum ſecantem? Tacete, favete, et praebete vos curationi! Etiamſi exclamaveritis, non aliter audiam, quam ſi ad tactum vitiorum veſtrorum ingemiſcatis. Teſtari vultis attendere vos, moverique rerum magnitudine? ſane liceat. ut quidem iudicetis, et feratis 10 de meliore ſuffragium, quidni non permittam? Apud Pythagoram diſcipulis quinque annis tacendum erat. numquid ergo exiſtimas, ſtatim illis et loqui et laudare licuiſſe? Quanta autem dementia eius eſt, quem clamores imperitorum hilarem ex auditorio dimittunt? Quid laetaris, quod hominibus iis laudaris, quos non potes ipſe laudare? Diſſerebat populo Fabianus: ſed 11 audiebatur modeſte. Erumpebat interdum magnus clamor laudantium: ſed quem magnitudo rerum evocaverat, non ſonus inoffenſae ac molliter lapſae orationis. Interſit aliquid inter clamorem theatri, et ſcholae! eſt aliqua et laudandi licentia. Omnia rerum omnium, ſi obſerventur, indicia ſunt: et argumen- 12 tum morum ex minimis quoque licet capere. Impudicum et inceſſus oſtendit, et manus mota, et unum interdum reſponſum, et relatus ad caput digitus, et flexus oculorum. Improbum riſus, inſanum vultus habi-

9. *Numquid aeger — ſecantem?*] Laudat Lipſius Epictet. Diſſ. Arr. III, 23, 29. et Aul. Gell. V, 1.

10. *Apud Pythagoram — erat.*] Res nota. Cf. tamen Meiners Geſchichte der Wiſſ. Vol. I, p. 454 ſq. qui egregie de hac re disputavit, er Senecam aliosque perperam iſtam de Pythagoreorum taciturnitote traditionem interpretatos eſſe docuit. *Fabianus.* Vide Conſol. ad Marc. XXIII, 3 not.

11. *Eſt aliqua et laudandi licentia.*] Vt in vituperando ita et in laudando nimius eſſe potes, et in utrumque quum in vituperandum, tum in laudandum tibi ius comparari debet.

12. *manus mota*] in obſcoenam figuram, aut nimis alioqui molliter. L. *relatus ad caput digitus:* delicatulorum erat ne cincinnos eleganter compoſitos turbarent. Ridet idem vitium Lucian. Rhetor. praecept. c. 11, p. 231. Vol. VII.

habitusque demonſtrat. Illa enim in apertum per notas exeunt. Qualis quisque ſit, ſcies, ſi quemadmodum laudetur, adſpexeris. Hinc atque illinc philoſopho manus auditor intentat, et ſuper ipſum caput mirantium turba conſiſtit. non laudatur ille nunc, ſi 13
intelligas, ſed conclamatur. Relinquantur iſtae voces illis artibus, quae propoſitum habent placere populo: philoſophia adoretur. Permittendum erit aliquando iuvenibus, ſequi impetum animi: [e]tunc autem quum hoc ex impetu facient, quum ſilentium ſibi imperare non poterunt. Talis laudatio aliquid exhortationis affert ipſis audientibus, et animos adoleſcentium exſtimulat. Ad rem commoveantur, non ad verba com- 14
poſita. alioqui nocet illis eloquentia, ſi non rerum cupiditatem facit, ſed ſui. Differam hoc in praeſenti. deſiderat enim propriam et longam exſecutionem, quemadmodum populo diſerendum, quid ſibi apud populum permittendum ſit, quid populo apud ſe. Damnum quidem feciſſe philoſophiam, non erit dubium, poſtquam proſtituta eſt: ſed poteſt in penetralibus ſuis oſtendi, ſi modo non inſtitorem, ſed antiſtitem nacta eſt.

e. *tunc autem, quum hoc ex impetu facient, quum ſilentium ſibi* etc. Sic editio vetus et quinque Gruteri cum Modio Ep. 58. Novant. lectt. Antea: *Tunc autem hoc ex* etc.

VII. Bip. qui praeſertim comparari meretur. Iuvenalis Sat. IX, 133. ubi vid. Grangaeus. *Hinc atque illinc — conſiſtit.* Manus admirans tollit turba auditorum et plaudit, ſurgitque ut ſui impos et manus ſuper eum ſedentem effert.

13. *conclamatur*] i. laus et virtus eius laudationibus iſtis quaſi ſepeliuntur. De mortuis ultima ſalutatione impertiendis ideoque translate de quacunque re deſperata in uſu fuiſſe notum eſt vel ex Ovid. Triſt. III, 3, 43. Metam. X, 62 etc.

14. *proſtituta eſt:*] In publicum ſic producta, quum omnibus locis, viis, foris philoſophi diſerunt, non ut philoſophos decet, ſed ſophiſtico modo, quem haud ſemel noſter perſtrinxit, e. c. Ep. XL. *penetralibus*, ſcholis, velut in eius

EPISTOLA LIII.

Navigationem deſcribens a Neapoli ad Puteolos parum fauſtam, et citam recreationem, cogitatione movetur, quam facilis malorum cuiuscunque generis noſtrorum ſit oblivio, quorum ſaepe adeo nomen quaerimus, nisi in morbis animi, in quibus quo quis peius ſe habet, eo minus ſentit malum, quum contra ſanitatis indicium eſt, vitia ſua confiteri. Eo autem ducere ſola poteſt philoſophia: cui ſe det hortatur: pares enim nos Deo facit illa, quinimmo eo quod eius aſſectator ſuo ipſius beneficio nihil timet, antecedit Deum. Ceterum has et ſequentes ſcribens epiſtolas in villa Baiis vicina commoratus eſſe videtur.

Quid non poteſt mihi perſuaderi, cui perſuaſum eſt ut navigarem? Solvi mari languido. erat ſine dubio coelum grave ſordidis nubibus, quae fere aut in aquam, aut in ventum reſolvuntur: ſed putavi tam pauca millia a Parthenope tua usque Puteolos ſurripi poſſe, quamvis dubio et impendente coelo. Itaque quo celerius evaderem, protinus per altum ad Neſida direxi, praeciſurus omnes ſinus. Quum iam eo proceſſiſſem, ut mea nihil intereſſet, utrum irem, an redirem: primum

eius templis. *inſtitorem*, qui eam oſtentationi ſuae ſervire facit, et ideo venalem habet. Sic *eloquentiae inſtitor* Quintil. VIII, 3, 12. XI, 1, 50. is eſt orator, qui oſtentandi cauſa eloquentiam tractat. Egregie autem hic illi Sophiſtae vocantur *inſtitores* ad vilitatem deſignandam, quippe qui philoſophiam tractant ut rem ipſis alienam, et propterea tantummodo gratam, quod lucrum quodcunque ex ea tractanda trahere poſſint. Nam inſtitores Romae fuerunt mercatores, qui merces vel ipſis commiſſas vel aliunde comparatas vaenui haberent. Cf. Graevium ad Sueton. Neron. c. 27. et Boettiger ad Horat. III, VI, 30. Senec. de Benef. VI, 17 et 38.

1. *Parthenope tua*] i. tibi cara, ut Ep. XLIX, 1. Pompeiorum tuorum. Lipſius ait, neſcio quo iure: dicas ergo, illinc oriundum Lucilium. *Puteolos* ſatis celebre emporium in vicinia Baiarum. Strabo V, 4, 7. p. 194 ed. Lipſ. *Neſida* inſulam Campaniae obiectam inter Pauſilipum et Puteolos. Luculli filius ibi villam habuit. Cic. ad Att. XVI, 1. *praeciſurus ſinus*, vitaturus recta navigatione per altum.

mum aequalitas illa, quae me corruperat, periit. nondum erat tempeſtas, ſed iam inclinatio maris, ac ſubinde crebrior fluctus. Coepi gubernatorem rogare, ut me in aliquo litore exponeret. Aiebat ille, aſpera eſſe et importuoſa, nec quidquam ſe aeque in tempeſtate timere, quam terram. Peius autem [a]vexabar, quam ut pe- 3
riculum mihi ſuccurreret. Nauſea enim me, ſegnis haec, et ſine exitu, torquebat, quae bilem movet, nec effundit. Inſtiti itaque gubernatori, et illum vellet nollet coëgi ut peteret litus. Cuius ut viciniam attigimus, non exſpecto ut quidquam ex praeceptis Virgilii fiat,

Obvertant pelago proras, ——

aut,

Ancora de prora iaciatur:

ſed memor artificii mei [b]veteris, frigidae cultor, mitto me in mare, quomodo pſychrolutam decet, gauſapatus. Quae putas me paſſum, dum per aſpera eri- 4
pior, dum viam quaero, dum facio? Intellexi, non

P 3 imme-

a. *vexabar.* Sic ed. vetus, codd. Grut., ora ed. Eraſm. qui in textu habet: *ferebar.*

b. *veteris frigidae cultor.* Sic Eraſm., vetus editio et codd. Grut. Muretus verba *frigidae cultor* omiſit et bene abeſſe poſſunt. gloſſam enim vocis *pſychrolutam* ſapiunt. Mox ſcripti, Eraſmus et editio vetus habent *eripior*, non *erepo* ſ. *me erepo* ap. Muretum.

2. *aequalitas*] maris, quod *languidum* i. tranquille fluens antea dixerat. *importuoſa*, propter promontoria Miſenum et Athenaeum. Scopuloſum autem hoc litus appellat et ipſe Strabo V, 4, 4. p. 189.

3. *Virgilii*] e. c. Aen. VI, 3, ut ſequens *ancora de prora iaciatur* ibid. VI, 902. *pſychrolutam*, ψυχρολούτην. cf. Epiſt. LXXXIII, 5. *gauſapatus*, veſte lanea eaque craſſiori, quo et nautae utebantur, leviter obvolutus, et circa verendas maxime partes. Cf. Petron. c. 28. Similis uſus erat ſegeſtris aut lodiculae ap. Sueton. Octav. 83.

4. *Quae putas — faceret.*] Comparat ſe cum Vlyſſe, quem naufragia facientem multa tuliſſe Homerus in Odyſſea cecinit. *Per aſpera* i. ſcopulos *eripitur* a fluctibus, unde fiebat ut ſe ipſe ferre non poſſet, acceden-

immerito nautis terram timeri. Incredibilia ſunt, quae tulerim, quum me ferre non poſſem. Illud ſcito, Vlyſſem non fuiſſe tam irato mari natum, ut ubique
5 naufragia faceret: nauſeator erat. [c] et ego quocunque navigare debuero, viceſimo anno perveniam. Vt primum ſtomachum, quem ſcis cum mari nauſeam effugere, collegi, ut corpus unctione recreavi, occepi mecum cogitare, quanta nos vitiorum noſtrorum ſequeretur oblivio, etiam corporalium, quae ſubinde admonent ſui, nedum illorum quae eo magis latent,
6 quo maiora ſunt. Levis aliquem motiuncula decipit: ſed quum creverit, et vera febris exarſerit, etiam duro et perpeſſitio, confeſſionem accepit. Pedes dolent, articuli punctiunculas ſentiunt: adhuc diſſimulamus, et aut talum extorſiſſe nos dicimus, aut in
7 exercitatione aliqua laboraſſe. Dubio et incipiente morbo, quaeritur nomen: [d] qui ubi et talaria coepit inten-

c. *et ego.* Sic Eraſm., editio vet., et multi codd. Antea: *at.* Paulo poſt: *quem ſcis* omnium edd. et codd. optimorum lectio eſt, ſed vocem *non* quae ubique fere comparet, delevi auctoritate editionis Venetae, Grutero ſuadente. Muretus τὸ· *quem* non habet. Mox §. 6. *accepit* bona lectio eſt. Aberrant codd. *excipit.* Muretus coni. *extorquet.* Agricola *exprimit.* Sed non opus eſt.

d. *qui ubi et talaria* nonnull. codd. ap. Grut. lectio. Muretus *q. ubi ad t. coepit tendere, neceſſe eſt p. f.* omiſſis verbis: *et utrosque*

cedente nauſea qua vexabatur. Hinc iocoſe Vlyſſem nauſeatorem vocat.

5. *Et ego*] qui et ipſe nauſeator ſum idem et eodem tempore perficiam. Viginti autem annos conſumſiſſe Vlyſſem in itinere conſtat: quamquam proprie nonniſi decem anni poſt Ilii excidium praeterlapſi ſunt.

6. *perpeſſitio*] παθητῷ, πολυτλήμονι. Epiſt. CIV, 25. Si tamen exemplum deſideratis, accipite Socratem perpeſſitium ſenem, per omnia aſpera iactatum. L. *confeſſionem accepit* ſc. motiuncula illa victrix.

7. *qui*] ſc. morbus *ubi et — fateri.* Senſus eſt: At ſimul iſte morbus *talaria* i. partes circa talos tumoribus auxerit, non amplius tempus eſt, malum et dolores diſſimulandi.

dex-

intendere, et utrosque pedes dextros fecit, neceſſe eſt podagram fateri. Contra evenit in iis morbis, quibus afficiuntur animi: quo quis peius ſe habet, minus ſentit. Non eſt quod mireris, Lucili cariſſime. Nam qui leviter dormit, et ſpecies ſecundum quietem capit, aliquando dormire ſe dormiens cogitat: gravis 8
ſomnus etiam ſomnia exſtinguit, animumque altius mergit, quam ut uti ullo intellectu ſinat. Quare vitia ſua nemo confitetur? quia etiamnunc in illis eſt. Somnium narrare, vigilantis eſt: et vitia ſua confiteri, ſanitatis indicium eſt. Expergiſcamur ergo, ut errores noſtros coarguere poſſimus. Sola autem nos philoſophia excitabit, ſola ſomnum excutiet gravem. Illi te totum dedica: dignus illa es; illa te digna eſt. 9
ite in complexum alter alterius: omnibus aliis rebus te nega, fortiter, aperte. Non eſt quod precario philoſopheris. Si aeger eſſes, curam intermiſiſſes rei familiaris, et forenſia tibi negotia excidiſſent: nec quenquam tanti putares, cui advocatus in [e] remiſſione

P 4 deſcen-

pedes dextros fecit. Vulgati: *qui ut talaria ceperit intendere et utrosque dextros pedes ferierit.* Lipſius emend. *n. p. distorſerit.* Vavaſſor Obſſ. p. 36. emend. *aegros p.* Reitz ad Lucian. Tom. X, p. 92 Bip. *deteriores p.*

e. *remiſſione.* Sic omnes libri ſcripti et edit. vet. Remiſſio enim proprium verbum medicorum. Noſter de Ira III, 39, 1. remedia, ait, in remiſſionibus proſunt. Quae ſi incidant, domi manendum eſt et praebendum ſe curationi. Haec fere Gron. „Quid? ait Lipſius, in remiſſione morbi? imo tunc poſſit. Legam:

dextros fecit i. ita diſtorſit, ut ambo dextrorſum convertantur, διέστρεψε τῷ πόδε. Cf. Luciani Ocypus Vol. X, p. 23 ſq. Bip. ubi eadem elegantiſſime tractata ſunt.

8. *quia etiamnunc in illis eſt*] quia iſtis vitiis ita conſtrictus tenetur, ut conditionem ſuam intelligere, ſ. intellectu ſuo uti non poſſit, ſomno graviore oppreſſus, ſive altius immerſus.

9. Vt philoſophiam amplectaris opus eſt, ut omnibus aliis negotiis abstineas: aliquid enim in eam inſumendum eſt. *excidiſſent* de animo et memoria.

descenderes: toto animo id ageres, ut quam primum
10 omorbo liberarereris. Quid ergo? non et nunc idem facies? Omnia impedimenta dimitte, et vaca bonae menti: nemo ad illam pervenit occupatus. Exercet philosophia regnum suum: dat tempus, non accipit. Non est res subseciva: ordinaria est, domina est: adest, et iubet. Alexander cuidam civitati partem agrorum, et dimidium rerum omnium, promittenti: eo, inquit, proposito veni in Asiam, non ut id acciperem quod dedissetis; sed ut id haberetis, quod reliquissem.
11 f Item philosophia rebus omnibus: Non sum id tempus acceptura, quod vobis superfuerit: sed id habebitis, quod ipsa erogavero. Totam huc converte mentem, huic asside, hanc cole: ingens intervallum inter te et ceteros fiat. Omnes mortales multo antecedes, non multo te dii antecedent. Quid inter te et illos interfuturum sit quaeris? diutius erunt. At mehercule magni

advocatus in rem ipse d. Advocati vel absentes scripto aderant, vel in ipsa re praesentes. Hoc, inquit, istud aeger non feceris. Sed a codd. et Gronovii parte standum est.

f. *Item* ex Gron. coniectura. Omnes enim fere codd. et edd. habent *idem*, aut *id est*: unde iam Rud. Agricola fecit: *Itidem*. Notus usus particulae, pro *similiter*. Mox *erogavero* Agricolae codex et quatuor Grut. At Erasmus: *quod ipsa redegero, erogavero*. Quidam scripti: *quod ipsa re egero id est erogavero*. Non displiceat: *quod ipsa reiecero*, reliquis deletis. L.

10. *Non est res subseciva,*] non in curis secundis habenda: est res *ordinaria* prima et sollenniter facienda. Sicut *ordinarius Consul* opponitur ac praeponitur secundo illi et suffecto. L. *Alexander — reliquissem.* Apud Curtium IV, 5. Darius hoc responsum tulit ab Alexandro.

11. *Quid inter te — erunt.*] Bonus enim, noster ait de Provid. c. 1, 5. tempore tantum a Deo differt. Nam aiebant Stoici, Θείους εἶναι τοὺς σοφούς, ἔχειν γὰρ ἐν ἑαυτοῖς οἱονεὶ θεόν. Diog. Laert. VII, 119. Spectant autem haec et similia plura, quae de sapiente Stoico saepius occurrunt, et apud nostrum, ad divinam animorum originem: ut proinde crimine vaniloquentiae, quod Lipsius in Stoicos ingessit, libera-

magni artificis eſt, clauſiſſe totum in exiguo. Tantum ſapienti ſua, quantum Deo omnis aetas patet. Eſt aliquid, quo ſapiens antecedat Deum: ille naturae beneficio [g]non timet, ſuo ſapiens. Ecce res magna, habere imbecillitatem hominis, ſecuritatem Dei. Incredibilis vis philoſophiae eſt, ad omnem fortuitam vim retundendam. Nullum telum in corpore eius ſedet: munita eſt ſolidaque. quaedam defatigat, et velut levia tela laxo ſinu eludit, quaedam discutit, et in eum usque qui miſerat reſpuit. 12

EPISTOLA LIV.

Suſpirio ſe laboraſſe ſcribit amico et maximum vitae periculum ſubiiſſe: ſed in iſta ſuffocatione ſe de morte laete et fortiter cogitaſſe. Non timendam, ait, mortem, quia idem poſt eam erimus, quod antea eramus. Se eſſe praeparatum. — Inter ſe Stoicos non conveniſſe de immortalitate animi conſtat, ideoque nec noſter nec M. Antonin. ſibi ſemper conſtiterunt. Cf. Lipſius in Manuduct. in Phyſiolog. Stoic. III, 11. Tiedemann Syſtem der ſtoiſchen Phil. II, p. 152 ſq. et Dan. Wyttenbach in Bibl. crit. Amſt. Vol. III, P. I. disputatio de quaeſtione, quae fuerit vet. philoſ. inde a Thalete usque ad Senecam ſententia de vita animorum etc. ubi, locis veterum diligenter conſignatis, egregie de hac re disputatum eſt.

Longum mihi [a]commeatum dederat mala valetudo: repente me invaſit. Quo genere? inquis. prorſus merito

P 5

g. *non timet ſuo ſapiens.* Recte Gronov. poſt Gruterum reſtituit ex vetuſtis edd. et ſeptem codd. Muretus dederat: *Naturae beneficio non ſuo ſapiens eſt. Suo* beneficio non timet ſapiens, deus naturae beneficio. Sapiens omnes timendi cauſas meditatione et ſtudio procul habet.

a. *commeatum* i. venium. Lipſii eſt coniectura Epiſt. quaeſt. V, 5 et nota ad h. l. confirmata a cod. Colon. Ante eum omnes

berari poſſe videantur. Is loca Stoicorum de hac re collegit in Manuduct. III, 14. Adde Gataker. ad M. Anton. p. 67. 68. 211. Homo eſt itaque ἀπόμοιρα, ſ. ἀπόῤῥοια, ſ. ἀπόσπασμα τοῦ Διός.

12. *ſinu eludit*] De levibus telis proverbiale fuit, *Veſte repelli.* Catullus: Quare nos tela iſta tua evitamus amictu, At fixus noſtris tu dabis ſupplicium. L.

ritò interrogas: adeo nullum mihi ignotum eſt. Vni tamen morbo quaſi aſſignatus ſum: quem quare Graeco nomine appellem, neſcio. ſatis enim apte dici ſuſpirium poteſt. Brevis autem valde, et porcellae ſimilis, impetus eſt: intra horam fere deſinit. Quis enim diu exſpirat? Omnia corporis aut incommoda, aut pericula, per me transierunt: nullum mihi vide-
2 tur moleſtius. Quidni, aliud enim quidquid eſt, aegrotare eſt: hoc eſt, animam agere. Itaque medici hanc meditationem mortis vocant. Facit enim ſpiritus ille aliquando, quod ſaepe conatus eſt. Hilarem me putas haec tibi ſcribere, quia effugi? ſi hoc fine, quaſi bona valetudine, delector, tam ridicule facio, quam ille, quisquis ſe viciſſe putat, quum vadimonium diſtulit. Ego vero et in ipſa ſuffocatione non deſii
3 cogitationibus laetis ac fortibus acquieſcere. Quid hoc eſt? inquam. tam ſaepe mors experitur me? faciat. at ego illam diu expertus ſum. Quando, inquis? antequam

edd. cum mss. *comitatum.* Mox §. 2. *Facit enim ſpiritus ille aliquando.* Sic quinque Grut. et vetus ed. Antea: *Facit aliquando ſp. i.*

1. *Graeco nomine*] Vtrum ἄσθμα, an ὀρθόπνοιαν vult dictum? Nam plus aliquid quam Aſthma ſ. ſpirandi difficultas in hoc impetu eſt, et minus quam Orthopnoea in brevitate. Cf. Mercurialis Var. Lect. VI, 16. L. Eſt aſthma ſpaſticum, quod nos dicimus, et quidem humidum, cuius brevis eſt et procellae ſimilis impetus. *Omnia — transierunt.* Fuiſſe enim noſtrum infirma valetudine plus ſemel in his epiſtolis obſervamus, et Dio Caſſ. LIX, 19 tradidit, hac ipſa eum ſub Caligula a morte eſſe liberatum. De exilio eius, quod hic quoque cogitaſſe videtur, teſtatur conſolatio ad Helviam.

2. *meditationem mortis*] i. exercitationem, μελέτημα; Commentatio mortis apud Cic. Tuſc. I, 30. Quam vocis vim ad h. l. et ad Taciti Annal. III, 31. p. 258 ed. Erneſt. ſuo more i. e. erudite adſtruxit I. F. Gronovius, nunc ſatis notam. *quum vadimonium diſtulit* i. ipſam diem, qua praeſentia coram iudice poſtulata et promiſſa erat. Cf. Erneſti Clav. Cic. h. v.

tequam naſcerer. Mors eſt, non eſſe id quod ante fuit. ſed quale ſit, iam ſcio: hoc erit poſt me, quod ante me fuit. Si quid in hac re tormenti eſt, neceſſe eſt, et fuiſſe antequam prodiremus in lucem: atqui nullam ſenſimus tunc vexationem. Rogo, non ſtultiſſimum dicas, ſi quis exiſtimet lucernae peius eſſe quum exſtincta eſt, quam antequam accenderetur? nos 4
quoque et accendimur, et exſtinguimur: medio illo tempore aliquid patimur. Vtrimque vero alta ſecuritas eſt. In hoc enim, mi Lucili, niſi fallor, erramus, quod mortem iudicamus ſequi: quum illa et praeceſſerit, et ſecutura ſit. Quidquid ante nos fuit, mors eſt. Quid enim refert, utrum non incipias, an deſinas? utriusque rei hic eſt effectus, non eſſe. His 5
et huiusmodi exhortationibus [b] tacitis ſcilicet (nam verbis locus non erat) alloqui me non deſii: deinde paullatim ſuſpirium illud, quod eſſe iam anhelitus coeperat, intervalla maiora fecit, et retardatum eſt, ac remanſit. Nec adhuc, quamvis deſierit, ex natura fluit ſpiritus. ſentio haeſitationem quandam eius, et moram. Quomodo volet, dum modo non ex animo 6
ſuſpirem. [c] hoc tibi de me recipe: non trepidabo ad extrema: iam praeparatus ſum: nihil cogito de die toto. illum lauda et imitare, quem non piget mori, quum iuvat vivere. Quae enim virtus eſt, quum eiiciaris, exire? tamen eſt et hic virtus. Eiicior quidem,

b. *tacitis ſcilicet (nam* etc. Sic Pinc. et Grut. in ſuis codd. invenerant, eſtque in ed. vet. At Eraſm. aliique *tacitis (nam* etc. Mox *remanſit* i. paene deſiit. Gronov. coni. *emanſit.*

c. *hoc tibi de me recipe* i. promitte. Gloſſa eſt quod alii codd. habent: *de me ſuscipe.* Mox *nihil cogito de die toto.* Omiſit vocem *toto* Muretus, quae eſt in editis inde ab Eraſmo, in ed. vet. et in omnibus fere mss.; alii enim habent: *die tuto.*

6. *Quomodo volet — ſuſpirem.*] Acquieſco huic ſuſpirio retardato, dummodo non omni vi et impetu cum vitae periculo id patiar. *quum iuvat vivere,* in iuventute aut bona aetate: at ego iam ſenex ſum. L.

dem, ſed tanquam exeam. Et ideo nunquam eiicitur ſapiens: quia eiici eſt, inde expelli, unde invitus recedas. Nihil invitus facit ſapiens. neceſſitatem effugit: quia vult quod ipſa coactura eſt.

EPISTOLA LV.

In geſtatione, quam in lectica aut eſſedo fieri moris erat, in vicinia Cumarum, ubi Seneca villam poſſedit, conſpexit Servilii Vatiae villam, quae occaſionem noſtro praebet de bono maloque otio diſſerendi. Otio ait ſapientem tantummodo frui poſſe. Etſi villa et commodiſſima et amoeniſſima eſt, tamen tranquillitatem non affert, niſi animus omnia commendaverit. Sic transit ad Lucilium, qui queſtus eſſe videtur, ſe ab amicis ſeparatum vivere debere. Solatur eum hac ipſa ſententia, amicos animo adeſſe amicis et frui poſſe, quin adeo debere.

A geſtatione quum maxime venio, non minus fatigatus, quam ſi tantum ambulaſſem, quantum ſedi. labor eſt enim, [a]et diu ferri: ac neſcio an eo maior, quia contra naturam eſt, quae pedes dedit, ut per nos ambularemus; oculos, ut per nos videremus. Debilitatem nobis indixere deliciae: et quod diu noluimus, poſſe deſivimus. Mihi tamen neceſſarium erat concu-

a. *et diu ferri.* Reſtituit Grut. ex mss. i. e. adeo illud, quod diu feraris, in labore pono. Antea deerat τὸ *et.* Mox *indixere* Muretus indicio libror. Pinciani, et Grut. in codd. ſuis. Eſt et in editione veteri. Eraſmus: *induxere.* Indicere eſt verbum ſacrum: nam ſupplicationes et dies feſti indici dicebantur, Servio teſte ad Virgil. Aen. III, 264.

1. *deliciae*] i. luxus. *ut ſive bilis inſederat faucibus:* laborabat autem ſuſpirio, quod pituita ſ. humore noxio, φλέγματι, fauces occupante, augebatur. Erat enim veteribus medicis bilis humor quicunque pituitoſus isque noxius, unde ſaepe cum φλέγματι, pituita, coniungitur bilis, e. c. Timaeo Locr. de anima mundi p. 561. ed. Gale. Erat autem bilis vel atra vel flava, quam ſanguini admixtam eſſe ſibi perſuaſerant. Noſter pituitam flavam in ipſis faucibus haerentem intellexit.

ſpi-

concutere corpus, ut ſive bilis inſederat faucibus, discuteretur; ſive ipſe ex aliqua cauſa ſpiritus denſior erat, extenuaret illum iactatio: quam profuiſſe mihi ſenſi. Ideo diutius vehi perſeveravi, invitante ipſo 2
litore, quod inter Cumas et Servilii Vatiae villam curvatur, et hinc mari, illinc lacu, velut anguſtum iter, clauditur. Erat enim a recenti tempeſtate [b] maris ſpiſſius. Fluctus autem illud, ut ſcis, frequens et concitatus exaequat: longior tranquillitas ſolvit, quum arenis, quae humore alligantur, ſuccus abſceſſit. Ex conſuetudine tamen mea circumſpicere coepi, an aliquid illic invenirem, quod mihi bono poſſet eſſe: et direxi oculos in villam, quae aliquando Vatiae fuit. In hac ille praetorius dives, nulla alia re quam otio 3
notus, conſenuit, et ob hoc unum felix habebatur.

Nam

b. *maris.* Sic Eraſm. et Mur. Grutero lectio cod. Col. *erat enim a recenti tempeſtate ſpiſſum* praeplacet.

ſpiritus denſior, qui non permeare poteſt per fauces anguſtas. Quem hic laudat Lipſius Mercurialem de arte gymn. VI, 10 cave conſulas; nihil enim ad loci illuſtrationem adtulit.

2. De *Servilio Vatia* vereor, ut alibi quaedam commemorata legas. Sub Tiberio tamen vixiſſe clarum eſt. Villa eius ſub promontorium Miſenum ſita erat media inter Cumas et Baias ſ. Puteolos. *Lacu* Acheruſio, ap. Plin. III, 6. Acheruſia palus, Ἀχερουσία λίμνη, in quam mare turbidum ſe effudit ſuper aggerem arenoſum, in quo Cumis ad illam villam iter erat. Hinc *iter anguſtum* i. agger. Ne de lacu Lucrino cum Lipſio cogites, noſter ipſe cavet §. 7. Litus autem invitabat, quod *ſpiſſius* i. firmius, ſolidius erat propterea quod aquae arenas ligaverant: *Fluctus — exaequat*, firmat litus arenoſum; arenae ſtabant, quod nos dicimus: ſiccae enim arenae, ut notum eſt, diffluunt. Cf. Topographiam agri Cumani in Heynii Exc. II. ad Virgil. Aen. VI, p. 786 ſq.

3. *praetorius dives*] i. divitias habebat, quales propraetores provinciarum coacervare ſolent. Angli dicerent: the rich Nabob. Haec interpretatio praeponenda videtur alteri: ille dives homo, qui

prae-

Nam quoties aliquos amicitia Asinii Galli, quoties Seiani odium, deinde amor merserat, (aeque enim offendisse illum, quam amasse, periculosum fuit) exclamabant homines: O Vatia, solus scis vivere! At ille latere sciebat, non vivere. multum autem inter-
4 est, utrum vita tua otiosa sit, an ignava. Nunquam aliter hanc villam Vatia vivo praeteribam, quam ut dicerem: Vatia hic situs est. Sed adeo, mi Lucili, philosophia sacrum quiddam est, et venerabile, ut etiam si quid illi simile est, mendacio placeat. Otiosum enim hominem, seductum existimat vulgus, et securum, et se contentum, sibique viventem: quo-
5 rum nihil ulli contingere, nisi sapienti, potest. Ille quidem nulla re sollicitus scit sibi vivere. ille enim, quod est primum, scit vivere. Nam qui res et homines fugit, quem cupiditatum suarum infelicitas relegavit, qui alios feliciores videre non potuit, qui velut timidum atque iners animal, metu oblituit, ille sibi non vivit, sed, quod est turpissimum, ventri,
6 somno, libidini. Non continuo sibi vivit, qui nemini. Adeo tamen magna res est constantia, et in proposito suo perseverantia, ut habeat auctoritatem inertia quoque pertinax. De ipsa villa nihil possum tibi certi scribere; frontem enim eius tantum novi, et expo-

praeturam gesserat. *Asinii Galli*, quem Tiberius odio persequutus est et diu in custodia habitum interemit. Tacit. VI, Annal. 23. Dio Cass. LVIII, 3. qui et Syriacum tradit eo nomine interfici iussum a Tiberio, quod Galli amicus fuisset. *Seiani odium, deinde amor.* Quum omnia apud Tiberium posset, depressit quos vellet: post Seiani casum amici eius e medio sublati. Dio Cass. LVIII, 11. 12. *At ille latere — vivere.* Quod Ovidius Trist. III, 4, 25. expresserat sic: Bene qui latuit, bene vixit. Notum est illud pythagoricum praeceptum: Λάθε βιώσας, de quo Menagius ad Diog. Laert. VIII, 50.

4. *mendacio,*] falsa specie, imitatione ficta: quod de coloribus ficticiis praesertim in usu esse constat. *seductum*, a turba in solitudinem regressum.

expoſita: quae oſtendit etiam transeuntibus. [c]Speluncae ſunt duae magni operis, cuius laxo atrio paries manufactus: quarum altera ſolem non recipit, altera usque in occidentem tenet. Platanona medius ri- 7
vus, et a mari et ab Acheruſio lacu receptus, Euripi modo dividit, alendis piſcibus, etiam ſi aſſiduo exhauritur, ſufficiens. Sed illi, quum mare patet, parcitur: quum tempeſtas piſcatoribus dedit ferias, manus ad parata porrigitur. Hoc tamen eſt commodiſſimum in villa, quod Baias trans parietem habet: incommodis illarum caret, voluptatibus fruitur. [d]Has laudes 8
eius ipſe novi: eſſe villam totius anni credo. Occurrit

c. *Speluncae ſunt duae magni operis, cuius laxo atrio paries manufactus.* Sic libri ſcripti: et ſenſus clarus eſt. Arte vult atrium, quod in ſpeluncis erat, ſublevatum et politum pariete inſerto. Sic et ed. vet. At Eraſmus: *laxo atrio*, omiſſo *cuius*: ad oram notatur: *pares manufactae.* Hinc Mur. *operis laxo a. pares manufactae.* Lipſius Elect. I, 16. et ad Tacit. Annal. IV, 59. em. *op. laxo atrio pares manufactis* Poſtea in nota ad h. l. legi vult: *cuivis laxo atrio pares manufactae.* Gruter. idem fere coniecit, niſi quod *manufacto* praefert. Sed lectio ſcripta bene habet, ideoque repoſui. Mox *tenet* codd. plurimi dant: alii *tenetur.* Pinciani coniecturam *torretur* Mur. recepit. *Platanona* Pincian. ex coni. dedit: quum eſſet in uno ſuo *platanos med. riv.*, in altero *plata nova m. r.* Antiquitus excuſi: *prata nova*, et editio vetus multique codd. *prata bona.*

d. *Has laudes eius ipſe novi: eſſe villam totius anni credo.* Lipſii inſiſtentis veſtigiis codd. lectio eſt, quam propoſuit Elect. I, 16,

6. *Speluncae,*] quibus haec loca abundaſſe conſtat. Cf. Heynii Excurſ. laudat. Cavernam, quam hic naturalem invenerat, arte emendavit, ut pariete exſtructo laxum atrium faceret, duabus inde compoſitis, quarum alteram ad aeſtivum, alteram ad hibernum uſum apparavit.

7. *Platanona*] Talis platanon, πλατανὼν, platanis conſtans lucus umbrae et decoris cauſa, quum et folia hieme non amitteret (Varro de Re Ruſt. I, 7, 6.) valde amabatur. Cf. Martial. III, 19, 2. Epiſt. Senec. XII, 1. not. *Acheruſio lacu*, vide ſupra ad §. 1. Strabo V, 4, 5. p. 189 ed. Lipſ. Rivus itaque ille partim in hunc lacum, partim in mare ſe effudit. *Euripi* i. canalis. *quod Baias — habet.* Trans ſpeluncam iſtam quae ad orientem ſpectabat, ideoque Baias verſum.

currit enim Favonio, et illum adeo excipit, ut Baiis neget. Non ſtulte videtur elegiſſe hunc locum Vatia, in quem otium ſuum pigrum iam et ſenile conferret. Sed non multum ad tranquillitatem locus confert: [e]animus eſt, qui commendat omnia. Vidi ego in villa hilari et amoena moeſtos, vidi in media ſoli-
9 tudine occupatis ſimiles. Quare non eſt quod exiſtimes, ideo parum bene compoſitum eſſe te, quod in Campania non es. quare autem non es? hucusque cogitationes tuas mitte. Converſari cum amicis abſentibus licet: et quidem quoties velis, quamdiu velis. magis hac voluptate, quae maxima eſt, fruimur, dum abſumus. Praeſentia enim nos delicatos facit: et quia aliquando una loquimur, ambulamus, conſidemus, [f]quum ſeducti ſumus, nihil de his quos modo vidimus,
10 cogitamus. et ideo aequo animo ferre debemus abſentiam, quia nemo non multum etiam praeſentibus abeſt. Pone hic primum noctes ſeparatas: deinde occupationes utrinque diverſas: deinde ſtudia ſecreta, ſuburbanas profectiones: videbis non multum eſſe, quod nobis peregrinatio eripiat. Amicus animo poſſidendus eſt. hic autem nunquam abeſt: quemcunque vult, quotidie videt. Itaque mecum ſtude, mecum coena,

attingere neglexit in notis ad h. l. Editio vetus habet cum olim excuſis: *Has l. e. i. n. nunc eſſe illas totius anni credo.*

e. *animus eſt, qui commendat omnia.* Mur. ſequutus aliquot Pinciani codd. ſic dedit. Aliae edd. et codd. *qui ſibi commendet o.*

f. *quum ſeducti.* Mss. *dum ſedimus, quum ſeducti.* Lege: *et quia aliquando una loquimur, ambulamus, conſidemus, quum ſeducti ſumus, nihil de his, quos modo vidimus, cogitamus.* Gronov.

8. *Favonio*] vento ab occidente flanti occurrit villa, a qua Baias, Puteolos etc. penetrabat.

10. *ſuburbanas profectiones:*] i. in villas. Nam noſtro ſuburbanum et villa idem valent. Tacitus quoque Annal. III, 47. ſic *ſuburbanam peregrinationem* i. per regionem Romae vicinam. Quid, quod Italia Columell. II, 2, 61. ſuburba-

coena, mecum ambula. In anguſto viveremus, ſi quidquam eſſet cogitationibus clauſum. Video te, mi Lucili, quum maxime audio: adeo tecum ſum, ut dubitem, an incipiam non epiſtolas, ſed codicillos tibi ſcribere.

EPISTOLA LVI.

Mentem compoſitam vacare ſibi et ſtudiis, etiam in turba, ſuo ipſius exemplo docet, quippe qui Baiis adhuc commorabatur valetudinis curandae cauſa. Magis autem monet optandum eſſe ſilentium internum et pacem. Quocirca inertiam ſuadet evitemus cupidinum matrem, et otii vitia negotio diſcutiamus.

Peream, ſi eſt tam neceſſarium, quam videtur, ſilentium in ſtudia ſepoſito. Ecce varius clamor undique me circumſonat: ſupra ipſum balneum habito. Propone nunc tibi omnia genera vocum, quae in odium poſſunt aures adducere: quum fortiores exercentur, et manus plumbo graves iactant, quum aut laborant, aut laborantem imitantur, gemitus audio, quoties a retentum ſpiritum remiſerunt, ſibilos, et acerbiſſimas reſpi-

a. *retentum.* Sic multi codd. Alii *recentem* et *emiſerunt.*

urbana appellatur, reſpectu Romae. *codicillos*, mitti ſolitos ad praeſentes. Dixi in epiſtolica inſtitutione. L. *Delicatos*, faſtidioſos.

1. *quum fortiores — iactant,*] Halteres notat, quibus et ad ſaltandum uſi, ſeque velut librandum: et iisdem ſed gravioribus ad exercendum, et ſine magno motu ſudorem evocandum, ſublatis depreſſisque manibus aut huc illuc iactatis. Erant autem iſtae maſſae plumbeae, in circuli dimidiati, aut et aliam formam: ἅλτῆρες Graecis a primo uſu dicti, παρὰ τὸ ἅλλεσθαι, *a ſaltando.* Iuvenal. Sat. VI, 421. *Quum laſſata gravi ceciderunt brachia maſſa.* Scholiaſtes ibi: *Halteres dicit, quibus utuntur athletae quum exercent: quaſi plumbeis ponderibus exerceatur.* Martialis 14, 49. *Quid pereunt ſtulto fortes halcére lacerti? Exercet melius vinea foſſa viros.* L. Cf. Ep. XV, 4.

reſpirationes: quum in [b]alipten inertem, et hac plebeia unctione contentum incidi, audio crepitum illiſae manus humeris: quae prout plana pervenit, aut con-
2 cava, ita ſonum mutat. Si vero pilicrepus ſupervenerit, et numerare coeperit pilas, actum eſt. Adiice nunc ſcordalum, et furem deprehenſum, et illum cui vox ſua in balneo placet. Adiice nunc eos, qui in piſcinam cum ingenti impulſae aquae ſono ſaliunt. Praeter iſtos, quorum ſi nihil aliud, rectae voces ſunt, [c]alipilum cogita, tenuem et ſtridulam vocem, quo ſit notabilior, ſubinde exprimentem, nec unquam tacentem, niſi dum vellit alas, et alium pro ſe clamare co-
3 git. Iam libarii varias exclamationes, et botularium, et

b. *alipten* i. unctorem. Pinciani coniectura eſt a Lipſio et Gron. probata. Lectio vulgata eſt *aliquem*. Muretus: *aliquem alipten inertem*. Mox *unctione* Pinciani codd. aliique: ſic et Turnebus coniecerat Adverſ. VII, 4. Eraſmus, edit. ver., quae tamen voce: *hac* caret, et cod. Col. *functione*. Alii *imitatione*.

c. *alipilum*. Sic margo ed. Eraſm. et Caelius Rhodigin. Lect. antiqq. XXX, 19. at Eraſmus edit. vetus et quinque mss. Grut. habent: *alipedum*. Mox *libarii* ex emendatione Coelii Rhodig. l. l. ſuffragante Turnebo Adverſ. l. l. Praeſtat haud dubie haec lectio vulgatae *librarii* quae eſt lectio codd. et edd. antiq.

2. *pilicrepus*.] ludens pilas. Luſorias autem pilas crepare et ſonitum edere, quum datatim luditur, certum eſt. Morem fuiſſe pilis ludere in thermis docet Inſcriptio ap. Gruter. p. 637. n. 1. ubi eſt: Vrſum Togatum vitrea qui primus pila Luſi decenter cum meis luſoribus Laudante populo maximis clamoribus, Thermis Agrippae et Titi. — Pilarum ſine caſu iactus *numerabant*. Cf. Petron. 27. Alii de iis, qui ſphaeris pice oblitis curabant, ne ignis balneorum exſtingueretur, intelligunt, v. c. Mercurialis de arte gymn. I, 12. *ſcordalum*, litigioſum. *furem deprehenſum*, λωποδύτην, quem graviter plectebantur. Similia ſunt Epicteti in Enchirid. c. IV. ubi λοιδορούντες et κλέπτοντες quoque coniunguntur. *rectae* non factae aut fractae, quum *alipilus* vellellis pilos alarum evellens, circumit balnea magna voce illam ſuam artem commendans. Iuvenal. II, 156.

3. *Varias exclamationes*,] cogites de varietate ſoni, ex quo hodieque in magnis urbibus

et cruſtularium, et omnes popinarum inſtitores, mercem ſua quadam et inſignita modulatione vendentes. O te, inquis, ferreum aut ſurdum, cui mens inter clamores tam varios, tam diſſonos, conſtat! quum [d] Chryſippum noſtrum aſſidua ſalutatio perducat ad mortem. At mehercules, ego iſtum fremitum non magis curo, quam fluctum aut deiectum aquae. Quamvis audiam cuidam genti hanc unam fuiſſe cauſam, urbem ſuam transferendi, quia fragorem Nili cadentis ferre non potuit. Magis mihi vox avocare videtur, quam crepitus. Illa enim animum abducit, hic tantum aures implet, ac verberat. In iis quae me ſine avocatione circumſtrepunt, eſſedas transcurrentes pono, et fabrum inquilinum, et [e] ferrarium vicinum, aut hunc qui ad Metam ſudantem tabulas experitur et tibias, nec cantat, ſed exclamat. Etiam moleſtior eſt mihi 4 5

nam *librarii* non ad popinarum inſtitores pertinent aeque ac librarii, botularii et cruſtularii, qui liba, botulos i. farcimina et edulia mellita vaenui proclamant. Deinde *mercem ſua* ex Eraſmi emendatione eſt: nam codd. et priores edd. habent: *ſuam quandam inſign.*, aut cum ed. vet. *ſuam quadam inſign.*

d. *Chryſippum.* Quum de Stoico Chryſippo tale quid nusquam memoretur, nec ſalutationum ille mos non ſic ſollennis Graecis fuerit, legendum ſuadet Lipſius: *Criſpum*, amicum Senecae, ad quem et Epigramma ſcriptum. Nam in cod. ſuo invenit: *Criſipum*, uti eſt in ed. vet.

e. *ferrarium.* Sic Pinciani et Gruteri codd. Eraſmus tamen et ed. vet. *ferrarium*, aberratione facili. Mox *tabulas* omnium libus facile dignoſcitur, quid quisque habeat vaenale. Huc ſpectant inprimis ſequentia *ſua quadam — modulatione.*

4. *Quamvis — non potuit.*] Idem narrat noſter Nat. Quaeſt. IV, 2. *aut hunc qui — exclamat.* De naufragis aliisque mala et calamitates perpeſſis intelligo, qui *picti in tabula*, ut cum Perſio Sat. VI, 33. loquar, ad Metam ſudantem, quae erat in regione urbis quartae, (cf. Victorem et Adlerum) calamitates ſuas monſtratas decantarent, tibiis, utpote quae huic lugubri declamationi conveniebant, more tali in re, e. c. in theatro, fatis frequente, accinentibus. *Tabulas et tibias experitur*, tentat quaeſtus cauſa. Cf. Horat. A. P. 21. Iuvenal. XIV,

mihi ſonus, qui intermittitur ſubinde, quam qui continuatur. Sed iam me ſic ad omnia iſta duravi, ut audire vel pauſarium poſſim, voce acerbiſſima remigibus modos dantem. Animum enim cogo ſibi intentum eſſe, nec avocari ad externa. omnia licet foris reſonent; dum intus nihil tumultus ſit, dum inter ſe non rixentur cupiditas et timor, dum avaritia luxuria-
6 que non diſſideant, nec altera alteram vexet. Nam quid prodeſt totius regionis ſilentium, ſi affectus fremunt?

Omnia noctis erant placidâ compoſta quiete.

Falſum eſt. nulla placida quies eſt, niſi quam ratio compoſuit. nox exhibet moleſtiam, non tollit, et ſolicitudines mutat. Nam dormientium quoque inſomnia tam turbulenta ſunt, quam dies. Illa tranquilli-
7 tas vera eſt, in quam bona mens explicatur. Adſpice illum,

brorum eſt ſcriptura. Muretus tamen *tubas* exhibet, e mera Pinciani coniectura. Grut. em. *tubulas*, Lipſius *tubula ſe exp.*, et quum annotatum vidiſſet, in vetere codice legi: *ſcapulas*, malit inde legi: *ſcabillo ſe exp.* nam hoc genus inſtrumenti cum

XIV, 302. Quum autem hic generaliter loquatur noſter, non opus eſt, ut cum Lipſio haec ad Baianam vitam referamus.

5. *pauſarium*] qui vel portiſculo, i. malleo, vel voce modos remigibus dabat. Cf. Gronov. Obſſ. IV, 26. p. 832 ed. Lipſ. Burmann. ad Val. Flacc. I, 186.

6. *Omnia noctis — quiete.*] Desierant latrare canes urbesque ſilebant, Omnia noctis erant placida compoſta quiete. Hi duo verſus ſunt Varronis Atacini, conſervati a Seneca patre, Controverſ. III, 16. p. 215 Bip. Hic Varro Argonautica Apollonii Rhodii expreſſit carmine, ante Ovidii aevum. Et hi verſus imitatione libera depromti ſunt ex Apoll. Rh. III, 748. 749. Egit de hoc Varrone Ruhnkenius in Epiſt. crit. II. et Wernsdorf P. L. M. Tom. V, P. III. p. 1385 ſqq. qui et huius fragm. p. 1412 ſq. memor fuit. *Nam dormientium — explicatur.* Bene laudat Lipſius Zenonem ap. Plutarch. de profectibus virtutis ſentiendis Tom. VII, p. 261. Hutt. Ex inſomniis, ait Zeno, ſuum quemque profectum poſſe ſen-

illum, cui somnus laxae domus silentio quaeritur: cuius aures ne quis agitet sonus, omnis servorum turba conticuit, et suspensum accedentium propius vestigium ponitur. Huc nempe versatur atque illuc, somnum inter aegritudines levem captans: quae non audit, audisse se queritur. Quid in causa putas esse? 8 animus illi obstrepit: hic placandus est, huius compescenda est seditio: quem non est quod existimes placidum, si iacet corpus. Interdum quies inquieta est. Et ideo ad rerum actus excitandi, ac tractatione bonarum artium occupandi sumus, quoties nos male habet inertia sui impatiens. Magni imperatores quum male parere militem vident, aliquo labore compescunt, et expeditionibus detinent. nunquam vacat lascivire 9 districtis: nihilque tam certum est quam otii vitia negotio discuti. Saepe videmur taedio rerum civilium, et infelicis atque ingratae stationis poenitentia, secessisse: tamen in illa latebra, in quam nos timor et lassitudo coniecit, interdum recrudescit ambitio. Non enim excisa desiit, sed fatigata, aut etiam abiecta, rebus parum sibi cedentibus. Idem de luxuria dico, 10 quae videtur aliquando cessisse: deinde frugalitatem

tibia etiam iungit Sueton. Calig. c. 55. Sed vide not. §. 9. extr. *abiecta* i. relicta, ut statim ait. Est lectio vulgata. Modii tamen liber *abirata*, unde ipse divinabat *abiurata*. Sed optime, ait Rubenius, papyraceus, *obirata*, laudans de Tranquill. cap. 2, 9.

sentire, si neque re turpi delectantem se, neque cupientem neque agentem quid improbi iniustive per quietem videat, sed velut in aequore tranquillitatis imperturbatae claro omnes animi partes a ratione hilariores factas esse observaverit.

8. *Magni imperatores* etc.] Exemplo sit Alexander M. apud Curtium VII, 1, 4. satis prudens, otii vitia negotio discuti etc. ubi ipsa nostri verba a Curtio in usum suum conversa vides.

9. *stationis*] officii et muneris. a militia ductum. L. Exemplo sit Cicero cum multis aliis.

profeſſos ſollicitat, atque in media parſimonia voluptates non damnatas, ſed relictas petit: et quidem eo vehementius, quo occultius. Omnia enim vitia in aperto leviora ſunt: morbi quoque tunc ad ſanitatem inclinant, quum ex abdito erumpunt, ac vim ſuam
11 proferunt. Et avaritiam itaque, et ambitionem, et cetera mala mentis humanae, tunc perniciosiſſima ſcias eſſe, quum ſimulata ſanitate ſubſidunt. Otioſi videmur, et non ſumus. Nam ſi bona fide ſumus, ſi receptui cecinimus, ſi ſpecioſa contemſimus, ut paullo ante dicebam, nulla res nos avocabit, nullus hominum aviumque concentus interrumpet cogitationes bonas, ſolidasque et iam certas. Leve illud ingenium, nec ſe adhuc reduxit introrſus, quod ad vocem et ac-
12 cidentia erigitur. Habet intus aliquid ſolicitudinis, et concepti pavoris, quod illum curioſum facit, ut ait Virgilius noſter:

Et me, quem tutum non ulla iniecta movebant
Tela, nec adverſo glomerati ex agmine Graii,
Nunc omnes terrent auras, ſonus excitat omnis
Suspenſum, et pariter comitique onerique timentem.

13 Prior ille ſapiens eſt, quem non tela vibrantia, non arietata inter ſe arma agminis denſi, non urbis impulſae fragor territat: hic alter imperitus eſt, rebus ſuis timet, ad omnem crepitum expaveſcens, quem unaquaelibet vox pro fremitu accepta deiecit, quem motus leviſſimi exanimant. Timidum illum ſarcinae faciunt. Quemcunque ex iſtis felicibus elegeris, multa trahentibus, multa portantibus, videbis illum comitique one-
14 rique timentem. Tunc ergo te ſcito eſſe compoſitum, quum

12. *Virgilius*] Aen. II, 725 ſqq. de Aenea, qui patrem Anchiſen ex urbe Troia portaſſe ſe refert.

13. *impulſae*] a machinis et molibus hoſtium eam oppugnantium.

quum ad te nullus clamor pertinebit: quum te nulla vox tibi excutiet: non ſi blandietur, non ſi minabitur, non ſi inani ſono varia circumſtrepet. Quid ergo? non aliquando commodius eſt, carere convicio? fateor. Itaque ego ex hoc loco migrabo: experiri et exercere me volui. Quid neceſſe eſt diutius torqueri: quum tam facile remedium Vlyſſes ſociis etiam adverſus Sirenas dederit, et invenerit?

EPISTOLA LVII.

Turbido mari quum Baiis Neapolim via terreſtri tenderet, per Cryptam Neapolitanam iter faciendum erat, quo nihil ingratius ſibi accidiſſe ſcribit. In quo ſtatu ictum quidem animi, mutationem quandam, ſe ſenſiſſe ait, ſed illam, qualis in poteſtate noſtra non eſt. Hos enim primos motus vel triſtitiae vel alacritatis nemo unus devitare poteſt. Attamen caviſſe teſtatur, ne in timorem vitae amittendae incideret, etiam ſpe immortalitatis iniecta.

Quum Baiis deberem Neapolim repetere, facile credidi tempeſtatem eſſe, ne iterum navem experirer. ſed tantum luti tota via fuit, ut poſſem videri nihilominus navigaſſe. Totum athletarum fatum mihi illo die perpetiendum fuit: a ceromate nos haphe excepit, in Crypta Neapolitana. Nihil illo carcere longius, nihil

14. *Itaque ego et ex hoc loco migrabo:*] Baias dicit. *Vlyſſes* qui cera oblevit aures ſociorum, dum Sirenas praetervexiſſent. Odyſſ. μ, 177.

1. *Iterum navem experirer.*] tam infeliciter, quam ſupra Epiſt. LIII. *athletarum fatum* quorum eſt *ceromate* unguento ex cera, oleo etc. conſtante, ut corpora fiant lubrica, perfundi, et *haphe* i. arena deinde inſpergi. Mihi, ait, ſimile quid accidebat, qui in via prima luto et liquore, velut craſſo ceromate delibutus ſum, deinde in Crypta arenis et pulvere. Cf. P. Fabri III Agoniſt. 22. *Crypta* autem *Neapolitana*, nunc Grotta del Monte di Pauſilippo dicta, via eſt, quae per rupes et arenas huius montis antiquiſſimis temporibus, multorum ſtadiorum lon-

nihil illis faucibus obſcurius; quae nobis praeſtant, non ut per tenebras videamus, ſed ut ipſas. Ceterum etiam ſi locus haberet lucem, pulvis auferret, in aperto quoque res gravis et moleſta: quid illic, ubi in ſe volutatur, et quum ſine ullo ſpiramento ſit in-
2 cluſus, in ipſos a quibus excitatus eſt recidit? Duo incommoda inter ſe contraria ſimul pertulimus, eâdem viâ, eodem die: et luto et pulvere laboravimus. Aliquid tamen mihi illa obſcuritas, quod cogitarem, dedit. ſenſi quendam ictum animi, et ſine metu mutationem, quam inſolitae rei novitas ſimul ac] foeditas fecerat. Non de me nunc tecum loquor, qui multum ab homine tolerabili, nedum a perfecto abſum, ſed de illo in quem ius fortuna perdidit: huius quo-
3 que ferietur animus, mutabitur color. Quaedam enim, mi Lucili, nulla virtus effugere poteſt: admonet illam natura mortalitatis ſuae. Itaque et [a] vultum adducet ad triſtitiam, et inhorreſcet ad ſubita, et caligabit,

a. *vultum adducet ad triſtitiam.* Omnium librorum lectio. Stephanus tamen Ep. 17. ad Dalechamp. pro interpretamento, quod ex margine irrepſerit, habet. Pincianus *abducet* malit, Gruterusque *adducet ad triſtia.* Sed nulla mutatione indigemus.

longitudine, ut nunc dimenſio eſt, paſſuum 700. agebatur, recta verſus Neapolim ducens. Quamvis bene ſtrata eſt, tamen etiamnunc pulvere abundat. Cf. Strabo V, 4, 7. p. 196 ed. Lipſ. Büſching. Tom. IV, p. 449. noviſſ. edit. *Fauces*, i. anguſtus transitus, non obſcurae erant Strabonis tempore, lumen, dicentis, paſſim feneſtellis in montis ſuperficiem iuſta altitudine inciſis, demitti. Obſtructae itaque aevo aut neglectae fuiſſe videntur hae feneſtrae, ſicut tempore Alphonſi primi Arragonum et Neap. regis, qui duas adhuc comparentes feneſtras incidi iuſſit.

2. *Aliquid tamen — dedit.*] Ex conſuetudine laudanda, quam ſupra attigit Ep. LV, 3. *ſenſi quendam — color.* Nam Stoici aſſerebant, πρὸς τὴν αἴσθησιν φυσικὴν οὖσαν οὐ πειρατέον ἀντιβαίνειν. Marc. Anton. V, 26. ubi Gataker. p. 210, 2. loca Senecae collegit, noſtro non praetermiſſo. Lipſius laudat A. Gell. XIX, 1. et Manuductionem ſuam III, 7.

bit, ſi vaſtam altitudinem, in crepidine eius conſtitutus, deſpexerit. Non eſt hic timor, ſed naturalis affectio inexpugnabilis rationi. Itaque fortes quidam, et paratiſſimi fundere ſuum ſanguinem, alienum videre non poſſunt: quidam ad vulneris novi, quidam ad veteris et purulenti tractationem inſpectionemque concidunt, et linquuntur animo: alii gladium facilius recipiunt, quam vident. Senſi ergo, ut dicebam, quan- 4
dam non quidem perturbationem, ſed mutationem: rurſus, ad primum conſpectum redditae lucis, alacritas incogitata rediit et iniuſſa. Illud deinde mecum loqui coepi, quam inepte quaedam magis ac minus timeremus, quum omnium idem finis eſſet. Quid enim intereſt, utrum ſupra aliquem [b]vigiliarium ruat, an mons? nil invenies. Erunt tamen qui hanc ruinam magis timeant, quamvis utraque mortifera aeque ſit. Adeo non effectus, ſed [c]effecti cauſſam timor ſpectat. Nunc me putas de Stoicis dicere, qui exiſtimant ani- 5
mam hominis magno pondere extriti permanere non poſſe, et ſtatim ſpargi, quia non fuerit illi exitus liber:

b. *vigiliarium ruat an mons?* Sic Gruteri codd. et Eraſm. At in ed. vet. haec ſic habentur: *vl' ſpeculatorium ruat, ut aut mōs aut turris.* Vnde facile eſt videre, *vigiliarium* quod et in aliis mss. reperitur, bonam eſſe lectionem. Denotat autem locum et ſpeculam, ubi vigiles ſunt, ad analogiam *valetudinarii*, *ſpoliarii*, *vivarii* compoſita vox. Emendatione itaque neque Lipſii *tigillarium*, aut *vigilum atrium*, neque Gronovii *nubilarium* indigemus.

c. *effecti cauſſam.* Sic ex Pinciani coniectura Grutero probata ſcripſi. Vulgata lectio erat: *ſed efficientia t. ſp.* Varia lectio eſt: *efficientiam*, in aliis *efficaciam*. Hinc Pincianus ſcriptum fuiſſe opinatus eſt: *effectus cauſſam*, et hunc ſequutus Grut. *effecti cauſſam*, ut librariorum inſcitia duae dictiones in unam coaluerint. Mox *permanere* in omnibus codd. eſt. Quam tamen hic ſtare non poſſe lectionem putans Pincianus coniecit *permeare*; probaruntque Muret. Lipſius et Grut. Sed vide notam.

5. *Nunc me putas — liber:*] Sententia haec a ſcito illo, animam eſſe corpus ideoque pati eadem, quae corpus, affligi, diſſipari et ſolvi, derivanda eſt. Diog. Laert. VII, 156 ibique Menag. *Permanere*, ἐπιμένειν, διαμένειν, i. ſolida et inte-

ber: ego vero non facio. qui hoc dicunt, videntur mihi errare. Quemadmodum flamma non poteſt opprimi: nam circa id diffugit, quo urgetur: quemadmodum aër verbere aut ictu non laeditur, nec ſcin-
6 ditur quidem, ſed circa id cui ceſſit refunditur: ſic animus, qui ex tenuiſſimo conſtat, deprehendi non poteſt, nec intra corpus affligi: ſed beneficio ſubtilitatis ſuae, per ipſa quibus premitur, erumpit. Quomodo fulmini, etiam quum latiſſime percuſſit ac fulſit, per exiguum foramen eſt reditus: ſic animo, qui adhuc tenuior eſt igne, per omne corpus fuga eſt. Itaque de illo quaerendum eſt, an poſſit immortalis eſſe? hoc quidem certum habe, ſi ſuperſtes eſt corpori, [d]propter hoc illum nullo genere poſſe perire, propter quod non perit: quoniam nulla immortalitas cum exceptione eſt, nec quidquam noxium aeterno eſt.

EPISTOLA LVIII.

Lucilio explicaturus Platonis ſcitum de eo, quod eſt, praemittit querelam de paupertate, quin de egeſtate ſermonis latini, exemplis allatis. Dein exponit, quotuplex τὸ ὄν, i. quod eſt, ſit, e Platone, prae-

d. *propter hoc illum nullo genere poſſe perire, propter quod non perit.* Opſopoeus de coniectura: *propter quod hoc perit.* Lipſius releget *propter* vel mutet in *propterea*, vel, *per quod hoc perit.* Gronovius ex apicibus ſcriptorum codd. ſic format: *ſi ſuperſtes eſt corpori perire illum nullo genere poſſe, propter quod non perit.* Senſus patet.

integra manere. Fuerunt itaque Stoici, qui putarent quidem, animos poſt mortem durare, ſed ſi quando corpus eius ita obtereretur, ut ne partes quidem ſupereſſent, nec illum in corpore contineri, ſed *ſpargi*, h. e. in elementa ſua recedere, igneum in ignem etc. εἰς τὰ φίλα καὶ συγγενῆ, εἰς στοιχεῖα, ut cum Epicteto Arriani Diſſ. III, 13, 14. ubi Vptonus quaedam notavit, loquar. Si proinde animus permeaverit, etiam permanebit: ut adeo *permeare*, quod Pincianus aliique repoſuerunt in textum e coniectura, et *permanere* eodem redeant.

praemissa definitione generis et speciei. Sex autem modis ab eo dici τὸ ὄν monet. Quae etsi subtilitates parum proficuas esse fatetur, tamen insunt, affirmat, quae salutaria fieri possint. Sic quum Plato negat, omnia ea, quibus sensus afficiantur, ex iis esse, quae vere sint, ad vanitatem omnium, quae cupiamus, facilis est conclusio. In quibus et sunt voluptates, quas si regere et coercere possimus, nostrum erit, vitam prorogare. Attamen id agamus, ut neque vitam optemus, neque mortem recusemus.

Quanta verborum nobis paupertas, immo egestas sit, nunquam magis quam hodierno die intellexi. Mille res inciderunt, quum forte de Platone loqueremur, quae nomina desiderarent, nec haberent: quaedam vero quum habuissent, fastidio nostro perdidissent. Quis autem ferat in egestate fastidium? Hunc quem Graeci „oestrum" vocant, pecora peragentem, et totis saltibus dissipantem, „asilum" nostri vocabant. hoc Virgilio licet credas:

Est lucum Silari iuxta ilicibusque virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo
Romanum est, oestrum Graeci vertere vocantes,
Asper, acerba sonans; quo tota exterrita silvis
Diffugiunt armenta. ——

Puto intelligi istud verbum interisse. Ne te longe 2
differam, quaedam simplicia in usu erant, sicut „cernere ferro inter se" dicebantur. Idem Virgilius hoc probabit tibi:

— Stu-

1. *paupertas, immo egestas*] Idem discrimen fecit Ep. XVII, 5. Ibidem §. 4. frugalitas est paupertas voluntaria. Mediocritas, αὐτάρκεια etiam ap. Horat. III Carm. 29, 56. *paupertas* audit *proba*. Πενία est egestas. Caeterum saepe apud Ciceronem hanc egestatem, quam noster queritur, observare est, si quando notiones philosophicas Graecorum civibus suis vertere studeret. *loqueremur* ego cum amico. cf. §. 6. *oestrum*, οἶστρος. Plinius tamen verbo *asilus* usus est XI, 28. Nec intelligas, quomodo vocabulum quotidiani usus perire possit. Itali hodieque vocant *assillo*. Virgilii locus est in Georgicis III, 146.

2. *cernere ferro inter se*] ap. Virgil. Aen. XII, 709.

—— *Stupet ipse Latinus,*
Ingentis, genitos diversis partibus orbis,
Inter se coiisse viros, et cernere ferro.

quod nunc decernere dicimus: simplicis verbi usus
3 amissus est. Dicebant antiqui, „si iusso," id est, si iussero. Hoc nolo mihi credas, [a]sed fideli Virgilio:

Cetera, qua iusso, mecum manus inferat arma.

Non id ago nunc hac diligentia, ut ostendam, quantum tempus apud Grammaticum perdiderim: sed ut ex hoc intelligas, quantum apud Ennium et Attium, verborum situs occupaverit: quum apud hunc quoque, qui quotidie excutitur, aliqua nobis subducta sint.
4 Quid, inquis, sibi ista vult praeparatio? quo spectat? Non celabo te. cupio, si fieri potest propitiis auribus tuis, [b]Essentiam dicere: sin minus, dicam et iratis. Ciceronem auctorem huius verbi habeo, puto locupletem. si recentiorem quaeris, Fabianum, disertum et elegantem, orationis, etiam ad nostrum fastidium,

a. *sed fideli Virg.* Sic ante Muretum passim publicabatur, et est in cod. Col. aliisque. Muretus dedit: *sit fides Virgilio.* Duo Pal. habent: *sed fide Virgilio.* Editio vetus *sed fidem Virgilio* quod et Modius Novant. Lect. Ep. 132. probat. Lipsius emendat: *fido.* At vulgata bene habet.

b. *Essentiam.* Muret. primum dedit ex coni. Cf. Eius Var. Lect. XV, 20. Antea: *quid sentiam dicere.* Mox *elegantem* est in

3. *fideli Virgilio*:] cui fidem habeas. Aen. XI, 467. Silius tamen Italic. XII, 175. hunc verbi simplicis usum non fastidivit. *quantum — verborum situs* i. antiquitas, neglectus, ideoque oblivio occupaverit. *apud hunc*, Virgilium.

4. *Ciceronem*] In scriptis Ciceronis nobis reliquis haec vox non invenitur: hic usus vocabuli ap. Cic. latuit quod mireris, Quintil. II, 14, III, 6. VIII, 3. in quibus locis inventionem huius nominis Fabiano tribuit, et duram censet hanc τῆς οὐσίας interpretationem. Lipsius laudat Sidonii verba: Lecturus es hic novum verbum *Essentiam*, sed scias hoc ipsum dixisse Ciceronem. De Sergio Flavio Papirio *Fabia-*

dium, nitidae. Quid enim fiet, mi Lucili? quomodo dicetur οὐσία res neceſſaria, naturam continens, fundamentum omnium? Rogo itaque, permittas mihi hoc verbo uti. nihilominus dabo operam, ut ius a te datum parciſſime exerceam: fortaſſe contentus ero mihi licere. Quid proderit facilitas tua, quum ecce id nullo modo Latine exprimere poſſim, propter quod linguae noſtrae convicium feci? Magis damnabis anguſtias Romanas, ſi ſcieris unam ſyllabam eſſe, quam mutare non poſſim. quae haec ſit, quaeris? τὸ ὄν. [c]Duri tibi videor ingenii: in medio poſitam poſſe ſic transferri, ut dicam, „Quod eſt.“ Sed multum intereſſe video. cogor verbum pro vocabulo ponere: ſed ita neceſſe eſt, ponam Quod eſt. Sex modis hoc a Platone dici, amicus noſter homo eruditiſſimus hodierno die dicebat. Omnes tibi exponam, ſi ante indicavero, eſſe aliquod genus, eſſe et ſpeciem. Nunc enim primum illud genus quaerimus, ex quo ceterae ſpecies ſuſpenſae ſunt, a quo naſcitur omnis diviſio, quo univerſa comprehenſa ſunt. Invenietur autem, ſi coeperimus ſingula retro legere: ſic enim per-

5 6 7

ora ed. Eraſmicae et in omnibus Grut. codd. Alii *diſertum et eloquentem*, ut editio vetus, alii *elegantem* omittunt. *naturam continens fundamentum omnium.* Sic Muretus ex aliquot ſcriptis Pinciani: ſic et editio vetus et tres mss. Grut. At Eraſmus: *natura continens f. o.*

c. *Duri tibi videor ingenii: in medio poſitam poſſe ſic transferri.* Sic Eraſmus et aliquot codd. et ed. vetus. *D. t. videbor i. i. m. poſitum eſſe: poſſe ſic transferri* editio Romana. Mox *ſed ita neceſſe eſt, ponam Quod eſt.* Sic Pincianus iubet legamus ex vetere lectione: ſic exſtat in quatuor Grut. mss. Eraſmus: *Sed ſi id neceſſe eſt, ponam Quod eſt.* Muretus: *ſed id ſi n.* etc.

biano cf. Conſolat. ad Marc. XXIII, 3. οὐσία — *omnium.* Omnia enim ex Vſia i. Eſſentia: quae eſt proprie Stoicis Deus et Materia. L.

5. *propter quod — feci?*] propter quod totam hanc epiſtolam ſcribens coactus ſum reprehendere noſtram linguam.

6. *Quod eſt*] τὸ ὄν. Vtitur autem noſter via ſynthetica, ab individuis ad formas generaque adſcendens, *retro legens ſingula*, ut ipſe ait. Hac prolixio-

perducemur ad primum. Homo ſpecies eſt, ut Ariſtoteles ait: equus ſpecies eſt, canis ſpecies. ergo commune aliquod quaerendum eſt his omnibus vinculum, quod illa complectatur, et ſub ſe habeat. Hoc
8 quid eſt? animal. Ergo genus eſſe coepit omnium horum quae modo retuli, hominis, equi, canis, animal. Sed ſunt quaedam, quae animam habent, nec ſunt animalia. placet enim ſatis et arbuſtis animam ineſſe. itaque et vivere illa, et mori dicimus. Ergo animantia ſuperiorem tenebunt locum, quia animalia in hac forma ſunt, et ſata. Quaedam anima carent, ut ſaxa. itaque aliquid erit animantibus antiquius, ſci-
9 licet corpus. hoc ſic dividam, ut dicam, corpora omnia aut animata eſſe, aut inanimantia. Etiamnunc eſt aliquid ſuperius, quam corpus. Dicimus enim quaedam corporalia eſſe, quaedam incorporalia. Quid ergo erit ex quo haec diducantur? illud cui nomen modo parum proprium impoſuimus, Quod eſt. Sic enim in ſpecies ſecabitur, ut dicamus: Quod eſt, aut corporale eſt, aut incorporale. Hoc ergo genus eſt primum et antiquiſſimum, et, ut ita dicam, generale: cetera genera quidem ſunt, ſed ſpecialia, tanquam
10 homo genus eſt. Habet enim in ſe nationum ſpecies, Grae-

lixiore deductione facile quisque ſuperſedebit lector; nec eum ad quem talia ſcribi debebant, magnos in philoſophia profectus faciſſe putaverit. Spectant autem haec ad praedicabilia Ariſtotelicorum, ad *κατηγορούμενα*, in quibus genus et ſpecies primum locum obtinent.

9. *tamquam homo genus eſt*] ſc. ſpeciale. Atque conſtat ſibi Seneca, quidquid contra dicat Lipſius, cuius verba ſunt haec-ce: „Atqui ſupra ſpecies erat, ſed ex Ariſtotele: hic Logicam Chryſippi eum probabile eſt, hodie ridendam.“ Nam quo iure, ait, caeterae diviſiones eius quod eſt, genera vocantur, quae tamen nonniſi ſpecies ſunt, eodem Homo quoque genus vocari poteſt, quem ſupra tantummodo ſpeciem eſſe vidimus. Sic noſter ſtatim explicat verbis hisce: *Itaque — in ſpeciem.*

Graecos, Romanos, Parthos; colorum, albos, nigros, flavos: habet singulos, Catonem, Ciceronem, Lucretium. Itaque quâ multa continet, in genus cadit: quâ sub alio est, in speciem. Illud genus, Quod est, generale, supra se nihil habet. Initium rerum est: omnia sub illo sunt. Stoici volunt superponere huic etiam aliud genus magis principale: de quo statim dicam, si prius illud genus, de quo locutus sum, merito primum poni docuero, quum sit rerum omnium capax. Quod est, in has species divido, ut sint cor- 11
poralia, aut incorporalia. Nihil tertium est. Corpus quomodo divido? ut dicam; aut animantia sunt, aut inanimantia. Rursus animantia quemadmodum divido? ut dicam, quaedam animum habent, quaedam tantum animam. aut sic: quaedam impetum habent, incedunt, transeunt: quaedam solo affixa, radicibus aluntur et crescunt. Rursus animalia in quas species seco? aut 12
mortalia sunt, aut immortalia. [d]Primum genus Stoicis quibusdam videtur, Quid: sed quare videatur, subiiciam. In rerum, inquiunt, natura quaedam sunt, quaedam non sunt. Et haec autem quae non sunt, rerum natura complectitur, quae animo succurrunt, tan-

d. *Primum genus Stoicis quibusdam videtur, Quid.* Ita lege, quum libris sit ambigue *quid* vel *quod*: sed illud praefero. Muretus in uno etiam repperisse ait: *quiddam.* Graece dixerim indubie, τὸ τί. Pincianus sententiam loci primus pervidit et breviter posuit: *Stoicis aliud aliquod genus Ente Superius esse, nempe quod,* ita enim ipse legit. Id igitur iis dividitur in vere *Ens* et *Nonens.* Vere, ut omnia quae in rerum natura sunt. *Nonens* ut sunt Centauri, Chimaerae, et quae in mente sola subsistunt. L.

12. *Primum genus Stoicis quibusdam videtur, Quid:*] Subtilitatem hanc facile intelligere licet. Quum Plato essentiam posuisset primo loco, illi observantes ea non comprehendi hac definitione, quae non vere sunt, tamquam Centauri, docebant esse superius quoddam, quo essentia comprehendatur, idque vocabant τὸ τί i. e. res ad quam et phaenomena et noumena retulerunt, s. res quae quodammodo affectae sunt, uti Cic. Top. 3 istud τί convertit.

tanquam Centauri, Gigantes, et quidquid aliud falsa cogitatione formatum, habere aliquam imaginem
13 coepit, quamvis non habeat subsistantiam. Nunc ad id quod tibi promisi, revertor, quomodo quaecunque sunt, in sex modos Plato partiatur. Primum illud Quod est, nec visu, nec tactu, nec ullo sensu comprehenditur: cogitabile est. quod generaliter est: tanquam homo generalis sub oculos non venit, sed specialis venit, ut Cicero et Cato. [e]Animal non videtur, sed cogitatur: videtur autem species eius,
14 equus, et canis. Secundum ex his quae sunt, ponit Plato, quod eminet et exsuperat omnia. Hoc ait per excellentiam esse, ut poeta communiter dicitur. omnibus enim versus facientibus hoc nomen est, sed [f]tamen

e. *Animal non videtur, sed cogitatur.* Sic Erasmus, ed. vetus, et Gruteri mss. At Gronovii codd. exhibebant: *Animal ut v., cogitatur.* Vnde coniecit: *Animal haud videtur; cogitatur.*

f. *tamen.* Sic mss. quinque Gruteri, illo probante. Antea: *Sed iam.*

13. *Nunc ad id — in sex modos Plato p.*] Primo quidem in duos: atque ita in Timaeo (p. 301. T. IX Bip.) et Sophista τὸ ὂν dividit. Appuleius (de Habitudine lib. I, p. 162. T. II Bip.) ex illo τὰς οὐσίας, quas Essentias dicimus, duas esse ait, per quas cuncta gignantur Mundusque ipse. Quarum una cogitatione sola concipitur, altera sensibus subiici potest. Prior illa vere esse memoratur: hanc vero non esse possumus dicere. Et primae quidem Essentiae primum Deum esse et mentem formasque rerum et animam: secundae omnia quae informantur, quaeque gignantur, et quae ab subsistantiae superioris exemplo originem ducunt. Haec ita universe in Platone: sed distinctius noster in sex modos partitur. Primum est *Ens νοητὸν, intelligibile:* ut animal. Secundum, excellentissimum Ens et causa Entium, *Deus.* Tertium, *Idea.* Quartum ipsa Εἴδη, sive *species.* Quintum, quae sensibus subiecta, i. e. *corpora.* Sextum, *quae quasi sunt,* ut inane, tempus. L. Cf. Meiners Geschichte der Wissenschaften II, p. 708 sq. p. 729 sq. Tiedemann Geist der spek. Philos. II, p. 75 sq. 86 sq. Tennemann System der Plat. Phil. II, p. 291 sqq.

men apud Graecos in unius notam ceſſit. Homerum intelligas, quum audieris poëtam. Quid ergo hoc eſt? Deus, ſcilicet maior ac potentior cunctis. Ter- 15
tium genus eſt eorum, quae proprie ſunt: innumerabilia haec ſunt, ſed extra noſtrum poſita conſpectum. Quae ſunt, interrogas? [g]propria Platonis ſupellex eſt. Ideas vocat, ex quibus omnia, quaecunque videmus, fiunt: et ad quas cuncta formantur. Hae immortales, immutabiles, inviolabiles ſunt. Quid ſit idea, id eſt, quid Platoni eſſe videatur, audi. Idea eſt eorum, quae natura fiunt, exemplar aeternum. Adiiciam definitioni interpretationem, quo tibi res 16
apertior fiat. Volo imaginem tuam facere. exemplar picturae te habeo, ex quo capit aliquem habitum mens, quem operi ſuo imponat. Ita illa quae me docet et inſtruit facies, a qua petitur imitatio, idea eſt. Talia ergo exemplaria infinita habet natura rerum, hominum, piſcium, arborum: ad quae, quodcunque fieri ab illa debet, exprimitur. Quartum locum ha- 17
bet εἶδος. Quid ſit hoc εἶδος, attendas oportet: et Platoni imputes, non mihi, hanc rerum difficultatem. nulla eſt autem ſine difficultate ſubtilitas. Paulo ante pictoris imagine utebar. ille quum reddere Virgilium coloribus vellet, ipſum intuebatur: Idea erat Virgilii facies futuri operis exemplar: ex hac quod artifex trahit, et operi ſuo impoſuit, εἶδος eſt. Quid inter- 18
ſit,

g. *Propria Platonis ſupellex eſt.* Sic ed. vetus et Pinciani aliorumque codices. At Eraſmus voces has excluſit. *Ex quibus omnia quaecunque videmus fiunt* Pinciani, Modii codd. et plerique Grut. et ed. vetus. Antea: *ex quibus omnia quae ſunt fiunt, et ad* etc.

17. *Quartum locum habet* εἶδος etc.] Platonem hoc discrimen inter *ideas* et *idos* ignorare docuit Meiners Geſch. der Wiſſ. II, p. 801. Formas illas aeternas promiſcue vocat Plato nunc εἰκόνας, nunc εἴδη, nunc ἰδέας etc.

sit, quaeris? alterum exemplar est, alterum forma ab exemplari sumta, et operi imposita. alteram artifex imitatur, alteram facit. Habet aliquam faciem exemplar ipsum, quod intuens opifex, statuam figuravit: haec idea est. Etiamnunc aliam desideras distinctionem? Idos in opere est: Idea extra opus: 19 nec tantum extra opus est, sed ante opus. Quintum genus est eorum, quae communiter sunt. haec incipiunt ad nos pertinere: hic sunt omnia, homines, pecora, res. Sextum genus eorum est, quae quasi sunt, tanquam inane, tanquam tempus. Quaecunque videmus ac tangimus, Plato in illis non numerat, quae esse proprie putat. Fluunt enim, et in assidua diminutione atque adiectione sunt. Nemo nostrum idem est in senectute, qui fuit iuvenis. nemo est ma- 20 ne, qui fuit pridie. Corpora nostra rapiuntur fluminum more. quidquid vides, currit cum tempore; nihil ex his quae videmus, manet. Ego ipse dum loquor mutari ista, mutatus sum. Hoc est quod ait Heraclitus: h „In idem flumen bis non descendimus.“ Manet

h. *in idem flumen bis non descendimus.* Sic Pincian. dedit, idque recte, sensu postulante. Muretus aliique probarunt. Erasmus et multi codd. cum edit. vet. *in idem f. b. d. et non descendimus.*

19. *Quaecunque videmus ac tangimus* etc.] Ideas, dixit Plato, s. formas naturam rerum constituere, esseque una cum Deo, in cuius intellectu ab aeterno fuerint, unum genus omnium rerum, quae interitu aut mutatione careant. Corpora contra, sive omne id quod sensibus subiicitur, propriae essentiae nominari non possunt, utpote quae mutationibus quinimmo interitui patent. Cf. Wyttenbach ad Plut. de sera numinis vind. p. 76 sq. Contineant tamen necesse putabat immutabile quid, quia certa cognitio quaedam habeatur. Tali modo et Heraclitum et Parmenidem a se coniungi affirmavit Plato. Cf. Meiners II, p. 730 sq. Tiedemann II, p. 87 sq.

20. *Corpora nostra — transmissa est.*] Egregie hic monuit Tiedemann II, p. 88 sqq. lacunam

Manet idem fluminis nomen, aqua transmiſſa eſt. Hoc in amne manifeſtius eſt, quam in homine. ſed nos quoque non minus velox curſus praetervehit: et 21
ideo admiror dementiam noſtram, quod tantopere amamus rem fugaciſſimam, corpus, timemusque ne quando moriamur, quum omne momentum mors prioris habitus ſit. [1]Vis tu non timere, ne ſemel fiat quod quotidie fit? De homine dixi, fluida materia et caduca, et omnibus obnoxia cauſis: mundus quoque, aeterna res et invicta, mutatur, nec idem manet. Quamvis enim omnia in ſe habeat quae habuit, aliter 22
habet quam habuit, ordinem mutat. Quid, inquis, iſta ſubtilitas mihi proderit? Si me interrogas, nihil.

1. *Vis tu non timere, ne* etc. Sic reſtituit Gronov. ex ſuo et quatuor Grut. quibus omnes Rubeniani accedunt, et Erford. Heinſ. Poſſem, inquit, abs te impetrare, ne timeas, eventurum tibi, quod quotidie evenire omnibus videmus. Eſt formula orantis, hortantis, flagitantis, iubentis. Cf. Bentleius ad Horat. II Serm. 6, 92. qui Gronovium recte laudat. Vulgo male deeſt negandi particula contra mentem et ſenſum auctoris. Cf. ad III de Ira 38, *a*. Mox *cauſis* Gronovio ſuadente repoſui. Sic vett. edd. Tarviſina, Veneta, Frobeniana, et editio vetus, et codex Gronov. Erf. Heinſ. Cf. Gronovii Obſſ. III, 14. p. 422. ed. Lipſ. Verbum hoc eſt familiare Senecae de morbo vitioque quocunque. Vide de Ira III, 10. *a*. Antea: *caſibus*.

cunam ſyllogiſmi Heraclitici et a Platone negligi, uti a noſtro, res ſenſibus ſubiectas ne momento quidem ſibi conſtare ſimilesve manere; experientia refragatur, nec doceri poteſt. Nam ut illae res vel uno temporis momento perſtent, earumque mutationes legibus ſint attemperatae ſempiternis, profecto notiones univerſales legere, principia colligere adeoque ſcientiam conſtruere licebit. De *Heraclito* vid. Plat. Cratyl. T. III, p. 267. 268. *δὶς ἐς αὐτὸν ποταμὸν οὐκ ἐμβαίνομεν*. Cf. Meiners I, p. 623. Tiedemann I, p. 217.

21. Illud Heracliteum deflexit noſter ad amorem corporis et timorem mortis diminuendum: utrumque enim eſt fugaciſſimum et corpus, et omne momentum, quod antecedentis *habitus* i. conditionis mors eſt. cf. Ep. XXIV, 19 not. *mundus — idem manet*, omnium enim elementorum alterni recurſus ſunt: quidquid alteri perit, in alterum transit etc. Senec. N. Q. III, 10.

Sed quemadmodum ille caelator oculos diu intentos ac fatigatos remittit atque avocat, et, ut dici ſolet, paſcit: ſic nos animum aliquando debemus relaxare, et quibusdam oblectamentis reficere. ſed ipſa oblectamenta opera ſint: ex his quoque, ſi obſervaveris, ſumes
23 quod poſſit fieri ſalutare. Hoc ego, mi Lucili, ſoleo facere: ex omni [k] vacatione, etiamſi a philoſophia longiſſime averſa eſt, eruere aliquid conor, et utile efficere. Quid de iſtis capiam, quae modo tractavimus, remotis a reformatione morum? quomodo meliorem me facere Ideae Platonicae poſſunt? quid ex iſtis traham, quod cupiditates meas comprimat? Vel hoc ipſum, quod omnia iſta quae ſenſibus ſerviunt, quae nos accendunt et irritant, negat Plato ex iis eſ-
24 ſe quae vere ſint. Igitur iſta imaginaria ſunt, et ad tempus aliquam faciem ferunt: nihil horum ſtabile, nec ſolidum eſt. et nos tamen cupimus tanquam aut ſemper futura, aut ſemper habituri. Imbecilli fluidique per intervalla conſiſtimus: mittamus animum ad illa quae aeterna ſunt. miremur in ſublimi volitantes rerum omnium formas: Deumque inter illa verſantem, et

k. *vacatione.* Eraſinum ſequor. Gruterus tamen in libris ſuis, uti Modius in uno (v. Epiſt. 132. novant. Lectt.) *natione*, quod ille explicat: ex omni ſecta et genere hominum. Muretus mallet *tractatione*. Lipſius, quod in ora quorundam librorum eſt, *oratione*. Sed vulgata non eſt tentanda. Otio, ait, ita utor, ut utile mihi fiat.

23. *Hoc ego — efficere.*] Exempla ſupra iam vidimus Ep. LV, 3. LVII, 2. *vacatio* autem opera ſubſeciva, quae non propter officium, ſed otii et oblectamenti cauſſa tractamus. Ipſa enim oblectamenta, monuerat §. 22. opera ſint. Cf. Ep. LXII.

24. *miremur*] Similia ſane praeclara occurrunt haud ſemel apud noſtrum, utique N. Q. I. praef. Tunc, ibi ait, conſummatum habet plenumque bonum ſortis humanae, quum calcato omni malo, petit altum, et in interiorem naturae ſinum venit. Tunc iuvat inter

et hoc providentem, quemadmodum quae immortalia facere non potuit, quia materia prohibebat, defendat a morte, ac ratione vitium corporis vincat. Manent 25
enim cuncta, non quia aeterna sunt, sed quia defenduntur curâ regentis. Immortalia tutore non egent. haec conservat artifex, fragilitatem materiae vi suâ vincens. Contemnamus omnia, quae adeo pretiosa non sunt, ut an sint omnino, dubium sit. Illud simul co- 26
gitemus, si mundum ipsum non minus mortalem, quam nos sumus, providentia periculis eximit, [1]potest tandem aliquatenus nostra quoque providentia prorogare huic corpusculo moram, si voluptates, quibus pars maior perit, potuerimus regere et coërcere. Plato 27
ipse ad senectutem se diligentiâ pertulit. Erat quidem

1. *potest tandem aliquatenus nostra quoque providentia prorogare huic corpusculo moram.* Est vetus scriptura, quam Gronovius recte tuetur contra Pincianum, qui dedit invitis mss.: *posse tandem*, ut ab τῷ *cogitemus* pendeat. Lipsius: *posse tamen — providentia longiorem prorogari.* Sic et editio vetus, nisi quod *prorogare* praefert.

inter sidera ipsa vagantem divitum pavimenta ridere etc.

26. *Illud simul cogitemus — eximit.*] Ne putes nostrum sibi ipsum contradicere, qui antea §. 21. mundum aeternam rem et invictam vocasset, recorderis, mundum triplici sensu accipi a Stoicis. Noster N. Q. I. praef. ait: Quid est Deus? Mens universi. Quid est Deus? totum quod vides et quod non vides totum. Mundus est itaque primum Deus ipse, deinde coelum, terra et omnes naturae illis comprehensae, denique systema deorum, hominum et naturarum, quae istorum causa creatae sunt. Diog. Laert. VII, 137. Aeternus autem est mundus, quatenus principia omnium rerum in se continet, sive quia Deus saepe mundus vocatur: mortalis est iste mundus quem vidimus, cuius naturam habitumque delectum iri statuebant conflagratione, *ἐκπυρώσει*, h. e. sparsum iri in elementa. Cf. post Lipsii Physiol. Stoic. I, 8. II, 6. Tiedemanni System der St. Phil. II, p. 70 sqq. *pars maior*, nostrum.

27. *Plato — diligentia*] i. prudentia. Mortuus est anno aetatis LXXXI peracto, Ol. CVIII,

corpus validum ac forte ſortitus, et illi nomen latitudo pectoris fecerat: ſed navigationes ac pericula multum detraxerunt viribus; parſimonia tamen, et earum quae aviditatem evocant modus, et diligens ſui tutela, perduxit illum ad ſenectutem, multis prohibentibus cauſis. Nam hoc ſcis, puto, Platoni diligentiae ſuae beneficio contigiſſe, quod natali ſuo deceſſit, et annum unum atque octogeſimum implevit, ſine ulla
28 deductione. Ideo Magi, qui forte Athenis erant, immolaverunt defuncto, amplioris fuiſſe ſortis quam humanae rati, quia conſummaſſet perfectiſſimum numerum, quem novem novies multiplicata componunt. Non dubito, quin paratus eſſet paucos dies ex iſta ſumma, et ſacrificium, remittere. Poteſt frugalitas producere ſenectutem: quam ut non puto concupiſcendam,
29 ita ne recuſandam quidem. Iucundum eſt, eſſe ſecum quam diutiſſime, quum quis ſe dignum quo frueretur, effecit. Itaque de iſto feremus ſententiam, an oporteat faſtidire ſenectutis extrema, et fidem non opperiri, ſed manu facere. Prope eſt a timente, qui fatum

CVIII, 1. quum natus eſſet Ol. LXXXVII, 4. Cf. Tennemanni Syſtem der Plat. Phil. Vol. I. *latitudo* pectoris, prius enim Ariſtocles nominabatur. De Platonis *navigationibus* in Italiam, Cyrenen, Siciliamque ab omnibus Hiſt. phil. auctoribus actum eſt, a Brucker. I, p. 633 ſq. Meiners II, p. 688. et nuper Tennemann. l. l. *natali ſuo*, qui fuit menſis Thargelionis (Aprilis) ſeptimus dies. Plutarcho auctore Quaeſt. conviv. VIII, 1. et D. Laertio. Lipſ.

28. *Magi*] Ex his aſſectatoribus Zoroaſtris ad eius legislationem et doctrinam conſervandam conſtitutis (cf. Heeren Ideen II, p. 420 ſq.) inprimis poſt Xerxis tempora quosdam graecas urbes conveniſſe dubitari nequit. Exemplum praebet Oſthanes: vid. Brucker I, p. 159 ſq.

29. *Itaque de iſto feremus ſententiam.*] Propter amorem ſui averſabantur Stoici mortem ſibi conſciſcere: ſed liberum oſtium habere quemvis aſſerebant. Cf. Lipſii Manud. III, 22. Senec. Ep. XXVI, 9 not. XXIX, 8. XXX, 10. LXX, 6. LXXXII, 14.

fatum ſegnis exſpectat: ſicut ille ultra modum deditus vino eſt, qui amphoram exſiccat, et faecem quoque exſorbet. De hoc tamen quaeremus, pars ſum- 30
mae vitae, utrum faex vitae haec ſit, an liquidiſſimum ac puriſſimum quiddam: ſi modo mens ſine iniuria eſt, et integri ſenſus animum iuvant, nec defectum et praemortuum corpus eſt. Plurimum enim refert, vitam aliquis extendat, an mortem. At ſi inutile miniſteriis eſt corpus, quidni oporteat educere animum laborantem? et fortaſſe paulo ante quam debet, fa- 31
ciendum eſt, ne quum fieri debeat, facere non poſſis: et quum maius periculum ſit male vivendi, quam cito moriendi, ſtultus eſt qui non exigui temporis mercede magnae rei aleam redimit. Paucos longiſſima ſenectus ad mortem ſine iniuria pertulit. multis iners vita ſine uſu iacuit ſui. Quanto deinde crudelius iudicas, aliquid ex vita perdidiſſe, quamvis finienda? Noli me invitus audire, tanquam ad te iam per- 32
tineat iſta ſententia: ſed quid dicam aeſtima. Non relinquam ſenectutem, ſi me totum mihi reſervabit: totum autem ab illa parte meliore. At ſi coeperit concutere mentem, ſi partes eius convellere, ſi mihi non vitam reliquerit, ſed animam: proſiliam ex aedificio putrido ac ruenti. Morbum morte non fugiam, dum- 33

30. *utrum faex vitae haec ſit.*] Laudat Lipſius Antiphanem Comicum Stob. Floril. Serm. 117. (Brunk. poet. gnom. p. 186, VIII.) Σφόδρ' ἐστὶν ἡμῶν ὁ βίος οἴνῳ προσφερής· Ὅταν ᾖ τὸ λοιπὸν μικρὸν, ὄξος γίγνεται. Cf. Ep. XXVI, 2. *mens ſine iniuria* i. illaeſa, ſana. Hac enim aetate, qua noſter floruit, vox iniuria idem valere coepit quod impedimentum, detrimentum, laeſio. Vide Sen. N. Q. VI, 18. 32. VII, 31. Plin. 13, 24 extr. etc.

31. *Quanto — finienda?*] Verba adverſae ſententiae, non debere finiri. L.

32. *ab illa parte meliore*] i. anima, mente, *animam* qua quis plantarum modo degit: opponitur verae vitae. *aedificio — ruenti.* Stobaeus Serm. 118. Gorgiae Leontino hoc adſcri-

taxat ſanabilem, nec officientem animo: non afferam mihi manus propter dolorem. ſic mori, vinci eſt. Hunc tamen ſi ſciero perpetuo mihi eſſe patiendum: exibo non propter ipſum, ſed quia impedimento mihi futurus eſt ad omne, propter quod vivitur. Imbecillus eſt et ignavus, qui propter dolorem moritur: ſtultus, qui doloris cauſa vivit. Sed in longum exeo: eſt praeterea materia quae ducere diem poſſit. Et quomodo finem vitae imponere poterit, qui epiſtolae non poteſt? Vale ergo: quod libentius quam [m] mortis moras lecturus es.

EPISTOLA LIX.

Lucilio teſtatur voluptatem, quam ex eius epiſtola perceperit, eamque, voluptatis et gaudii diſcrimine expoſito, et ab oratione et a materia laudat. Nec reprehendendum cenſet, quod imaginibus orationem diſtinxerit, quippe quae ad animum diſcentis audientisve regendum vel philoſopho non indignae ſint. Sic Sextius imaginem exercitus pugnae parati de ſapiente adhibuerat. Hinc occaſionem ſumit, in quaeſtionem transeundi, cur ſtultitia nos tam tenaciter teneat. Non omni impetu, reſpondet, utimur ad eam cognoſcendam et repellendam: nimium nobis placemus, idoque et nosmetipſos decipimus et ab aliis decipi patimur, inprimis adulatione. Denique docet, quomodo quisque intelligat, ſe non eſſe ſapientem.

Magnam

m. *mortis moras.* Plurimorum codd. et antiq. edd. lectio eſt, et ea optima, quam Lipſius Epiſtol. quaeſt. V, 5. fruſtra mutavit in: *mortis meras*, temere probante Mureto. In nonnullis codd. erat mera aberratio librariorum: *mortes meas*, Eraſmo etiam notante. Haec loquutio *mortis mora* Senecae non hic ſolum uſurpata. cf. Ep. VII, 3. LXXXII, 11. Recte ſic fere, argumenti quoque poſtremae epiſtolae ratione habita, vulgatam Gronovius.

adſcribit, *qui ſenex interrogatus: ecquid libens moveretur?* Μάλιστα, ἔφην, ὥσπερ γὰρ ἐκ σαπροῦ καὶ ῥέοντος οἰκιδίου ἀσμένως ἀπαλλάττομαι. *Maxime inquit;* nam ut ex putri et diffluente domuncula non invitus abeo. L.

33. *quae ducere diem poſſit*] i. conſumere. Vber enim haec materies et disputatio. Proprie materia per diem colloquendo duci-

Magnam ex epiſtola tua percepi voluptatem. permitte enim mihi uti verbis publicis; nec illa ad ſignificationem Stoicam revoca. Vitium eſſe voluptatem credimus. Sit ſane: ponere tamen illam ſolemus ad demonſtrandam animi hilarem affectionem. Scio, inquam, et voluptatem, ſi ad noſtrum [a] album verba dirigimus, rem infamem eſſe, et gaudium niſi ſapienti non contingere. Eſt enim animi elatio, ſuis bonis viribusque fidentis. vulgo tamen ſic loquimur, ut dicamus, magnum gaudium nos ex illius conſulatu, aut ex nuptiis, aut ex partu uxoris percepiſſe: quae adeo non ſunt gaudia, ut ſaepe initia futurae triſtitiae ſint. Gaudio autem iunctum eſt, non deſinere, nec in con- 2
traria verti. Itaque quum dicit Virgilius noſter: „Et mala mentis Gaudia:“ diſerte quidem dicit, ſed parum proprie: nullum enim malum gaudium eſt. Voluptatibus hoc nomen impoſuit, et quod voluit, expreſſit: ſignificavit enim homines, malo ſuo laetos. tamen ego non immerito dixeram, cepiſſe me magnam ex

a. *album.* Hanc ſcripturam Rud. Agricola ex ingenio reſtituit, Eraſmo probante. Optime. Olim cuſi *noſtrum alvum*, cod. Col. *noſtrum animum.*

ducitur, producitur. Cf. Heyne ad Tibull. I, 4, 5. Alii explicant, materiam in nobis eſſe, quae mortem differre poſſit, loquendi tamen uſu repugnante.

1. *verbis publicis*] i. popularibus. cf. Ep. III, 1. *ſignificationem Stoicam.* Saepe de hoc paradoxo monuimus, e. c. ad II de Ira 6. Stoicos ſic loqui, ut velle bonum, gaudere eo adepto, et cavere ſ. devitare malum, negent niſi ſapientem: ſtultum autem nonniſi cupere, laetari, ideoque et *voluptate* uti, metuere, contriſtari, ut Auguſtini de Civit. Dei XIV, 8. verbis utar. Cf. Daviſ. ad Cic. Tuſc. IV, 6. et ad Maxim. Tyr. p. 504. De *Gaudio* cf. Ep. XXIII.

2. *Virgilius*] Aen. VI, 278. 279. qui tamen contra has Senecae argutias vel eo defenditur, quod verbis publicis uſus ſit, non ad ſignificationem ſtoicam revocatis. Nec poeta hoc dignum fuerit. *diſerte* i. clare et diſtincte.

3 epiſtola tua voluptatem. quamvis enim [b]ex nomine iuſta cauſa imperitus homo gaudeat, tamen affectum eius impotentem, et in diverſa ſtatim inclinaturum, voluptatem voco, opinione falſi boni motam, immodicatam et immodicam. Sed ut ad propoſitum revertar, audi quid me in epiſtola tua delectaverit. habes verba in poteſtate: non effert te oratio, nec longius
4 quam deſtinaſti, trahit. Multi ſunt, qui ad quod non propoſuerant ſcribere, alicuius verbi decore placentis vocentur: quod tibi non evenit. preſſa ſunt omnia, et rei aptata. Loqueris quantum vis, et plus ſignificas quam loqueris. Hoc maioris rei indicium eſt. apparet, animum quoque nihil habere ſupervacui, nihil tumidi. Invenio tamen translationes verborum, [c]ut non temerarias, ita non indecoras. Itaque periculum

b. *ex nomine iuſta cauſa.* Sic editio vetus: in cod. Pal. tert. Grut. *nomine* ſuperpicta lineis. Sententia auctoris poſtulat hanc vocem, quae ap. Eraſmum multorum codd. indicio nixum deeſt: aliae tamen membranae Grut. et Lipſii habent: *ex homine iſta cauſa.* Eraſmus *ex iſta cauſa*, Lipſius aliique *ex iuſta c.* at edit. Varior. *iuſta c.* Mox *motam* editio vetus habet, reſtitutam recte ex mss.

c. *ut non temerarias, ita non indecoras. Itaque* etc. Sic ed. vet. Nec abludit multum Eraſm., quippe qui *Itaquae*, et nonnulli codd. At Pinciani plerique codd. omittunt voces: *ita non indecoras.* Sed bene ſtare poſſunt. Seneca quidem has translationes probat, at quid alii facturi ſint, exſpectandum iubet.

3. *imperitus homo*] ſtultus, Φαῦλος, ſapienti oppoſitus. *affectum eius impotentem*, nullius dominii patientem. *non effert te oratio* ad impetum dicendi, ad tumorem, te concitat: quod in argumentis moratioribus contingere ſolet ingeniis acrioribus.

4. *Multi ſunt — vocentur:*] Quod v. c. adeo in Platone veteres critici reprehendebant. Vide Meiners II, p. 693. 695. ubi loca veterum allata ſunt. *preſſa*, de brevitate nervoſa. Cf. Erneſti Lexic. Lat. Technol. in *Preſſus*, ubi noſtrum locum quoque advertit. *Loqueris — loqueris.* Eſt ἔμφασις, quam Cic. Or. III, 53. explicat plus ad intelligendum quam dixeris ſignificatio: et in Orat. 40. ſignificatio ſaepe erit maior, quam oratio. Cf. Erneſti l. l. ſub: *Significatio.*

culum ſui fecerint. Invenio imagines: quibus ſi quis 5
nos uti vetat, et poëtis illas ſolis iudicat eſſe conceſſas, neminem mihi videtur ex antiquis legiſſe, apud quos nondum captabatur plauſibilis oratio. Illi qui ſimpliciter, et demonſtrandae rei cauſa eloquebantur, parabolis referti ſunt: quas exiſtimo neceſſarias, non ex eadem cauſa quâ poëtis, ſed ut imbecillitatis noſtrae adminicula ſint, et ut diſcentem et audientem in rem praeſentem adducant. Sextium ecce quummaxime 6
lego, virum acrem, Graecis verbis, Romanis moribus philoſophantem. movit me imago ab illo poſita: ire quadrato agmine exercitum, ubi hoſtis ab omni parte ſuſpectus eſt, pugnae paratum. Idem, inquit, ſapiens facere debet: omnes virtutes ſuas undique expandat, ut ubicunque infeſti aliquid oritur, illic parata praeſidia ſint, et ad nutum regentis ſine tumultu reſpondeant. Quod in exercitibus his quos imperato- 7
res

5. *imagines.*] Vides hic *imagines* et *parabolas* eadem vi poni. Aliter discrimen inſtituit Bergerus de natura pulcr. Orat. p. 293. ap. Erneſt. Lexic. Lat. Technol. ſub *Imago.* et Lex. Gr. Techn. Παραβολή. *plauſibilis oratio*, quae meditata et ad ornatum comparata erat, qua illis placeat qui audiant vel legant, ἐπιδεικτικῷ et δημοτέρπει: opponuntur πολιτικοὶ, qui magis veritatem rerum cognoſcendarum, quam artis et ingenii admirationem quaerunt. Vid. Erneſti Lexic. Graec. Techn. in Ἐπιδεικτικόν.

6. *Sextium*] hoc ipſo tempore lego. Q. Sextius fuere pater et filius uterque philoſophiae ſtudiis ſcriptisque nobiles. Flavianus fuit ſectae Q. Sextii aſſecla. Seneca pater lib. III Controv. in praef. Plin. N. H. 18, 28. Claudianus Mamertus de anima II, 9. quaedam eius latine citat, ſed ab ipſo fortaſſe verſa. Vide Lipſium in Manud. I, 6. et II de Ira 36, 1 not. In ſententiis, quae ei tribuuntur in Opuſc. myth. et eth. p. 645 ed. Gale nullum earum ſententiarum, quae hic laudantur, veſtigium reperitur. Enimvero facile eſt ad intelligendum, illas ſententias, niſi ſint fetus Chriſtiani cuiusdam, tamen eſſe a Chriſtiano ubique interpolatas. Ceterum hominis vitam eſſe iugem militiam vidimus Ep. LI, 5 not.

res magni ordinant, fieri videmus, ut imperium ducis simul omnes copiae sentiant, sic dispositae, ut signum ab uno datum, peditem simul equitemque percurrat: hoc aliquanto magis necessarium esse nobis, Sextius ait. Illi enim saepe hostem timuere sine causa, tutissimumque illis iter, quod suspectissimum fuit: nil stultitia pacatum habet. tam superne illi metus est,
8 quam infra. utrumque trepidat latus. Sequuntur pericula et occurrunt, ad omnia pavet: imparata est, et ipsis terretur auxiliis. Sapiens autem, ad omnem incursum munitus et intentus, non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem referet. Interritus et contra illa ibit, et inter illa. Nos multa alligant, multa debilitant: diu in istis vitiis iacuimus, elui difficile est. non enim
9 inquinati sumus, sed infecti. Ne ab alia imagine ad aliam transeamus, hoc quaeram, quod mecum saepe dispicio, quid ita nos stultitia tam pertinaciter teneat. Primo quia non fortiter illam repellimus, nec toto ad salutem impetu nitimur: deinde, quia illa quae a sapientibus viris reperta sunt, non satis credimus, nec apertis pectoribus haurimus, leviterque tam magnae
10 rei insistimus. Quemadmodum autem potest aliquis, quantum satis sit, adversus vitia discere, qui quantum a vitiis vacat, discit? Nemo nostrum in altum descendit. summa tantum decerpsimus: et exiguum temporis

8. *alligant*,] manet in illa militari imagine: *capti alliguntur*, *tenentur*. Vide ad Epist. XXIV, 16.

10. *Quemadmodum — discit?*] Quomodo aliquis arma sibi comparare potest satis valida, quibus ad debellanda vitia feliciter uti possit, qui sapientiae studium inter subsiciva habet, discens tantummodo, quibus nunc careat vitiis, de caeteris, quae impetum in eum facere possint, et de remediis contra ea acquirendis parum sollicitus. *Nemo — descendit.* Simile est illud Persii Sat. IV, 23. Vt nemo in sese tentat descendere, nemo!

ris impendiſſe philoſophiae, ſatis abundeque occupatis
fuit. Illud praecipue impedit, quod cito nobis pla- 11
cemus: ſi invenimus qui nos bonos viros dicat, qui
prudentes, qui ſanctos, agnoſcimus. Nec ſumus mo-
dica laudatione contenti: quidquid in nos adulatio fi-
ne pudore congeſſit, tanquam debitum prendimus:
optimos nos eſſe, ſapientiſſimos, affirmantibus aſſen-
timur, [d] quum ſciamus illos ſaepe mentiri. Adeoque 12
indulgemus nobis, ut laudari velimus in id, cui con-
traria quummaxime facimus. Mitiſſimum ille ſe in
ipſis ſuppliciis audit, in rapinis liberaliſſimum, in
ebrietatibus ac libidinibus temperatiſſimum. Sequitur
itaque, ut ideo mutari nolimus, quia nos optimos
eſſe credimus. Alexander quum iam in India vagare-
tur, et gentes, ne finitimis quidem ſatis notas, bello
vaſtaret, in obſidione cuiusdam urbis, dum circuit
muros, et dum imbecilliſſima moenium quaerit, ſagit-
tâ ictus, [e] diu perſedere, et incepta agere perſevera-
vit. Deinde quum, repreſſo ſanguine, ſicci vulneris 13
dolor

d. *quum ſciamus illos ſaepe mentiri.* Dilutum eſt, et velim, *illos ſpei mentiri*: quod eſſet, quum ſciamus, haec dari ſpei, qua a nobis aliquid captant. L. Omnes codd. tuentur vulgatum, quod bene habet. Edit. vetus: *cum ſciamus, illos multa mentita.*

e. *diu perſedere et incepta agere perſeveravit.* Sic Modius Muretusque ſuaſu codd. Editio quoque vetus haud multum abit; nam habet: *ſagitta diuictus perſedere* etc. Eraſmus: *diu perſtitit in re.* Lipſius em. *pergere.* Codex Col. *perſtitit ire.* Sed vulgatum bonum eſt. *Perſedit* enim in equo. Cf. not.

12. *cui contraria quummaxime facimus.*] i. hoc ipſo fere tempore. Vide Erneſti clav. Cic. in Cummaxime. *Alexander.* A multis auctoribus haec traduntur, quos collegit Freinshem. ad Curt. VIII, 10. Vrbem Mazagae tenebant. Pedes ibat quum vulneraretur in ſura: teli ſpiculo evulſo admoveri equum iuſſit, quo vectus ne obligato quidem vulnere haud ſegnius deſtinata exſequebatur; ideoque *diu perſedit in equo*, dum cunctis perſpectis mandatisque in caſtra ſe reciperet. Freinshemius recte ibi iudicat, Senecam et Curtium rem expreſſiſſe, verbis neglectis. Noſter vero brevius extulit factum.

dolor creſceret, et crus equo ſuspenſum paulatim obtorpuiſſet, coactus abſiſtere, „Omnes," inquit, „iurant me Iovis eſſe filium, ſed vulnus hoc hominem eſſe me clamat." Idem nos faciamus: quum pro ſua quemque portione adulatio infatuat, dicamus: Vos quidem me dicitis prudentem eſſe: ego autem video quam multa inutilia concupiſcam, nocitura optem. ne hoc quidem intelligo, quod animalibus ſatietas monſtrat, quis cibo debeat eſſe, quis potioni modus: 14 quantum capiam, adhuc neſcio. Iam docebo, quemadmodum intelligas te non eſſe ſapientem? Sapiens ille eſt, qui plenus gaudio, hilaris et placidus, inconcuſſus, cum diis ex pari vivit. Nunc ipſe te conſule: ſi nunquam moeſtus es, nulla ſpes animum tuum futuri exſpectatione ſollicitat, ſi per dies noctesque par et aequalis animi tenor erecti et placentis ſibi eſt: per- 15 veniſti ad humani boni ſummam. Sed ſi appetis voluptates, et undique, et omnes: ſcito tantum tibi ex ſapientia, quantum ex gaudio, deeſſe. Ad hoc cupis pervenire, ſed erras, qui inter divitias illuc venturum eſſe te ſperas. Inter honores gaudium, id eſt, inter ſolicitudines quaeris? iſta quae ſic petis, tanquam datura laetitiam ac voluptatem, cauſae dolorum ſunt. Omnes, inquam, illi tendunt ad gaudium: ſed unde ſtabile magnumque conſequantur, ignorant.

Ille

13. *abſiſtere*] ab equo. Exclamationem illam, in qua Alexandrum vulneratum alluſiſſe putant ad Hom. Il. V, 340. Curtius l. l. ſic extulit: *Se quidem Iovis filium dici, ſed corporis aegri vitia ſentire.*

14. *Sapiens ille eſt,*] Saepe de hoc paradoxo ſtoico monuimus, adducto Lipſio in Manuduct. III, 14.

15. *tanquam datura — voluptatem.*] Non ut Stoicus loquitur hic, ſed verbis publicis utitur. *Omnes tendunt — ad gaudium:* comparare poſſis cum εὐδαιμονίᾳ, felicitate recte intellecta, de qua noſtris temporibus et veteris philoſophiae aſſectatores et ii, qui e Criticae ſpatiis profecti ſunt, tantopere inter ſe digladiantur.

Ille ex conviviis et luxuria: ille ex ambitione, et cir- 16
cumfusa clientium turba: ille ex amica: alius ex studiorum liberalium vana ostentatione, et nihil sanantibus literis. Omnes istos oblectamenta fallacia et brevia decipiunt: sicut ebrietas, quae unius horae hilarem insaniam, longi temporis taedio pensat. sicut plausus et acclamationis secundae favor, qui magna solicitudine et partus est, et expiandus. Hoc ergo 17
cogita, hunc esse sapientiae effectum, gaudii aequalitatem. Talis est sapientis animus, qualis mundi status super Lunam. semper illic serenum est. Habes ergo, quare velis sapiens esse: quia nunquam sine gaudio est. Gaudium hoc non nascitur, nisi ex virtutum conscientia. Non potest gaudere, nisi fortis, nisi iustus, nisi temperans. Quid ergo, inquis? stulti ac mali non gaudent? Non magis, quam praedam nacti leones. Quum fatigaverunt se vino et libi- 18
dinibus, quum illos nox inter vina defecit, quum voluptates angusto corpori ultra quam capiebat ingestae suppurare coeperunt, tunc exclamant miseri Virgilianum illum versum:

Nam-

16. *et nihil sanantibus literis.*] dum quaestiones de rebus mythologicis et similibus facerent deque iis disputarent. Exemplo sit Calvisius Ep. XXVII. Conf. de Brevit. vit. c. 13. *expiandus.* de recitationibus, quibus ille plausus paritur, sermo est. Cf. Ep. LII, 13. Sequitur autem istum tam male partum favorem invidia et iusta reprehensio: quibus perpetiendis ille plausus pensatur.

17. *mundi status*] i. coeli. Cf. III de Ira 6, 1. not. Addas Ocellum Lucanum (Opusc. mythol. phys. et ethic. p. 516.) ἰσθμὸς (separatio) γάρ ἐστιν ἀθανασίας καὶ γενέσεως ὁ περὶ τὴν σελήνην δρόμος· τὸ μὲν ἄνωθεν ὑπὲρ ταύτης πᾶν καὶ τὸ ἐπ' αὐτὴν θεῶν κατέχει γένος· τὸ δ' ὑποκάτω σελήνης νείκους καὶ φύσεως. Partes itaque universi, quae supra et in luna sunt, divinam ad naturam spectant: infra lunam est regio pugnae et generationis.

18. *Virgilianum illum*] Aen. VI, 513. 514.

Namque ut ſupremam falſa inter gaudia noctem
Egerimus, noſti.

Omnem luxurioſi noctem inter falſa gaudia, et quidem tanquam ſupremam, agunt. Illud gaudium, quod deos deorumque aemulos ſequitur, non interrumpitur, non deſinit: deſineret, ſi ſumtum eſſet aliunde. Sed quia non eſt alieni muneris, nec arbitrii quidem alieni [f]eſt. Quod non dedit fortuna, non eripit.

EPISTOLA LX.

Vota vulgi ſpernenda. Naturam audiendam eſſe. Acerba expoſtulatio cum luxu, at ea egregia, multaque complectens, etſi preſſior ſit oratio, quae plura ſignificat, quam loquitur. Cf. Ep. XXXI. Hanc et ſequentem utramque pro laciniis aut fragmentis habuit Muretus. Sed recte monuit Lipſius, eſſe cogitationes et μελετήματα Senecae, quae voluit Epiſtolarum titulo venire in lucem.

Queror, litigo, iraſcor. Etiamnunc optas quod tibi optavit nutrix tua, aut paedagogus, aut mater? Nondum intelligis, quantum mali optaverint? O quam inimica nobis ſunt vota noſtrorum! eo quidem inimiciora, quo ceſſere felicius. Iam non admiror, ſi omnia nos a prima pueritia mala ſequuntur: inter exſecrationes parentum crevimus. [a]Exaudiant quoque dii noſtram pro nobis vocem gratuitam! Quousque poſcemus

f. *eſt* adieci ex ed. Eraſm. et ſuaſu editionis veteris atque Mureti.

a. *Exaudiant quoque dii noſtram pro nobis vocem gratuitam.* Sic Eraſmus, ed. vetus et omnes mss. Grut. Perperam itaque Muretus et al. *Ex. dii quandoque noſtram vocem g.* Lipſius aliique:

1. *Etiamnunc — mater?*] Eadem occurrunt Ep. XXX, 2. 4. quae conferri merentur. Externa, fortuita et aliena ſemper fere optant nobis parentes et amici, rariſſime ſapientiam, ideoque magis illa in loco exſecrationum, quam votorum habenda ſunt. *Exaudiant — gratuitam!* i. quae mercedem non trahat, externa non poſcat.

ſcemus aliquid deos, quaſi nondum ipſi alere nos poſſimus? Quamdiu ſationibus implebimus magnarum ur- 2
bium campos? quamdiu nobis populus meret? quamdiu unius menſae frumentum multa navigia, et quidem non ex uno mari, ſubvehent? Taurus pauciſſimorum iugerum paſcuis impletur: una ſilva elephantis pluribus ſufficit: homo et terra paſcitur, et mari. Quid ergo? tam inſatiabilem nobis natura alvum dedit, quum tam modica corpora dediſſet, ut vaſtiſſimorum edaciſſimorumque animalium aviditatem vinceremus? minime. Quan- 3
tulum eſt enim quod naturae datur? parvo illa dimittitur. Non fames nobis ventris noſtri magno conſtat, ſed ambitio. Hos itaque, ut ait Salluſtius, ventri obedientes animalium loco numeremus, non hominum: quosdam vero ne animalium quidem, ſed mortuorum. Vivit is, qui ſe utitur: qui vero latitant et

E. quoque d. n. pro votis v. g. Mox *unius menſae frumentum.* Plerorumque codd. et edd. lectio eſt, haud dubie non tentanda. Modius tamen quum in cod. inveniſſet *menſae ſtrumentum* inde faciendum putavit *m. inſtrumentum* apparatumque conviviorum intelligens, qui fere peregrinis deliciis inſtruebatur.

2. *Quamdiu — campos?*] Latifundia, quae ex agris magnarum urbium ſaepe exorta erant, notat. Nam potentiores, patriciique inde a Reip. Romanae primordiis agros ab hoſte captos, agrum autem publicum vocabant, egenis diſtribuendos primo conduxerunt. deinde, poſſeſſione diuturna accedente, ſuarum divitiarum partes fecerunt; eorum adeo acquirendorum cauſa bella a Romanis ſuscepta atque continuata ſunt. Hinc illa latifundia maximam partem derivanda ſunt, quae recte in cauſis quibus Resp. Rom. ad interitum rueret, praecipuo loco ponuntur. *populus* tota natio aut provincia meſſem nobis faciet. L. *unius* ſ. domini et domus, *menſae.* Legiones enim illae ſervorum, ut Plinius appellat, multum frumentum requirebant, et adde quotidianam hoſpitalem menſam. Ep. LXXXIX, 17. L.

3. *Salluſtius,*] Catilin. init. *Vivit is — utitur:* cf. Epiſt. LV,

et torpent, ſic in domo ſunt, tanquam in conditivo. Horum licet in limine ipſo nomen marmori inſcribas, mortem ſuam anteceſſerunt.

EPISTOLA LXI.

Exponit id agendum eſſe, ut veteribus vitiis finem imponamus, et lubentiſſime id faciamus, quod nobis incumbit. Ita efficiemus, ut ad mortem quotidie praeparati bene vivamus, et bene id eſt libenter moriamur.

Deſinamus quod voluimus velle. Ego certe id ago ſenex, [a]ne videar eadem velle, quae puer volui. In hoc unum eunt dies, in hoc noctes: hoc opus meum eſt, haec cogitatio, imponere veteribus malis finem. Id ago, ut mihi inſtar totius vitae ſit dies. Nec mehercules tanquam ultimum rapio, ſed ſic illum adſpicio, tanquam eſſe vel ultimus poſſit. Hoc animo tibi hanc epiſtolam ſcribo, tanquam quummaxime ſcriben-

a. *ne videar velle, quae puer volui.* Sic Rom. ed. Muretus et codd. aliquot. Recte, ſenſu poſtulante. Alii autem, uti Eraſmus, editio vetus et codd. aliquot omittunt τὰ· *ne videar.* Sequentia tamen errorem hunc facile evincunt.

LV, 4 ſqq. *conditivo*, ſepulchro, ubi condimur, quod *conditorium* Suetonio, utrique Plinio. L. *nomen marmori*, ritu ſepulchrorum, *Talis hic ſitus eſt.* L. Sic ſupra de Vatia dixit Ep. LV, 5.

1. *veteribus malis*] vitiis, quibus inde a pueritia adſuevi. *ut mihi inſtar totius vitae ſit dies* i. ut ex uno die vita mea tota iudicari poſſit: inſtar enim eſt imago. *Nec mehercules — rapio*, nec puto, hunc diem fore ultimum, ideoque eum, ut ultimum omni dedita opera optime transigo. Sic Epiſt. XXXVIII, 2. idonea mens rapiat illa (praecepta) et in ſe trahat. Lipſius aliter: nec more vulgi voluptatibus me perfundo: ſed, quod addit, craſtinum mihi non ſpondeo. Sophocles Trachin. 944 ſq. ea mente: — ὥρ' εἴ τις δύο Εἰ καὶ πλείους τις ἡμέρας λογίζεται, Ματαιός ἐστιν· οὐ γὰρ ἐσθ' ἡ γ' αὔριον, Πρὶν εὖ πάθῃ τὴν παροῦσαν ἡμέραν.

bentem mors evocatura ſit. Paratus exire ſum, et ideo fruor vita: quia quam diu futurum hoc ſit, [b]non nimis pendeo. Ante ſenectutem curavi, ut bene viverem: in ſenectute, ut bene moriar. Bene autem mori, eſt libenter mori. Da operam, ne quid unquam invitus facias. [c]quidquid neceſſe eſt, futurum eſt repugnanti. in volentem neceſſitas non eſt. Ita dico, qui imperia libens excipit, partem acerbiſſimam ſervitutis effugit, facere quod nolit. Non qui iuſſus aliquid facit, miſer eſt: ſed qui invitus facit. Itaque ſic animum componamus, ut quidquid res exiget, id velimus: et in primis finem noſtri ſine triſtitia cogitemus. ante ad mortem, quam ad vitam, praeparandi ſumus. Satis inſtructa vita eſt: ſed nos [d]inſtrumentorum eius avidi ſumus. Deeſſe nobis aliquid videtur, et ſemper videbitur. Vt ſatis vixerimus, nec anni nec dies facient, ſed animus. Vixi, Lucili cariſſime, quantum ſatis erat: mortem plenus exſpecto. 2 3

b. *non nimis pendeo.* Sic Eraſmus divinavit, a duobus Pal. poſtea confirmatus. Eraſmus in editione habet, una cum ed. vet. et aliquot codd. *non minus pendo:* alii *nemini pendo:* Hinc Pincian. mallet: *non animi pendeo*, vel certe, *minimi pendo.* Hoc poſtremum recepit Mur.

c. *quidquid neceſſe eſt, futurum eſt repugnanti. in volentem neceſſitas non eſt.* Antea: *q. n. e. f. e. Repugnanti, non volenti neceſſitas eſt: in volente neceſſitas non eſt.* Omnes mss. arguunt haec νοθεῖας: oſtendunt autem, nec nimis ſagaci, ſcribendum eſſe: *quidquid n. e.* etc. Quomodo et Gruterus, niſi quod maluimus ex duobus *in volentem:* eſt enim neceſſitas velut agens εἰς τινα, quod ſic melius exprimitur. Et ſic edd. ante Frobenianam. Gronov.

d. *inſtrumentorum eius avidi ſ.* Scripti et editio vetus, *inſtrumento eius:* Eraſmus vulgatam propagavit. Lipſius em. *inſtruendae eius av. ſ.*

3. *Vixi*] Huc ſpectat illud egregium Didonis effatum apud Virgil. Aen. IV, 653. Vixi, et quem dederat curſum fortuna peregi etc. Cf. Ep. XII, 8 ſq. *plenus*, ſatiatus, ſ. propoſito expleto.

EPISTOLA LXII.

Eos reprehendit, qui, ut in urbe magna, utique in Metropoli, multis occasionibus tempus perdendi abundante fieri solet, turba negotiorum suorum impediri sese, queruntur, quominus literarum liberalium studiis se dare possint. Semper enim vestare tempus monet, quo ad emendationem sui quisque uti possit. Semper suum esse iubet, et cum optimis, vivant mortui sint, morandum. Sic Demetrium laudat, quo et exemplo et praeceptore se uti fatetur.

Mentiuntur, qui sibi obstare ad studia liberalia turbam negotiorum videri volunt: simulant occupationes, et augent, et ipsi se occupant. Vaco, mi Lucili, vaco: et ubicunque sum, meus sum. Rebus enim non me trado, sed commodo: nec consector perdendi temporis causas. [a]Et quocunque constiti loco, ibi cogitationes meas tracto, et aliquid in animo salutare verso. Quum me amicis dedi, non tamen mihi ab-
2 duco: nec cum illis moror, quibus me tempus aliquod congregavit, aut causa ex [b]officio nata civili, sed cum optimo quoque sum: ad illos, in quocunque loco, in quocunque seculo fuerint, animum meum mitto. Demetrium, virorum optimum, mecum circumfero, et relictis conchyliatis, cum illo seminudo loquor,

a. *Et quocunque constiti loco.* Sic omnes codd. et edd. At Lipsius τὸ Et omisit, in cuius locum substituere mallet Gruterus: *sed.*
b. *officio nata civili.* Sic editio vetus, quinque codd. Grut. et cod. ms. Moniucii, e quo P. Faber ad L. 2 Pandectt. de regula iuris vocem: *civili*, qua Erasmus, Muretus al. carent, addidit.

1. *studia liberalia*] inprimis philosophiam intelligit. *Rebus — commodo:* usum mei, non mancipium do. L. *Et quocunque — verso.* cf. Epist. LVIII, 23. not.

2. *Demetrium,*] Cf. de hoc philosopho Cynico egregio de Provident. c. III, 3 not. *mecum circumfero,* eius dicta sententiasque recordor. *conchyliatis,* i. purpuratis ideoque nobilioribus: reliquis enim conchyliatarum vestium usum inde a Iulio Caesare ademtum esse legimus ap. Sueton. Iul. 43. Conchylium, κογχύλιον, autem vocatum esse muricem et bucci-

loquor, illum admiror. Quidni admirer? vidi nihil ei deeſſe. Contemnere omnia aliquis poteſt: omnia habere nemo poteſt. Breviſſima ad divitias, per contemtum divitiarum, via eſt. Demetrius autem noſter ſic vivit, non tanquam contemſerit omnia, ſed tanquam aliis habenda permiſerit.

EPISTOLA LXIII.

Amici Flacci mortem quum moleſte ſe pati ſcripſerat Lucilius conſolationem hanc tulit a noſtro, quae nullam fere rationem qua conſolari ſoleamus, omittit. Noli nimius eſſe in luctu de amici morte, nec in doloris ambitionem incidas. Ideo tamen non opus eſt ut amici obliviſcaris. Id agas, ut iucunde amiſſi amici recorderis, et amicis qui tibi adhuc reſtant, eo melius fruaris. Alioquin qui rationi obtemperare nolebas tempori cedere cogeris: qua quidem conſolatione nihil homini prudenti ignominioſius eſt, ſi quando prae laſſitudine moerendi deſinamus moerere. Magis decet te, dolorem relinquere, quam ab illa relinqui. Itaque dolorem tuum muta aut mitiga cogitatione blanda eius, quem abſtulit fortuna, quae dederat. Qua moveamur oportet, ut in locum amiſſi amici alium ſubſtituamus. Adhaec is praemiſſus eſt in eum locum, in quem et nos perveniemus. Cf. Conſolationes tres ad Helviam etc. et Ep. XCIX.

Graviter fers deceſſiſſe Flaccum, amicum tuum: plus tamen aequo dolere te nolo. Illud, ut non doleas, vix [a]audebo exigere: et eſſe melius ſcio. Sed cui iſta firmitas animi continget, niſi iam multum ſupra fortunam elato? Illum quoque iſta res vellicabit, ſed

a. *audebo* et mox *et eſſe melius* Eraſm., ed. vetus et Grut. codd. Antea: *audeo* et *etſi eſſe melius*. praeſtat fortaſſe: *at eſſe m. ſ.*

buccinum, unde purpurae color accipiebatur, notum eſt. *ſeminudo*, ſimpliciter pauperculo. Vptonus tamen ad morem Cynicorum humerum nudum et exſertum oſtendendi retulit. Diogenes certe inde ἐξωμίας dictus eſt ap. Lucian. in Vitar. auct. c. 7. T. III, p. 87 not. Vpton. ad Epict. Diſſ. Arr. III, 22, 5. p. 737 Schweigh.

1. *Flaccum*,] Quis ille fuerit, ignoramus. *niſi — elato?* i. ſapienti Stoico. *Illum — vellicabit*. Cf. Epiſt. LVII, 2. 3.

tantum vellicabit. Nobis autem ignoſci poteſt prolapſis ad lacrimas, ſi non nimiae decurrerent, ſi ipſi illa repreſſimus. Nec ſicci ſint oculi amiſſo amico, nec
2 fluant: lacrimandum eſt, non plorandum. Duram tibi legem videor ponere, quum poëtarum Graecorum maximus, ius flendi dederit in unum dumtaxat diem, quum dixerit, etiam Nioben de cibo cogitaſſe? Quaeris unde ſint lamentationes, unde immodici fletus? per lacrimas argumenta deſiderii quaerimus: et dolorem non ſequimur, ſed oſtendimus. Nemo triſtis ſibi eſt. O infelicem ſtultitiam! eſt aliqua et doloris ambitio. Quid ergo? inquis. obliviſcar amici? Brevem illi apud te memoriam promittis, ſi cum dolore manſura eſt. Iam iſtam frontem ad riſum quaelibet fortuita res transferet. Non differo in longius tempus, quo deſiderium omne mulcetur, quo etiam acerrimi luctus [b]reſidunt: quum primum te obſervare deſieris, imago iſta triſtitiae discedet. Nunc ipſe cuſtodis dolorem tuum, ſed cuſtodienti quoque elabitur:
4 eoque citius, quo eſt acrior, deſinit. Id agamus, ut

b. *reſidunt.* Vetus editio et plurimi codd. Gruteri noſtram lectionem tuentur. Eraſmus: *recidunt.*

2. *Poetarum Graecorum maximus,*] Alluſiſſe videtur ad Hom. Il. τ, 228 ſq. ubi Vlyſſes Achillem a nimio luctu propter amicum Patroclum absterret: Ἀλλὰ χρὴ τὸν μὲν καταθάπτειν ὅς κε θάνῃσι, Νηλέα θυμὸν ἔχοντας ἐπ' ἤματι δακρύσαντας. *Nioben* vid. Il. ω, 602. ubi Achilles Priamum lugentem conſolatur. *Nemo triſtis ſibi eſt,* ſed ut aliis luctum ſuum oſtendat. Tale quid Martialis Epigram. I, 34. de Gellia: Amiſſum non flet quum ſola eſt Gellia, patrem. Si quis adeſt iuſſae proſiliunt lacrimae. Non dolet hic quisquis laudari, Gellia, quaerit. Ille dolet vere, qui ſine teſte dolet. Cf. Ep. XCIX, 15. Plus oſtentatio doloris exigit quam dolor: quotusquisque ſibi triſtis eſt? etc.

3. *Nunc ipſe cuſtodis dolorem tuum,*] Idem in Conſol. ad Marc. c. VIII, 2. Quoties aliud egeris, animus relaxabitur: nunc te ipſa cuſtodis. L.

ut iucunda fiat nobis amiſſorum recordatio. nemo libenter ad id redit, quod non ſine tormento cogitaturus eſt. Si tamen iſtud fieri neceſſe eſt, ut cum aliquo nobis morſu, amiſſorum quos amavimus nomen occurrat: hic quoque morſus habet ſuam voluptatem. Nam, ut dicere ſolebat Attalus noſter: „Sic amicorum defunctorum memoria iucunda eſt, quomodo poma quaedam ſunt ſuaviter aſpera, quomodo in vino nimis veteri ipſa nos amaritudo delectat: quum vero intervenit ſpatium, omne quod angebat exſtinguitur, et pura ad nos voluptas venit.“ Si illi credimus, amicos incolumes cogitare, melle ac placenta frui eſt: eorum qui fuerunt retractatio, non ſine acerbitate quadam iuvat. Quis autem negaverit, haec acria quoque, et habentia auſteritatis aliquid, ſtomachum excitare? Ego non idem ſentio. mihi amicorum cogitatio, dulcis ac blanda eſt. habui enim illos, tanquam amiſſurus: amiſi, tanquam habeam. Fac ergo, mi Lucili, quod tuam aequitatem decet. Deſine beneficium [c]Fortunae male interpretari. abſtulit, ſed dedit. Ideo amicis avide fruamur, quia quamdiu contingere hoc poſſit, incertum eſt. Cogitemus quam ſaepe illos reliquerimus, in aliquam peregrinationem longinquam exituri: quam ſaepe eodem morantes loco, non viderimus: intelligemus, plus nos temporis perdidiſ-

5 6 7

c. *Fortuna.* Sic Pinciani codd. et Gruteri editioque vetus: quam et ſequentia fin. §. 8. ſi non habemus — a fortuna accepimus,

4. *morſu,*] i. ingrato ſenſu. Noſter diſtinguit a dolore Ep. XCIX, 13. Non eſt dolor ipſe, ſed morſus: tu illum dolorem facis. *Attalus.* Cf. Ep. IX, 5. Fabricii Bibl. Gr. Vol. III, p. 544 Harl.

6. *amiſi, tamquam habeam.*] praemiſſi enim ſunt in eum locum, in quem et me ipſum perventurum ſpero. *aequitatem* animi qua tibi ſemper conſtas. *beneficium Fortunae.* Nam et amici inter res externas ſunt, etſi non amicitia. Fortuna in illos ius habet. L. *abſtulit, ſed dedit*, tuus enim adhuc eſt, quamquam abeſt.

se in vivis. Feras autem hos, qui quum negligentissime amicos habeant, miserrime lugent, nec amant
8 quenquam, nisi quum perdiderint? Ideoque tunc effusius moerent, quia verentur, ne dubium sit an amaverint: sera iudicia affectus sui quaerunt. Si alios habemus amicos, male de his et meremur, et existimamus, quia parum valent in unius elati solatium. si non habemus, maiorem ipsi nobis iniuriam fecimus, quam a fortuna accepimus. Illa unum abstulit: nos
9 [d]quemquam non fecimus. Deinde ne unum quidem amavit, qui plus quam unum amare non potuit. Si quis despoliatus, amissâ unicâ tunicâ, complorare se malit, quam circumspicere quomodo frigus effugiat, et aliquid inveniat quo tegat scapulas, nonne tibi videatur stultissimus? Quem amabas, extulisti: quaere, quem ames. Satius est amicum reparare, quam flere.
10 Scio quidem pertritum iam hoc esse, quod adiecturus sum: non tamen ideo praetermittam, quia ab omnibus dictum est. Finem dolendi etiam qui consilio non fece-

firmant. Erasmus et Muretus: *naturae*. Mox fine §. 7. *perdiderint?* cum Grut. ex eius codd. et editione vet. restitui in locum vulgati: *perdiderunt?* Sequitur *sera iudicii affectus sui quaerunt* a Seneca sunt. Sic enim omnes prope codd. et edd. et supra erat §. 2. argumenta desiderii quaerimus. Nonnulli tamen codd. auctius: *affectus sui relinquunt et quaerunt*. Lipsius putat vacare alterum verbi, nisi rescribas *relinquere quaerunt*.

d. *quemquam*. Sic Erasm. editio vetus al. At *quemcunque* Grut. et Modii codd. Sed *quemquam* bene habet. Nos ne unum quidem comparavimus amicum.

7. *Cogitemus* etc.] Cf. Ep. LV, 9 sq. *in vivis*. quam nunc perdere putamus in mortuis, quum ab iis separati sumus.

8. *Ideoque — quaerunt*.] notat iterum doloris ambitionem, quem supra §. 2. iam taxaverat. *elati* i. mortui.

9. *Si quis — unica tunica*.] Sermo est de homine modicae facultatis: ditiores enim sub toga plures tunicas simul gesserunt. Tunicam sequebantur interiores subucula et induisium. Cf. Varro in fragm. p. 237. 238. Bip. Sueton. Aug. 82. Plerique tamen sola tunica induti erant, unde Horat. I Epp. 7, 65. tunicatus popellus.

fecerat, tempore invenit: turpiſſimum autem eſt in homine prudenti remedium moeroris, laſſitudo moerendi. Malo relinquas dolorem, quam ab illo relinquaris. quamprimum id facere deſiſte, quod, etiamſi voles, diu facere non poteris. Annum feminis ad 11
lugendum conſtituere maiores, non ut tam diu lugerent, ſed ne diutius: viris nullum legitimum tempus eſt, quia nullum honeſtum. Quam tamen mihi ex illis mulierculis dabis, vix retractis a rogo, vix a cadavere revulſis, cui lacrimae in totum menſem duraverint? Nulla res citius in odium venit, quam dolor: qui recens, conſolatorem invenit, et aliquos ad ſe adducit: inveteratus vero deridetur. nec immerito: aut enim ſimulatus, aut ſtultus eſt. Haec tibi ſcribo, 12
is qui Annaeum Serenum, cariſſimum mihi, tam immodice flevi, ut, quod minime velim, inter exempla ſim eorum quos dolor vicit. hodie tamen factum meum damno, et intelligo maximam mihi cauſam ſic lugendi fuiſſe, quod nunquam cogitaveram, mori eum ante me poſſe. Hoc unum mihi occurrebat, minorem eſſe, et multo minorem: tanquam ordinem fata ſervarent. Itaque aſſidue cogitemus, tam de noſtra, quam omnium quos diligimus, mortalitate. Tunc 13
ego dicere debui: Minor eſt Serenus meus: quid ad rem pertinet? poſt me mori debet, ſed ante me poteſt. quia non feci, imparatum ſubito fortuna percuſſit. Nunc cogito, omnia et mortalia eſſe, [e]et incerta lege mortalia. Hodie fieri poteſt, quidquid unquam poteſt. Cogitemus ergo, Lucili cariſſime,

S 5 cito

e. *et incerta lege mortalia.* Sic editio vetus, codd. Grut. Modiique et Muretus. Vulgatae habent: *Mortalia eſſe et incerta: lege mortali hodie* etc. inſulſo ſenſu.

11. *Annum,*] Cf. Conſolat. ad Helviam c. XVI, 1 not.

12. *Annaeum Serenum,*] illum cui librum de Tranquillitate

cito nos eo perventuros, quo illum perveniſſe moeremus. Et fortaſſe, ſi modo ſapientum vera fama eſt, recipitque nos locus aliquis, quem putamus periſſe, praemiſſus eſt.

EPISTOLA LXIV.

Narrat amico, ſe amicos quosdam excepiſſe coena, inque illis et Lucilium, quamquam abſentem, fuiſſe. Lectum ibi eſſe Q. Sextii patris librum philoſophicum, quem maximis laudibus effert, ideoque ipſam deinde ſapientiam, cuius quidem et inventa et inventores ſe venerari fatetur, ſed ita ut et ſibi copia reſtet ampliora faciendi, quae acceperit.

Fuiſti heri nobiscum. Potes queri, ſi heri tantum: ideo adieci, nobiscum: mecum enim ſemper es. Intervenerant quidam amici, propter quos maior fumus fieret: non hic qui erumpere ex lautorum culinis, et terrere vigiles ſolet: ſed hic modicus, qui hoſpites veniſſe ſignificaret. Varius nobis ſermo fuit, ut in convivio, nullam rem usque ad exitum adducens, ſed
2 aliunde alio tranſiliens. Lectus eſt deinde liber Q. Sextii patris, magni, ſi quid mihi credis, viri, et, licet

tate inſcripſerat. Vide Argument. Tom. I, p. 325.

13. *ſi modo — aliquis,*] dubie et trepide ſuper immortalitate, ut alias. Vide Lipſium Phyſiol. III, 11 et 14.

1. *propter quos maior fumus — ſignificaret.*] Coena excepera t amicos quosdam admodum modica, non ut *lauti* divites facere ſolent. Hoc loco uſus eſt Io. Beckmann in: Beytraege zur Geſch. der Erfind. II, 3. p. 404. ut demonſtraret, antiquis hoc ſaltem aevo, fumaria quae dicunt nondum cognita fuiſſe. Ceterum Auguſtus adverſus incendia exubias nocturnas vigilesque commentus eſt. Sueton. Octav. c. 30 not. Iſ. Caſaubon. Sparteoli vocabantur hi vigiles a militibus ioci cauſa, quaſi corbes geſtantes, in quas e conviviis lautioribus munera colligerent. Tertullian. Apologet. c. 39. et Schol. ad Iuvenal. Sat. XIV, 305.

2. *Lectus eſt deinde liber*] more Romano. Anagnoſtas autem, lectores ſ. acroamata voca-

licet [a]negent, Stoici. Quantum in illo, dii boni, vigoris eſt, quantum animi! hoc non in omnibus philoſophis invenies. Quorundam ſcripta clarum habent tantum nomen: cetera exſanguia ſunt. Inſtituunt, disputant, cavillantur: non faciunt animum, quia non habent. Quum legeris Sextium, dices: Vivit, 3
viget, liber eſt, ſupra hominem eſt, dimittit me plenum ingentis fiduciae. In quacunque poſitione mentis ſim, quum lego hunc, fatebor tibi, libet omnes caſus provocare, libet exclamare: Quid ceſſas fortuna? congredere. paratum vides. Illius animum in- 4
duo, qui quaerit ubi ſe experiatur, ubi virtutem ſuam oſtendat,

Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum deſcendere monte leonem.

Libet aliquid habere quod vincam, cuius patientiâ exercear. Nam hoc quoque egregium Sextius habet, quod et oſtendet tibi beatae vitae magnitudinem, et deſperationem eius non faciet. Scies illam eſſe in ex- 5
celſo, ſed volenti penetrabilem. hoc quidem virtus tibi ipſa praeſtabit, ut illam admireris, et tamen ſperes. Mihi certe temporis multum auferre ſolet contemplatio ipſa ſapientiae. non aliter illam intueor obſtupe-

a. *negent*, vulgatum eſt. *neget* in nonnullis codd. ap. Grut. cui impenſius placet: ſcilicet vult Seneca, ait Gruterus, a ſe amoliiſſe Stoici nomen ipſum Sextium. Laudat Grut. Suſpicion. XXVI, 5.

vocatos eſſe ſervos, quos recitandis libris utebantur, conſtat. *licet negent*, fortaſſe propterea, quod is eiusque filius novam ſectam conderent. Senec. Q. N. VII, cap. ult.

4. Verſus ſunt *Virgilii* Aen. IV, 158. de Aſcanii iuvenili exſultatione et gloriae cupidine. *deſperationem* ut fiduciam alere poſſimus eam conſequendi.

5. *Scies — in excelſo,*] Refert noſter hic ad vitam beatam, quae alias primo de virtute dicta ſunt ab Heſiodo E. *u.* Ἡμ. 265. Cf. II de Ira 13, 3. Iacobs

ſtupefactus, quam ipſum interim mundum, quem ſaepe tanquam ſpectator novus video. Veneror itaque inventa ſapientiae, inventoresque: adire tanquam mul-
6 torum hereditatem iuvat. Mihi iſta acquiſita, mihi laborata ſunt. Sed agamus bonum patremfamiliae: faciamus ampliora quae accepimus. maior iſta hereditas a me ad poſteros transeat. Multum adhuc reſtat operis, multumque reſtabit: nec ulli nato poſt mille ſecula praecludetur occaſio aliquid adhuc adiiciendi. Sed etiamſi omnia a veteribus inventa ſunt: hoc ſemper novum erit, uſus, et inventorum ab aliis ſcientia
7 et dispoſitio. Puta relicta nobis medicamenta, quibus ſanarentur oculi. non opus eſt mihi alia quaerere: [b]ſed haec tantum modis et temporibus aptanda ſunt. Hôc aſperitas oculorum conlevatur: hôc palpebrarum craſſitudo tenuatur: hôc vis ſubita et humor avertitur: hôc acuitur viſus. Teras iſta oportet, et eli-
8 gas tempus, adhibeas ſingulis modum. Animi remedia inventa ſunt ab antiquis: quomodo autem admoveantur, aut quando, noſtri operis eſt quaerere. Multum egerunt qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt: ſuſpiciendi tamen ſunt, et ritu deorum colendi.

b. *ſed haec tantum modis et temporibus.* Sic ed. vetus et Pincian. ſic legendum eſſe ex vetere ſcriptura ſuadet: idque etiam, inquit, indicant auctoris verba paulo poſt: *Teras iſta oportet — modum.* Cf. Celſus II, 16. Intemperantes homines apud nos ſibi cibi *tempora*, *modum* curantibus dant. Rurſus alii, *tempora* medicis pro dono remittunt, ſibi ipſis modum vendicant. Gruteriani tamen vulgatam tenent, niſi quod *modis* ad marginem cod. Colon. exſtabat. Illud *ſed* Eraſm. et quinque codd. Grut. cum ed. vet. Antea: *haec tantum morbis et temp.* omiſſo τῷ· *ſed.*

cobs Animadv. in Anal. Vol. I, P. I. p. 210 ſq. *mundum*, i. coelum.

8. *Multum egerunt — peregerunt:*] Eadem occurrunt in Ep. XLV. init. „Nam illi (magni viri), ait, quoque non inventa ſed quaerenda nobis reliquerunt, et inveniſſent forſitan neceſſaria, niſi et ſuperflua quaeſiſſent.“

lendi. Quidni ego magnorum virorum et imagines habeam, incitamenta animi, et natales celebrem? Quidni illos honoris cauſa ſemper appellem? Quam 9
venerationem praeceptoribus meis debeo, eandem illis praeceptoribus generis humani, a quibus tanti boni initia fluxerunt. Si conſulem videro aut praetorem, omnia quibus honor haberi ſolet, faciam: equo deſiliam, caput adaperiam, ſemita cedam. Quid ergo? Marcum Catonem utrumque, et Laelium Sapientem, et Socratem cum Platone, et Zenonem, Cleanthemque, in animum meum ſine dignatione ſumma recipiam? Ego vero illos veneror, et tantis nominibus ſemper aſſurgo.

EPISTOLA LXV.

Exponit amico disputationem philoſophicam quam cum amicis quibusdam habuit: phyſiologica tractaverant de Cauſa et Materia, Luciliumque abſentem elegerant arbitrum. Quibus enarratis, docet quatenus utilis ſit talis disputatio: eſſe autem proficuam, ſi cum modo talia tractentur et bono fine, i. e. vitae. Attolli per haec animum ad Deum et Honeſtum.

Heſternum diem diviſi cum mala valetudine. antemeridianum illa ſibi vindicavit, poſtmeridiano mihi ceſſit. Itaque lectione primum tentavi animum. deinde

Mox §. 9. *omnia quibus honor haberi ſolet* omnium fere codd et edd. ſcriptura. Nonnulli codd. poſt: *haberi* inſerunt, *honori*, id eſſet, muneri publico. Cortt. ad Salluſt. Bell. Iug. III, 1. Sed vulgatam praefero.

9. *Equo deſiliam — cedam.*] Sunt omnia nota vel e Livio. Egit tamen de ritu coram Conſule deſiliendi equo Lipſius Elect. I, 21. *Caput adaperitur* laciniâ togae, quam in caput ſaepe reiiciebant contra ventum aut aeſtum, detractâ in honorati alicuius occurſu. Plutarch. Quaeſt. Rom. X, Vol. VIII, p. 316 Hutt. Cf. Lipſius in libello extremo de Amphitheatro.

inde quum hanc recepiſſet, plus illi imperare auſus ſum, immo permittere. Aliquid ſcripſi, et quidem intentius, quam ſoleo, dum cum materia difficili contendo, et vinci nolo: donec intervenerunt amici, qui mihi vim afferrent, et tanquam aegrum intempe-
2 rantem coërcerent. In locum ſtili ſermo ſucceſſit. ex quo eam partem ad te perferam, quae in lite eſt. te arbitrum [a] adduximus. plus negotii habes quam exiſtimas. Triplex cauſa eſt. Dicunt, ut ſcis, Stoici noſtri, duo eſſe in rerum natura, ex quibus omnia fiant: cauſam et materiam. Materia iacet iners, res ad om-
3 nia parata, ceſſatura, ſi nemo moveat. Cauſa autem, id eſt, Ratio, materiam format, et quocunque vult verſat: ex illa varia opera producit. Eſſe debet ergo unde aliquid fiat, deinde a quo fiat: hoc cauſa eſt, illud materia. Omnis ars imitatio eſt naturae: itaque quod de univerſo dicebam, ad haec transfer, quae ab homine facienda ſunt. Statua et materiam habuit, quae pateretur artificium: et artificem, qui mate-

a. *adduximus.* Sic codd. et edd. vett., idque recte; i. adlegavimus. Itaque emendationibus Lipſii Elect. I, 16. *adegimus*, et Gruteri *addiximus*, utriusque phrasin fori veteris ſatis nunc notam eleganter quidem ſed non neceſſe hic reponentis.

2. *Triplex cauſa eſt.*] Lis triplex eſt: ſive, in triplici cauſa captus es addictusque iudex. L. Nimirum cardo rerum in eo verſatur, ut diiudicetur, utrum Stoicis, an Ariſtoteli, aut Platoni in hac quaeſtione philoſophica de cauſa et materia, quam inde a primordiis philoſophiae tractatam videmus, aſſentiendum ſit. Si ſinceritas Ocelli Lucani et Timaei Locri (Opuſc. mythol. ed. Gale) omni dubio exemta eſſet, et hi primo loco conferri mererentur. *Materia — moveat.* Eadem docent Zeno, Chryſippus, Poſidonius ap. Stob. Eclog. phyſ. I, 12. p. 323 ed. Heeren. Diog. Laert. VII, 150. ὕλη δὲ ἐστὶν, ἐξ ἧς ὁτιδηποτοῦν γίνεται.

3. *Ratio,*] λόγος. Sic Diog. Laert. VII, 134. τόδε ποιοῦν (εἶναι δοκεῖ αὐτοῖς τοῖς Στωϊκοῖς) τὸν ἐν αὐτῇ (τῇ ὕλῃ) λόγον τὸν θεὸν, ubi cf. Menag. qui noſtrum locum adduxit. Vide Tiedemanni Syſtem d. ſt. Ph. II, p. 45.

materiae daret faciem. Ergo in ſtatua materia aes 4
fuit, cauſa artifex. Eadem conditio rerum omnium eſt: ex eo conſtant quod fit, et ex eo quod facit. Stoicis placet unam cauſam eſſe, id quod facit. Cauſam Ariſtoteles putat tribus modis dici. Prima, inquit, cauſa eſt ipſa materia, ſine qua nihil poteſt effici. Secunda opifex. Tertia forma, quae unicuique operi imponitur, tanquam ſtatuae: nam hanc Ariſtoteles Idos vocat. Quarta quoque, inquit, his accedit, propoſitum totius operis. Quid ſit hoc, ape- 5
riam. Aes prima ſtatuae cauſa eſt: nunquam enim facta eſſet, niſi fuiſſet id, ex quo ea funderetur, ducereturve. Secunda cauſa artifex eſt: non potuiſſet enim aes illud in habitum ſtatuae figurari, niſi acceſſiſſent peritae manus. Tertia cauſa eſt forma: neque enim ſtatua iſta Doryphoros aut Diadumenos vocaretur, niſi haec illi eſſet impreſſa facies. Quarta cauſa 6
eſt faciendi propoſitum: nam niſi hoc fuiſſet, facta non eſſet. Quid eſt propoſitum? quod invitavit artificem, quod ille ſecutus fecit. Vel pecunia eſt hoc, ſi venditurus fabricavit: vel gloria, ſi laboravit in no-

4, *Ariſtoteles*] Αἰτία ſ. αἴτιον quadruplici modo ap. Ariſtot. Auſcult. phyſ. II, 4. 5. 6. uti nos exponit, declaratur: cauſa efficiens, formalis, materialis, finalis. Sed uberius haec expoſuit Buhle Lehrbuch der Geſch. d. Ph. II, §. 287 — 290. p. 467 — 481.

5. *Doryphorus aut Diadumenos.*] Statuae celeberrimae Polycleti, qui proportionem partium primus vidit et expreſſit arte. (Plin. XXXIV, 19, 2. T. V, p. 236 Bip. cf. Schneider ad Caton. de R. R. 1. pr. 31.) Proinde his ſtatuis tamquam exemplaribus artis uſi ſunt artifices veteres, inprimis vero illa, quae inde Canon (ὁ τοῦ Πολυκλείτου κανών Lucian. de morte Peregrini Vol. VIII, p. 277. Bip.) vocabatur, heroem oſtendente iuvenem nudum et haſtam manu geſtantem; haec Diadumenum repraeſentabat i. iuvenem athletam, vittis caput redimitum habentem, ideoque victorem, ſed mollitie corporis conſpicuum.

6. *Vel pecunia eſt hoc,*] ſc. propoſitum, cauſa finalis.

nomen: vel religio, si donum templo paravit. Ergo et haec causa est, propter quam fit. An non putas inter causas facti operis numerandum, quo remoto fa-
7 ctum non esset? His quintam Plato adiicit, exemplar, quam ipse ideam vocat: hoc est enim ad quod respiciens artifex, id quod destinabat, efficit. Nihil autem ad rem pertinet, utrum foris habeat exemplar, ad quod referat oculos; an intus, quod sibi ipse concepit et posuit. Haec exemplaria rerum omnium Deus intra se habet, numerosque universorum quae agenda sunt, et modos mente complexus est. plenus his figuris est, quas Plato ideas appellat, immortales, immu-
8 tabiles, infatigabiles. Itaque homines quidem pereunt: ipsa autem humanitas ad quam homo effingitur, permanet; et hominibus laborantibus, intereuntibus, illa nil patitur. Quinque ergo causae sunt, ut Plato dicit: Id ex quo, id a quo, id quo, id ad quod, id propter quod. noviſſime id quod ex his est.

Tan-

7. *His quintam Plato* etc.] Cf. Tennemann II. p. 141 sq. *Haec exemplaria — complexus est.* Itaque non sunt seiunctae ab intellectu divino. Cf. Ep. LVIII, 8. Meiners II. p. 803. Tennemann l. l. Buhle Lehrbuch II. p. 96 sq.

8. *Quinque ergo — dicit:*] Idem statuit Simplicius in Phys. Aristot. fol. 3 *a.* Meiners tamen II. p. 802. nonnisi quatuor: materiam, ideas, deum et mundum corporalem a Platone positas esse docet, et illas causas, quas noster *id quo* et *propter quod* appellavit, ab eo adhibitas negat. In quo ei assentior eatenus, quod *id quo* nihil differt a sequente: *id ad quod.* Sed teleologicum *id propter quod* locum habere vix negandum est, quum ab ipso Platone hoc propositum αἰτία dicatur. Propter *bonitatem* hunc mundum a Deo esse creatum, Plato ait in Timaeo p. 304. 305. Tom. IX. Bip. quo noster manifesto respexit. Timaeus ibi ait: Λέγωμεν δὴ δι' ἣν αἰτίαν γένεσιν καὶ τὸ πᾶν τόδε ὁ ξυνιστὰς ξυνέστησεν. ἀγαθὸς ἦν, ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίγνεται φθόνος, quae verba a nostro conversa latine vides. Brevitatis studio omitto sequentia ap. Plat. quae lectu digna sunt. Cf. de Rep. II. p. 251, Tom. VI.

Tanquam in ſtatua, quia de hac loqui coepimus, Id 9
ex quo, aes eſt: Id a quo, artifex eſt: Id quo,
forma eſt, quae aptatur illi: Id ad quod, exemplar
eſt, quod imitatur is qui facit: Id propter quod, fa-
cientis propoſitum eſt. Id quod ex iſtis eſt, ipſa ſta-
tua. Haec omnia mundus quoque, ut ait Plato, ha-
bet. Faciens, hic Deus eſt: Ex quo ſit, haec ma-
teria eſt: Forma, hic eſt habitus, et ordo mundi 10
quem videmus: Exemplar, ſcilicet ad quod Deus hanc
magnitudinem operis pulcherrimi fecit: Propoſitum,
propter quod fecit. Quaeris, quid ſit propoſitum Deo?
Bonitas. ita certe Plato ait. Quae Deo faciendi mun-
dum cauſa fuit? bonus eſt, bono nulla cuiusquam
boni invidia eſt. Fecit itaque quam optimum potuit.
Fer ergo iudex ſententiam, et pronuntia, quis tibi 11
veriſimillimum videatur dicere, non quis verum dicat.
id enim tam ſupra nos eſt, quam ipſa veritas. Haec
quae ab Ariſtotele et Platone ponitur turba cauſarum,
aut nimium multa, aut nimium pauca comprehendit.
Nam ſi quocunque remoto quid effici non poteſt, id
cauſam iudicant eſſe faciendi, pauca dixerunt. Po- 12
nant inter cauſas tempus. nihil ſine tempore poteſt
fieri. Ponant locum. ſi non fuerit ubi ſiat aliquid,
ne fiet quidem. Ponant motum. nil ſine hoc nec ſit
nec perit: nulla ſine motu ars, nulla mutatio eſt.
Sed nos nunc primam et generalem cauſam quaerimus.
haec ſimplex eſſe debet: nam et materia ſimplex eſt.
Quaerimus, quid ſit cauſa: Ratio faciens, id eſt,
Deus. Ita enim quae nunc retuli, non ſunt multae
et ſingulae cauſae, ſed ex una pendent, ex ea quae
facit. Formam dicis cauſam eſſe: hanc imponit ar- 13
tifex operi. pars eſt, non cauſa. Exemplar quoque
non eſt cauſa, ſed inſtrumentum cauſae neceſſarium.
Sic neceſſarium eſt exemplar artifici, quomodo ſcal-
prum, quomodo lima. ſine his procedere ars non

poteſt. non partes tamen haec artis, aut cauſae ſunt. Propoſitum, inquit, artificis, propter quod ad faciendum aliquid accedit, cauſa eſt. ut ſit cauſa, non
14 eſt efficiens cauſa, ſed ſuperveniens. Hae autem innumerabiles ſunt: nos de cauſa quaerimus generali. Illud vero non pro ſolita ipſis ſubtilitate dixerunt, totum mundum et conſummatum opus, cauſam eſſe. multum enim intereſt inter opus et cauſam operis. Aut fer ſententiam: aut, quod facilius in eiusmodi rebus eſt, nega tibi liquere, et nos reverti iube.
15 Quid te, inquis, delectat tempus inter iſta conterere, quae tibi nullum affectum eripiunt, nullam cupiditatem abigunt? Ego quidem priora illa ago ac tracto, quibus pacatur animus, et me prius ſcrutor: deinde hunc mundum. Ne hoc quidem tempus, ut exiſtimas, per-
16 do. Iſta enim omnia ſi non concidantur, nec in hanc ſubtilitatem inutilem distrahantur, attollunt et levant animum, qui gravi ſarcina preſſus, explicari cupit, et reverti ad illa quorum fuit. Nam corpus hoc, animi pondus ac poena eſt: premente illo urgetur, in vinculis eſt, niſi acceſſit philoſophia, et illum reſpirare rerum naturae ſpectaculo iuſſit, et a terrenis dimiſit ad
17 divina. Haec libertas eius eſt, haec evagatio: ſubducit interim ſe cuſtodiae in qua tenetur, et coelo reficitur. Quemadmodum artifices ex alicuius rei ſubtilioris intentione, quae oculos defatigat, ſi malignum et precarium lumen habent, in publicum prodeunt, et

14. *nega tibi liquere* etc.] A romano ritu in re ambigua *Non liquet* pronuntiantium iudicum haec ducta eſſe ſatis conſtat.

15. *Quid te — abigunt?*] Cf. Ep. LVIII, 22. *Ego quidem — tracto*, illa eſſe potiora duco et tracto.

16. *concidantur*,] tanta argutia minutatim dividantur, ut conſpectum rerum ex oculo et animo dimittas.

17. *reficitur*] i. reſtituitur. *Quemadmodum — requieſcit.* Magis

et in aliqua regione ad populi otium dedicata oculos libera luce delectant: sic animus in hoc tristi et obscuro domicilio clusus, quoties potest, apertum petit, et in rerum naturae contemplatione requiescit. Sapiens asectatorque sapientiae adhaeret quidem in 18
corpore suo, sed optima sui parte abest, et cogitationes suas ad sublimia intendit, et velut sacramento rogatus, hoc quod vivit, stipendium putat: et ita formatus est, ut illi nec amor vitae, nec odium sit, patiturque mortalia, quamvis sciat ampliora supereſſe. Interdices mihi [b]inspectionem rerum naturae, ac toto 19
abductum rediges in partem? Ego non quaeram, quae sint initia universorum, quis rerum formator, quis omnia in una massa et materia inerti convoluta discreverit? Non quaeram, quis sit artifex huius mundi? qua ratione tanta magnitudo in legem et ordinem venerit? quis sparsa collegerit, confusa distinxerit, in una deformitate latentibus faciem divisserit? unde lux tanta fundatur? ignis sit, an aliquid igne lucidius? Ego ista non quaeram? ego nesciam unde 20
descenderim? [c]semel haec mihi videnda sint, an saepe?

b. *inspectionem.* Sic Erasmi, Pinciani Gruterique codd. Firmat Gronovius ad Epistol. XVIII, 10. post Gruterum, qui sic certe, ait, loquimur latine. Seneca saltem hac constructione semper fere utitur. *Inspectione* est a Mureto.

c. *semel haec mihi videnda sint, an saepe?* Pincianus hanc veterem scripturam a ratione et omnibus ferme libris scriptis confirmatam, mutavit de sua coniectura: *semel haec mihi videnda sint, an saepe nascendum? quo hinc iturus sim?* Muretus exterminavit eam. Gronovius bene restituit.

Magis explicat et dilatat quae Ep. LVIII, 22. posuerat.

18. *sacramento rogatus,*] ita supra dictum, *vitam militiam esse.* L. Cf. Ep. LI, 5 not. *patiturque mortalia,* i. patitur ea, quae homini accidere solent, quamvis ampliora, quae imminent in alia vita, sciat. Nec tamen ideo vitam abrumpit.

19. 20. Vides hic omnes fere illas quaestiones, quibus investigandis homines a primis inde temporibus, quum philo-

Neſciam, quo hinc iturus ſim? quae ſedes exſpectet animam, ſolutam legibus ſervitutis humanae? Vetas me coelo intereſſe, id eſt, iubes me vivere capite
21 demiſſo? Maior ſum, et ad maiora genitus, quam ut mancipium ſim mei corporis: quod equidem non aliter adſpicio, quam vinculum aliquod libertati meae circumdatum. Hoc itaque oppono fortunae, in quo reſiſtat; nec per illud ad me ullum transire vulnus ſi-
22 no. [d] Quidquid in me poteſt iniuriam pati, hoc eſt: in hoc obnoxio domicilio animus liber habitat. nunquam me caro iſta compellat ad metum, nunquam ad indignam bono ſimulationem, nunquam in honorem
23 huius corpuſculi mentiar. Quum viſum fuerit, distraham cum illo ſocietatem: et nunc tamen dum haeremus, non erimus aequis partibus ſocii: animus ad ſe omne ius ducet. Contemtus corporis ſui, certa libertas eſt. Vt ad propoſitum revertar, huic libertati multum conferet et illa, de qua modo loquebamur,
24 inſpectio. Nempe univerſa ex materia et ex Deo conſtant: Deus iſta temperat, quae circumfuſa rectorem ſequuntur, et ducem. Potentius autem eſt quod facit, quod eſt Deus, quam materia patiens Dei. Quem in hoc mundo locum Deus obtinet, hunc in homine animus:

d. *Quidquid in me poteſt iniuriam pati, hoc eſt: in hoc obnoxio domicilio animus liber habitat.* Sic optime Gronov. diſtinxit. Antea diſtinguebatur ſic: *pati, hoc eſt in h. o. domicilio: a.* etc.

ſophari inciperent, operam praematuram ideoque inutilem ſaepe navaſſe philoſophiae hiſtoria docet. Nec prudentia Socratis, qui homines ab iſtis ineptiis absterrendo philoſophia a coelo ad terram devocata, ſuos ab iſtis ſpinoſis et periculoſis disputationibus retinere atque impedire potuit, quo minus vel ipſe Plato a Cratylo aliisque in errorem inductus ſimilibus disquiſitionibus ſe traderet. Ceterum de his quaeſtionibus adeundus eſt Lipſius in Phyſiologia e. c. de vita futura et παλιγγενεσίᾳ II, 21. III, 14. et Tiedemanni Geiſt der ſpek. Phil. pluribus locis, quae Index docebit.

mus: quod eſt illic materia, id nobis corpus eſt. Serviant ergo deteriora melioribus: fortes ſimus adverſus fortuita: non contremiſcamus iniurias, non vulnera, non vincula, non egeſtatem. Mors quid eſt? aut finis aut transitus. nec deſinere timeo; idem eſt enim quod non coepiſſe: nec transire; quia nusquam tam anguſte ero.

EPISTOLA LXVI.

Claranum amicum inventutis, quem diu non viderat, nuper ſecum habuiſſe ſcribit, ſenem, ſed alacrem animo, deformem corpore, quo tantum abeſt ut depreſſus ſit, ut ad pulchritudinem et firmitatem evectus ſit animus. Colloquium, quod de paradoxo ſtoico, quomodo poſſint paria bona eſſe, habuerunt, exponit.

Bonum autem, ut eorum cauſa, qui non in his artibus habitant, quaedam praefemur, e doctrina Stoae non eſt niſi quod ſemper vere proſit et prodeſſe poſſit iis qui ratione et ea perfecta praediti ſunt: itaque ſummum bonum eſt virtus, quae noſtri iuris eſt, et ex electione noſtra libera oritur. Vnde ſequitur, vere bona a nobis ipſis pendere, nec quidquam bonum eſſe ſine ratione. Quocirca Honeſtum ponunt ſolum bonum eſſe, quippe naturae ac dignitati hominis unice conveniens. Iam etſi bona, ſi ad fontem, unde manant, reſpexeris, diverſas in claſſes ſeiungi poſſint, ſive ea poſſideas, ſive ea ſecundum locum ordinemque quem obtinent, ſpectaveris, unde Stoici conditionem eorum triplicem poſuerunt, ut prima, ſecunda, tertia bona numerentur, de quibus noſter hac ipſa epiſtola ſatis ſubtiliter expoſuit, omnia ad rationem virtutemque referendo; tamen tam arcte inter ſe apta et nexa ſunt, ut quin paria ſint in dubitationem vocari nequeat. Omnia enim a ratione et virtute pendent: quae quidem perfectae quum ſemper ſibi conſtent, ſequitur idem bonis quoque convenire, quod de virtute praedicatur. Gaudium itaque et patientia ſunt bona paria, reſpectu ad virtutem, non ad materiam habito. Externa vero ſ. adiaphora, indifferentia, nec bona nec mala, illa olim tam celebrata προηγμένα i. res quae quum bona non ſint proxime tamen ab iis abſunt (producta, ſ. praepoſita, praecipua appellat Cicero parum commode) et ἀποπροηγμένα i. reiecta, Zenonis et Stoicorum, Boni augmentum dare non poſſunt.

Haec diffuſe, ait Lipſius, diſtincte, pulchre. O legamus et optemus! Ceterum e recentioribus conferri merentur de hac re Lipſii

Manud. in phil. Stoic. II, 20 ſq. Tiedemanni Syſtem der ſtoiſchen Philoſophie Vol. III init., denique egregii viri, dum in vivis erat, Garvii Ueberſicht der vornehmſten Principien der Sittenlehre pag. 54 ſqq.

Claranum condiſcipulum meum vidi, poſt multos annos, non, puto, exſpectas ut adiiciam, ſenem: ſed mehercules viridem animo ac vigentem, et cum corpuſculo ſuo colluctantem. Inique enim ſe natura geſſit, et talem animum male collocavit: aut fortaſſe voluit hoc ipſum nobis oſtendere, poſſe ingenium fortiſſimum ac beatiſſimum ſub qualibet cute latere. Vicit tamen omnia impedimenta: et ad cetera contem-
2 nenda a contemtu ſui [a] corporis venit. Errare mihi viſus eſt qui dixit:

Gratior eſt pulchro veniens a corpore virtus.

nullo enim honeſtamento eget: ipſa et magnum ſui decus eſt, et corpus ſuum conſecrat. Certe Claranum noſtrum coepi intueri: formoſus mihi videtur, et tam rectus

a. *corporis.* Sic cod. Col., nec Palat. quat. multum abludunt. Editio vetus conſentit. Alias deeſt haec vox, quae tamen neceſſaria eſſe videtur.

1. De hoc *Clarano* nihil nobis praeter haec, quae noſter hic tradit, notum eſt. *et talem animum male collocavit.* Corpus enim ἀγγεῖον, vaſculum animi aut aliquod receptaculum, quin cuſtodiam antiquis dici notum eſt. Cf. Gataker ad M. Antonin. III, 3. p. 91. Simile illud, addit Lipſius, *Ingenium Galbae male habitat.*

2. Verſus Virgilii eſt Aen. V, 344. ubi tamen vocem *virtus* diverſo ab eo quem noſter ponit ſenſu accipi debere, facile patet. Stoici virtus non eget honeſtamento, ſed illa, de qua Virgilius loquitur. *et corpus ſuum conſecrat.* quod eſt velut parvi eius Dei templum. L. Sic noſter Ep. LXV fin. Quem in hoc mundo locum Deus obtinet, hunc in homine animus: quod eſt illic materia, id nobis corpus eſt. *conſecrat,* decus et ſanctitatem addit, ſacrum facit. Sic Cicero Tuſc. V, 4. Socratis ratio Platonis memoria conſecrata.

rectus corpore, quam est animo. Potest ex casa vir magnus exire: potest et ex deformi humilique corpusculo formosus animus ac magnus. Quosdam ita- 3
que videtur mihi in hoc natura tales generare, ut approbet virtutem omni loco nasci. Si posset per se nudos edere animos, feciisset. nunc quod amplius est, facit: quosdam enim edit corporibus impeditos, sed nihilominus perrumpentes obstantia. Claranus mihi videtur in exemplar editus, ut scire possemus, non deformitate corporis foedari animum, sed pulchritudine animi corpus ornari. Quamvis autem pauciſſi- 4
mos una [b] fecerimus dies, tamen multi nobis sermones fuerunt, quos subinde egeram, et ad te permittam. Hoc primo die quaesitum est, quomodo possint paria bona esse, si triplex eorum conditio est. Quaedam, ut nostris videtur, prima bona sunt: tanquam gaudium, pax, salus patriae. Quaedam secunda, in materia infelici expressa: tanquam tormentorum patientia, et in morbo gravi temperantia. Illa 5
bona directo optamus nobis: haec, si necesse erit. Sunt adhuc tertia: tanquam modestus incessus, et compositus, ac probus vultus, et conveniens prudenti

T 4 viro

b. *fecerimus.* Sic vett. edd. et scripti omnes. Muretus tamen temere correxit: *egerimus.* Facere annos, dies etc. idem valet quod graec. ποιεῖν χρόνον τινα, docente Gronovio ad h. l. ex inscriptionibus vett., laudanteque Casaubonum ad Matth. XX, 12. et Acta Apostol. XV, 33. Addas Analecta Brunkii II, p. 357. Mox *ad te permittam* Erasm. cum edit. vet. et Gruteri omnes mss. Muretus: *ad te mittam. paria*, quae sequuntur, bene se habent. *tria* est aberratio librariorum hoc loco et §. 5.

3. *omni loco*] ordine hominum. *nunc* i. sed enim. *perrumpentes obstantia* corpora, et sibi facientes servientia.

4. *subinde egeram*,] sensim egerere i. proferre, tecum communicare volo. Tales disputationes etiam in sequentibus epistolis occurrunt, occasionis tamen huius nulla mentione iniecta. *triplex eorum conditio.* Vide si lubet Lipsii Manuduct. III Diss. 6. *nostris*, Stoicis. *in materia infelici expressa:* quae re mala perpetienda ostenduntur.

viro geſtus. Quomodo iſta inter ſe paria eſſe poſſunt, quum alia optanda ſint, alia averſanda? Si volumus iſta diſtinguere, ad primum revertamur, et
6 conſideremus id quale ſit. Animus intuens vera, peritus fugiendorum ac petendorum, non ex opinione, ſed ex natura pretia rebus imponens, toti ſe inferens mundo, et in omnes eius actus contemplationem ſuam mittens, cogitationibus actionibusque intentus, ex aequo magnus ac vehemens, aſperis blandisque pariter invictus, neutri ſe fortunae ſubmittens, ſupra omnia quae contingunt acciduntque eminens, [c]pulcherrimus, ordinatiſſimus cum decore, cum viribus ſanus ac ſiccus, imperturbatus, intrepidus, quem nulla vis frangat, quem nec attollant fortuita, nec deprimant.
7 [d]Talis animus virtus eſt; haec eius facies, ſi ſub unum veniat adſpectum, et ſemel tota ſe oſtendat. Ceterum multae eius ſpecies ſunt, quae pro vitae varietate et pro actionibus explicantur: nec minor ſit aut maior ipſa. Decreſcere enim ſummum bonum non poteſt,

c. *pulcerrimus*, *ordinatiſſimus cum decore*. Sic tres Grut. et Rubeniani. Pro eo dixerat *dispoſitum* III de Ira cap. 6. *a*. Alias deeſt: *ordinatiſſimus*.

d. *Talis animus virtus eſt*, *haec eius facies*. Omnes mss. Modii, Palat. Gallici, et vett. edd. ante Frobenium ſic habent. Quod verum eſſe vidit et Opſopoeus. Vbi illa ſtoicae linguae peritia? Nam Gruterum ferre potuiſſe hominem, qui coniiciebat, *talis avis*, nimiae eſt patientiae. Qualis, quaeſo, avis eſt virtus? bubo, credo, aut veſpertilio. Liceat vero Senecae Stoicorum more loqui. Cf. Ep. IX, 2. CXIII, 2 etc. Ab his ſumſerunt iuris auctores, quum iuſtitiam definierunt: conſtantem et perpetuam voluntatem, ius ſuum cuique tribuendi. Adde lib. IV de Benef. c. 8. Gronov.

6. *non ex opinione — imponens*,] dignitatem ſ. aeſtimationem rerum non ex opinione hominum ſed ex veritate, quam ratione ſua perfecta accepit, metiens. *toti ſe inferens mundo*, ſe immiſcens tamquam ſpectator operum Dei. *fortuita*, i. externa, bonis oppoſita.

7. *Talis animus virtus eſt*:] De perfecta virtute hic ſermonem eſſe vix eſt ut moneamus. Ex ea naſcitur ſummum bonum.

poteſt, nec virtuti ire retro licet: ſed in alias atque alias qualitates convertitur, ad rerum, quas actura eſt, habitum figurata. Quidquid attigit, in ſimilitudinem 8
ſui adducit et tingit: actiones, amicitias, interdum domos totas, quas intravit diſpoſuitque, condecorat: quidquid tractavit, id amabile, conſpicuum, mirabile facit. Itaque vis eius et magnitudo ultra non poteſt ſurgere, quando incrementum maximo non eſt. Nihil invenies rectius recto, non magis quam verius vero, quam temperato temperatius. omnis in modo eſt virtus: modus certa menſura eſt. Conſtantia non ha- 9
bet quo procedat, non magis quam fiducia, aut veritas, aut fides. Quid accedere perfecto poteſt? nihil. aut perfectum non erat, cui acceſſit: ergo ne virtuti quidem, cui ſi quid adiici poteſt, defuit. Honeſtum quoque nullam acceſſionem recipit: honeſtum eſt enim propter illa quae retuli. Quid porro decorum, et iuſtum, et legitimum? non eiusdem eſſe formae putas, certis terminis comprehenſum? Creſcere 10
poſſe, imperfectae rei ſignum eſt: bonum omne in easdem cadit leges: iuncta eſt privata et publica utilitas, tam mehercules, quam inſeparabile eſt, laudandum petendumque. Ergo virtutes inter ſe pares ſunt, et opera virtutum, et omnes homines quibus illa contigere. Satorum vero animaliumque virtutes, quum mortales ſint, fragiles, caducaeque, et incertae, exſiliunt reſiduntque: et ideo non eodem pretio aeſtimantur. Vna inducitur humanis virtutibus 11
regula: una enim eſt ratio recta, ſimplexque. Nihil eſt divino divinius, coeleſti coeleſtius. Mortalia

8. *omnis in modo eſt virtus:*] Vides hic ariſtotelicum illud, virtutem ab utraque extremitate ſepoſitam ideoque in medio ſitam conſpici: quamquam multis aliis partibus in hoc ipſo de virtute loco Stoa et Lyceum inter ſe diſſederunt. Cf. Buhlii Lehrbuch der Geſch. der Philoſ. III, p. 28 ſqq.

[e]minuuntur, cadunt, deteruntur, creſcunt, exhauriuntur, implentur: itaque illis in tam incerta ſorte inaequalitas eſt: divinorum una natura eſt. Ratio autem nihil aliud eſt, quam in corpus humanum pars
12 divini ſpiritus merſa. Si ratio divina eſt, nullum autem bonum ſine ratione eſt, bonum omne divinum eſt: nullum porro inter divina discrimen eſt, ergo nec inter bona. Paria itaque ſunt gaudium, et fortis atque obſtinata tormentorum perpeſſio. in utroque enim eadem eſt animi magnitudo: [f]in altero remiſſa, et laxa; in altero pugnax, et intenta. Quid? tu non putas, parem eſſe virtutem eius qui fortiter hoſtium moenia expugnat, et eius qui obſidionem patientiſſime
13 ſuſtinet? Et magnus Scipio, qui Numantiam claudit et comprimit, cogitque invictas manus in exitium ipſas ſui verti: et magnus ille obſeſſorum animus, qui ſcit nihil eſſe clauſum, cui mors aperta eſt, et in complexu libertatis exſpirat. Aeque reliqua quoque inter ſe paria ſunt, tranquillitas, ſimplicitas, liberalitas, conſtantia, aequanimitas, tolerantia: omnibus enim iſtis una virtus ſubeſt, quae animum rectum et indecli-
14 nabilem praeſtat. Quid ergo? nihil intereſt inter gaudium,

e. *minuuntur* omnium mss. et edd. lectio eſt, et ea ſana. Mallem, inquit Pincianus, legeres, *eminent*; nam et quae ſequuntur continuo per oppoſitum dicta ſunt, *deteruntur creſcunt, exhauriuntur implentur*. Recepit Romana editio. Gronov. emendat: *muniuntur*, i. ſtruuntur, translate a ſtructura aedificiorum in utroque verbo. Sed vulgata bene habet: oppoſitio, ſi qua eſt, referri debet ad priora: *fragiles, caducae* etc. Nec vitium ineſt, quum viciſſitudo, quae in rebus mortalibus regnat, illud *exſilire et reſidere*, deſcribatur.

f. *in altero*. Sic quatuor Pal. et editio vetus. alias vulgatur *ſed in alt. r.* Gronovius probaverat ad Ep. XXIV, 10. huius voculae omiſſionem.

13. Vtrique magni fuere et P. *Scipio* Africanus minor, et *Numantini* Celtiberi Hiſpani. Cf. Flor. II, 17 et 18. Livius de ea atrociſſima re expoſuerat librr. 57 et 59 nunc deperditis.

dium, et dolorum inflexibilem patientiam? nihil, quantum ad ipsas virtutes: plurimum, quantum ad illa, in quibus virtus utraque ostenditur. In altero natnque naturalis animi remissio ac laxitas: in altero, contra naturam dolor. Itaque media sunt haec, quae plurimum intervalli recipiunt. Virtus in utraque par est: virtutem materia non mutat: nec peiorem facit dura et difficilis, nec meliorem hilaris et laeta. Ne- 15
cesse est ergo aequalia sint bona utraque: quia nec hic potest se melius in hoc gaudio gerere, nec ille melius in illis cruciatibus. duo vero, quibus nihil fieri melius potest, paria sunt. Nam si quae extra virtutem posita sunt, aut minuere illam, aut augere possunt; desinit unum bonum esse, quod honestum est. Si hoc concesseris, omne honestum perit. Quare? dicam: quia nihil honestum est, quod ab invito, quod a coacto fit. omne honestum voluntarium est. Ad- 16
misce illi pigritiam, querelam, tergiversationem, metum: quod habet in se optimum, perdidit, sibi placere. Non potest honestum esse, quod non est liberum: nam quod timet, servit. Honestum omne securum est, tranquillum est: si recusat aliquid, si complorat, si malum iudicat, perturbationem recipit, et in

14. *In altero* gaudio — *animi remissio ac laxitas:*] quies et libertas, διάχυσις. Laxatur animus, quatenus liber a molestiis curisque terrenis in altiora intentus est, iisque recreatur. *Itaque media — haec,* ἀδιάφορα (cf. §. 34.) quae neque in bonis neque in malis posuerunt Stoici, nec tamen tollenda, alia enim usui esse posse ideoque sumenda, alia tamen reiicienda. Sic explicat Cic. de Off. I, 3, 4. III, 3. de Finib. III, 15 sqq. Sunt autem triplicia. Cf. Argum. et vide Diog. Laert. VII, 101 sq. ibique Menag.

15. *Nam si — honestum est.*] Nam si materia, in qua virtus exercetur, eam mutare potest, ad honestum quoque, quod a virtute pendet et solum bonum est, vel minuendum vel augendum vim habebit.

in magna discordia volutatur. Hinc enim ſpecies re-
cti vocat, illinc ſuſpicio mali retrahit. Itaque qui
honeſte aliquid facturus eſt, quidquid opponitur, id
etiamſi incommodum putat, malum non putat: velut
17 libens faciet. Omne honeſtum iniuſſum, incoactum-
que eſt, ſincerum, et nullo malo mixtum. Scio quid
mihi hoc loco reſponderi poſſit: „Hoc nobis perſua-
dere conaris, nihil intereſſe, utrum aliquis in gaudio
ſit, an in equuleo iaceat, et tortorem ſuum laſſet.“
Poteram reſpondere quod Epicurus ait, „Sapientem,
ſi in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum: Dul-
18 ce eſt, et ad me nil pertinet!“ Quid miraris, ſi ego
paria bona dico, g unius in convivio iacentis, alterius
inter tormenta fortiſſime ſtantis: quum, quod incre-
dibi-

g. *unius in convivio iacentis.* Sic quidem dixit exſtare in exemplari uno perveteri Pincianus, nec improbo. at Eraſmus *alterius in gaudio poſiti, alterius* etc. quod in tribus Palat. et Col. Solum ſec. Pal. exhibuit lectionem illam *unius in conv. iac.* Gruterus. In editione veteri habetur: *alterius in gaudio poſiti in convivio iacentis:* ſed priora *in gaudio p.* pro interpretamento habeo.

16. *Species recti*] i. pulchritudo boni ſ. virtutis. *incommodum*, δυσχρήστημα, ſenſu ſtoico, quem explicat Cato Ciceronis de Finib. III, 21. commoda autem aut incommoda in eo genere ſunt, quae praepoſita et reiecta dicimus.

17. *Hoc nobis — laſſet.*] Haec illuſtret Cato Ciceronis de Finib. III, 13. An vero certius quidquam poteſt eſſe, quam illorum ratione, qui dolorem in malis ponunt, non poſſe ſapientem beatum eſſe, quum equuleo torqueatur? eorum autem, qui dolorem in malis non habent, ratio certe cogit, uti in omnibus tormentis conſervetur beata vita ſapienti etc. *Epicurus.* Spectant huc illa Ciceronis Tuſc. II, 7. Epicuro homini aſpero et duro non eſt hoc ſatis: in Phalaridis tauro ſi erit, dicet, *Quam ſuave eſt hoc! quam hoc non curo!* Cf. Diog. Laert. X, 118. ubi Menag. κἂν στρεβλωθῇ δ' ὁ Σοφός, εἶναι αὐτὸν εὐδαίμονα. Laudat Lipſius Cic. Fin. V, 28. De *Phalaride* tyranno Agrigentino crudeliſſimo, eiusque tauro aeneo, Perilli arte fabricato, omnia nota ſunt. Loca claſſica deſignavimus ad Senec. II de Ira 5, 1.

dibilius eſt, dicat Epicurus, dulce eſſe torqueri? Et hic reſpondeo, plurimum intereſſe inter gaudium et dolorem. Si quaeratur electio, alterum petam, alterum vitabo. illud ſecundum naturam eſt, hoc contra. Quamdiu ſic aeſtimantur, magno inter ſe disſident 19
ſpatio: quum vero ad virtutem ventum eſt, utraque par eſt, et quae per laeta procedit, et quae per triſtia. Nullum habent momentum vexatio et dolor, et quidquid aliud incommodi eſt: virtute enim obruitur. Quemadmodum [h] minuta lumina claritas ſolis obſcurat: ſic dolores, moleſtias, iniurias, virtus magnitudine ſua elidit, atque opprimit; et quocunque affulſit, ibi quidquid ſine illa apparet, exſtinguitur: nec magis ul- 20
lam portionem habent incommoda, quum in virtutem inciderint, quam in mari nimbus. Hoc ut ſcias ita eſſe, ad omne pulchrum vir bonus ſine ulla cunctatione procurret. ſtet illic licet carnifex, ſtet tortor atque ignis, perſeverabit: nec quid paſſurus, ſed quid factu-

h. *minuta lumina.* Ex ora Eraſmicae recepit Muretus *minora l.*, quum editum eſſet habeantque mss. *minuta lumina.* Neque repudiari decuit: nam ſolem ſi contra compares, omnia lumina ſunt minuta. Per ſe magna comparatio reddit exigua. Praefat. Nat. Quaeſt. totum mundum conſiderans de terrarum orbe ait: *Hoc eſt illud punctum, quod inter tot gentes ferro et igni dividitur?* Sic quae ſequuntur elegantia de formicis. Gronov. Si vir egregius meminiſſet loci Ciceron. de Finib. III, 14 init. eandem quidem ſententiam ſed alio modo tuliſſet. Ex graeco fonte utrumque hauſiſſe mihi perſuadeo, quem noſter ſuo more uſurpavit. Cicero habet: *Vt enim obſcuratur et offunditur luce ſolis lumen lucernae.*

19. *Quamdiu ſic aeſtimantur,*] i. quamdiu ſic eorum ἀξία aeſtimatio, pretium declaratur, utrum ad praepoſita an ad reiecta pertineant. Cf. Cic. Fin. III, 13 ſqq. *Nullum — nimbus.* Eadem fere Cic. de Fin. III, 14. Vt enim obſcuratur et offenditur luce ſolis lumen lucernae, et ut interit magnitudine maris Aegaei ſtilla muriae. Senecae et Ciceronis loca perquam ſimilia eſſe quivis videt. Iam quum apud noſtrum *nimbus* i. pluvia habetur, τὸ *ſtilla muriae* corruptum eſſe puto et emendandum: *ſtilla pluviae.* Sed haec obiter.

facturus ſit, adſpiciet: et ſe honeſtae rei tanquam bono viro credet. utilem illam ſibi iudicabit, tutam, pro-
21 ſperam. Eundem ergo locum habebit apud illum honeſta res, ſed triſtis atque aſpera, quem vir bonus, pauper, aut exſul, ac pallidus. Agedum pone ex alia parte virum bonum, divitiis abundantem, ex altera nihil habentem, ſed in ſe omnia: uterque aeque bonus vir erit, etiam ſi fortuna diſpari utetur. Idem, ut dixi, in rebus iudicium eſt, quod in hominibus.
22 aeque laudabilis eſt virtus in corpore valido ac libero poſita, quam in morbido ac vincto. Ergo [i] tuam quoque virtutem non magis laudabis, ſi corpus illibatum, integrum, fortuna praeſtiterit, quam ſi ex aliqua parte mutilatum, multatum. alioqui hoc erit, ex ſervo-
23 rum habitu dominum aeſtimare. Omnia enim iſta, in quae dominium caſus exercet, ſerva ſunt, pecunia, et corpus, et honores: imbecilla, fluida, mortalia, poſſeſſionis incertae. Illa rurſus libera et invicta opera virtutis: quae non ideo magis appetenda ſunt, ſi benignius a fortuna tractantur; nec minus, ſi aliqua rerum iniquitate premuntur. Quod amicitia in homi-
24 nibus eſt, hoc in rebus appetitio eſt. Non, puto, magis amares virum bonum locupletem, quam pauperem: nec robuſtum et lacertoſum, quam gracilem, et languidi corporis: ergo ne rem quidem magis appetes

i. *Ergo tuam quoque virtutem non magis laudabis, ſi corpus illibatum, integrum, fortuna praeſtiterit, quam ſi ex aliqua parte mutilatum, multatum.* Vide Gruteri notas et ſimul appendicem, apparebitque, veriorem ſcripturam eſſe, quam edidimus. Eandem praecipiunt Erf. et Heinſ. Gronovius. Vulgatum erat: *Ergo tua quoque virtus non magis laudabilis, ſi corpus illaeſum tibi et integrum fortuna praeſtiterit, quam ſi ex aliqua parte mutilatum.* Mox *ſerva* reſtituit recte ex tribus Gall. Erf. Heinſ. et uno Pal. Gronovius.

22. *ex ſervorum habitu — aeſtimare.*] Si ſervi bene culti, formoſique, aut deformes ſint, inde iudicare, dominum quoque eadem cum ſervis conditione uti. Virtus autem non eſt ſerva fortunae.

petes hilarem ac pacatam, quam distractam et operosam. Et si hoc est, magis diliges ex duobus aeque bonis viris, nitidum et unctum, quam pulverulentum et horrentem. deinde hucusque pervenies, ut magis diligas integrum omnibus membris et illaesum quam debilem aut luscum. Paulatim fastidium tuum illo us- 25
que procedet, ut ex duobus aeque iustis ac prudentibus, comatum et crispulum malis, quam recalvastrum. Vbi par est in utroque virtus, non comparet aliarum rerum inaequalitas: omnia enim alia non partes, sed accessiones sunt. Nam quis tam iniquam censuram inter suos agit, ut filium sanum quam aegrum magis diligat? procerumve et excelsum, quam brevem et modicum? Fetus suos non distinguunt ferae, et se in 26
alimentum pariter omnium sternunt. aves ex aequo partiuntur cibos. Vlysses ad Ithacae suae saxa sic properat, quemadmodum Agamemnon ad Mycenarum nobiles muros. Nemo enim patriam, quia magna est, amat, sed quia sua. Quorsum haec pertinent? ut scias, virtutem omnia opera sua, velut fetus suos, iisdem oculis intueri, aeque indulgere omnibus: et quidem impensius, laborantibus. Quoniam quidem et- 27
iam parentum amor, magis in ea quorum miseretur, [k]inclinatur. Virtus quoque opera sua quae videt affici et premi, non magis amat, sed parentum bonorum more,

k. *inclinatur.* Sic editio vetus et quinque Palatini. Recte restituit Gronov., qui addit: male mutarunt in: *inclinat.* Epist. sequenti: *ver aperire se coepit, sed iam inclinatum in aestatem.* Lib. II de Ira 19, 4. *inclinatum calorem frigus insequitur.*

26. De *Vlysse* et *Agamemnone* omnia vel ex Virgilio Ovidioque nota sunt. *Ithaca* fuit insula saxosa, et *Mycenarum muri nobiles* (Εὐκτίμενον πτολίεθρον vocat Homerus Il. β, 569.) vel propter claritatem regum, vel quod a Cyclopibus exstructi ferebantur. Pausan. VII, 25. p. 331 ed. Facii.

27. *magis in ea, quorum miseretur, inclinatur.*] Laudat Lipsius Senecae Consol. ad Helv. cap. ult. §. 7.

more, magis complectitur ac fovet. Quare non eſt ullum bonum altero maius? quia non eſt quidquam apto aptius, quia plano nihil eſt planius. Non potes dicere, „Hoc magis par eſt alicui, quam illud: ergo
28 nec honeſto honeſtius quidquam eſt.“ Quod ſi par omnium virtutum natura eſt, tria genera bonorum in aequo ſunt. Ita dico, in aequo eſt moderate gaudere, et moderate dolere: Laetitia illa non vincit hanc animi firmitatem, ſub tortore gemitus devorantem. Illa bona optabilia ſunt, haec mirabilia. utraque nihilominus paria: quia quidquid incommodi eſt, velamento maioris boni tegitur. Quisquis haec imparia iudicat, ac ipſis virtutibus avertit oculos, et exteriora
29 circumſpicit. Bona vera idem pendunt, idem patent: falſa multum habent vani. Itaque ſpecioſa et magna contra viſentibus, quum ad pondus revocata ſunt, fallunt. Ita eſt, mi Lucili, quidquid vera ratio commendat, ſolidum et aeternum eſt, firmat animum, attollitque, ſemper futurum in excelſo: illa quae temere laudantur, et vulgi ſententia bona ſunt, inflant inanibus laetos. Rurſus ea quae timentur tanquam mala, iniiciunt formidinem mentibus, et illas non
30 aliter, quam animalia ſpecies periculi, agitant. Vtraque res ergo ſine cauſa animum et diffundit, et mordet: nec illa gaudio, nec haec metu digna eſt. ſola ratio

28. *tria genera bonorum*] cf. §. 4 et 34. Sunt tamen Stoicis aliae bonorum diviſiones, quas expoſitas videbis a Lipſio Manud. II, 22. Tiedemann. Syſtem der ſtoiſch. Phil. III, p. 72 ſqq.

30. *Vtraque — diffundit,*] laetum facit, διαχέει. Haec eſt ſtoica voluptatis definitio: Sublatio animi ſine ratione, opinantis ſe magno bono frui, ap. Cic. de Fin. II, 4. et Tuſc. III, 11. ubi expreſſa ſunt graeca, qualia leguntur ap. Diog. Laert. VII, 114. ubi vid. Menag. ἡδονὴ δέ ἐστιν ἄλογος ἔπαρσις, ἐφ' αἱρετῷ δοκοῦντι ὑπάρχειν, ubi et metus ἄλογος ἔκκλισις, opinio impendentis mali quod intolerabile eſſe videatur. Cic. Tuſc. IV, 7.

ratio immutabilis et iudicii tenax eſt. non enim ſervit, ſed imperat ſenſibus. Ratio rationi par eſt, ſicut rectum recto: ergo et virtus, quae non aliud eſt quam recta ratio. Omnes virtutes rationes rectae ſunt: ſi rectae ſunt, et pares ſunt. Qualis ratio eſt, tales et actiones ſunt: ergo omnes pares ſunt. Nam quum 31
ſimiles rationi ſint, ſimiles et inter ſe ſunt: pares autem actiones inter ſe eſſe dico, quâ rectae ſunt, et honeſtae. Ceterum magna habebunt discrimina, variante materia, quae modo latior eſt, modo anguſtior, modo illuſtris, modo ignobilis, modo ad multos pertinens, modo ad paucos. In omnibus tamen iſtis, id 32
quod optimum eſt, par eſt: tanquam viri boni, omnes pares ſunt, qua boni ſunt. ſed habent differentias aetatis: alius ſenior, alius iunior. habent corporis: alius formoſus, alius deformis eſt. habent fortunae: ille dives, hic pauper eſt: ille gratioſus, potens, urbibus notus et populis; ignotus hic plerisque, et obſcurus. Sed per illud quod boni ſunt, pares ſunt. De bonis ac malis ſenſus non iudicat: quid utile, ſcit; 33
quid inutile, ignorat. Non poteſt ferre ſententiam, niſi in rem praeſentem perductus eſt: nec futuri providus

31. *Nam quum — honeſtae.*] Male Stoicos interpretareris, niſi putares, omnes perfectas virtutes eos dicere eſſe ſimiles inter ſe, ita ut temperantia non potior ſit alia temperantia, et omne discrimen inter prudentiam et temperantiam rel. tolli, quum materia variet. Nihil noſter ait ſupra §. 8. invenies rectius recto etc. In abstracto, quod dicimus, haec ſimilitudo a noſtro non reiecta eſt, quippe quae virtute contineatur, ſ. eo, quod optimum eſt. Idem iudicare video egregium Tiedemann. III. p. 152.

33. Spectant haec ad doctrinam ſtoicam et a Garvio nuper bene expoſitam l. l. p. 67 ſqq. *ſenſus* ſ. illae appetitiones animi, ὁρμαὶ, prima ſ. principia naturae tractant, unde officia τὰ καθήκοντα, actiones quae decent, ideoque adiaphora ſunt Stoicis, neque ad beatitudinem quidquam conferunt, originem habent. Sed non-

vidus est, nec praeteriti memor: quid sit consequens nescit. Ex hoc autem rerum ordo seriesque contexitur, ut unitas vitae in perfectum itura. Ratio ergo arbitra est bonorum ac malorum: aliena et externa pro vilibus habet: et ea quae neque bona sunt, neque mala, accessiones minimas ac levissimas iudicat.
34 omne illi bonum in animo est. Ceterum quaedam prima existimat, ad quae ex proposito venit, tanquam victoriam, bonos liberos, patriae salutem: quaedam secunda, quae non apparent nisi in rebus adversis: tanquam aequo animo pati morbum magnum, exsilium: quaedam media, quae nihilo magis secundum naturam sunt, quam contra naturam: tanquam [1]prudenter ambulare, composite sedere. Non enim minus secundum naturam est, sedere, quam aut stare, aut ambulare.
35 Duo illa superiora diversa sunt. prima enim secundum naturam sunt, gaudere librorum pietate, patriae incolumitate: secunda contra naturam sunt, fortiter obstare tormentis, et sitim perpeti, morbo urente praecordia. Quid ergo? aliquid contra naturam bonum est? minime. sed illud aliquando contra naturam est,
36 in quo bonum illud exsistit. vulnerari enim, et subiecto igne tabescere, et adversa valetudine affligi, contra

1. *prudenter ambulare.* Forte *pudenter.* Vt Ciceroni *pudenter vivere.* Epistol. LXVI, 5. *modestus incessus et compositus ac probus vultus.* Gron. Enimvero et *prudenter* defendi potest propterea, quod prudentia ad officia, τὰ καθήκοντα pertinet, i. ad decoras actiones, ideoque synonymum est τοῦ *decore* et *decenter.*

nondum his reperta est regula certa, ad quam actiones semper dirigantur: adhuc animus continuo mutatur et incerto vitae tramite pergit, dum accesserit ratio atque sapientia cum virtute, unde tandem certa totius vitae norma exoritur, ideoque summum bonum, ut congruenter naturae convenienterque vivamus. Cf. Cic. de Fin. III, 6 sqq. *accessiones,* ἐπιγεννήματα (Diog. Laert. VII, 86. ibi Menag.) quae Cicero de Fin. III, 9. postera et consequentia, ἐπιγεννηματικὰ appellat, ideoque adiaphora sunt.

tra naturam eſt: ſed inter iſta ſervare animum infatigabilem, ſecundum naturam eſt. Et ut, quod volo, exprimam breviter, materia boni aliquando contra naturam: at bonum, nunquam: quoniam bonum ſine ratione nullum eſt: ſequitur autem ratio naturam. Quid eſt ergo ratio? naturae imitatio. Quid eſt ſummum hominis bonum? ex naturae voluntate ſe gerere. Non eſt, inquit, dubium, quin felicior pax ſit nun- 37
quam laceſſita, quam multo reparata ſanguine. Non eſt dubium, inquit, quin felicior ſit inconcuſſa valetudo, quam ex gravibus morbis et extrema minitantibus in tutum vi quadam et patientia educta. Eodem modo non erit dubium, quin maius bonum ſit gaudium, quam obnoxius animus ad perpetiendos cruciatus vulnerum aut ignium. Minime: illa enim quae 38
fortuita ſunt, plurimum discriminis recipiunt: aeſtimantur enim utilitate ſumentium. Bonorum unum propoſitum eſt, conſentire naturae. hoc in omnibus par eſt. Quum alicuius in ſenatu ſententiam ſequimur, non poteſt dici: Ille magis aſſentitur, quam ille: ab omnibus in eandem ſententiam itur. idem de virtutibus dico: omnes naturae aſſentiuntur. idem de bonis dico: omnia naturae aſſentiuntur. Alter adole- 39
ſcens deceſſit, alter ſenex, aliquis praeter hos infans, cui nihil amplius contingit, quam proſpicere vitam: omnes hi aeque fuere mortales, etiam ſi mors aliorum longius vitam paſſa eſt procedere, aliorum in medio flore praecîdit, aliorum interrupit principia. Alius

36. *Quid eſt ratio — gerere.*] Quum primum ratio ad liquidum exploraverit, illa prima ſ. principia naturae, τὰ πρῶτα, cupidinem ſciendi, habendi, gloriae rel., quibus homines moveri ſolent, nihil niſi vias eſſe ad ſummum bonum perveniendi, illud ipſum eo contineri videt, ut illae appetitiones animi atque actiones bene diſtinctae ordinataeque ad convenientiam, ὁμολογίαν, cum natura dirigantur. Cic. de Fin. III, 6. Cf. Lipſii Manud. II, 13 ſqq.

inter coenandum ſolutus eſt, alterius continuata mors
40 ſomno eſt, aliquem concubitus exſtinxit. his oppone ferro transfoſſos, aut exanimatos ſerpentum morſu, aut fractos ruina, aut per longam nervorum contractionem extortos minutatim. aliquorum melior dici, aliquorum peior poteſt exitus: mors quidem omnium par eſt. per quae venit, diverſa ſunt; id in quod deſinunt, unum eſt. mors nulla maior aut minor eſt: habet enim eundem in omnibus modum, finiſſe vitam.
41 Idem tibi de bonis dico. hoc bonum inter meras voluptates eſt, hoc inter triſtia et acerba; illud fortunae indulgentiam rexit, hoc violentiam domuit; utrumque aeque bonum eſt, quamvis illud plana emolliverit, hoc aſpera. Idem finis omnium eſt. bona ſunt, laudanda ſunt, virtutem rationemque comitantur: virtus aequat inter ſe, quidquid agnoſcit. Nec
42 eſt quod hoc inter noſtra placita mireris. apud Epicurum duo bona ſunt, ex quibus ſummum illud beatumque componitur: ut corpus ſine dolore ſit, animus ſine perturbatione. Haec bona non creſcunt, ſi plena ſunt. quo enim creſcet, quod plenum eſt? Dolore corpus caret: quid ad hanc accedere indolentiam poteſt? Animus conſtat ſibi, et placidus eſt: quid accedere ad hanc tranquillitatem poteſt? Quemadmodum ſerenitas coeli non recipit maiorem adhuc clari-
43 tatem, in ſinceriſſimum nitorem repurgata: ſic hominis, corpus animumque curantis, et bonum ſuum ex utroque nectentis, perfectus eſt ſtatus, et ſummam voti ſui invenit, ſi nec aeſtus animo eſt, nec dolor corpori. Si qua extra blandimenta contingunt, non augent ſummum bonum, ſed, ut ita dicam, condiunt et oblectant: abſolutum enim illud humanae naturae bonum, corporis et animi pace contentum eſt.

Dabo

42. *Epicurum.*] Vide Cic. X, 128. et Garvium l. l. pag. de Fin. I, 9 ſq, Diog. Laert. 90 ſqq.

Dabo apud Epicurum tibi etiamnunc ſimillimam huic 44
noſtrae diviſionem bonorum. Alia enim ſunt apud illum, quae malit contingere ſibi: ut corporis quietem, ab omni incommodo liberam, et animi remiſſionem, bonorum ſuorum contemplatione gaudentis. Alia ſunt, quae quamvis nolit accidere, nihilominus et laudat et comprobat: tanquam illam, quam paulo ante dicebam, malae valetudinis, et dolorum graviſſimorum perpeſſionem. in qua Epicurus fuit illo ſum- 45
mo ac fortunatiſſimo die ſuo: ait enim, „ſe veſicae et exulcerati ventris tormenta tolerare, ulteriorem doloris acceſſionem non recipientia: eſſe nihilominus ſibi illum beatum diem.“ Beatum autem agere, niſi qui eſt in ſummo bono, non poteſt. Ergo et apud Epicurum ſunt haec bona, quae malles non experiri: ſed quia ita res tulit, et amplexanda et laudanda et exaequanda ſummis ſunt. Non poteſt dici, hoc non eſ- 46
ſe par maximis bonum, quod beatae vitae clauſulam impoſuit, cui Epicurus extrema voce gratias egit. Permitte mihi, mi Lucili, virorum optime, aliquid audacius dicere. ſi ulla bona maiora eſſe aliis poſſent: haec ego quae triſtia videntur, mollibus illis et delicatis praetuliſſem. Maius eſt enim perfringere difficilia, quam laeta moderari. Eadem ratione fit, ſcio, ut aliquis felicitatem bene, et calamitatem fortiter ferat.

44. Cf. Diog. Laert. X, 129. 130.

45. *Epicurus.*] Epiſtolam hanc conſervavit Diog. Laert. X, 22. ubi vid. Menagius. Eſt haecce: ἤδη δὲ τελευτῶν γράφει πρὸς Ἰδομενέα τήνδε ἐπιστολήν. Τὴν μακαρίαν ἄγοντες καὶ ἅμα τελευτῶντες ἡμέραν τοῦ βίου ἐγράφομεν ὑμῖν ταυτί· στραγγουρία τε παρηκολουθήκει καὶ δυσεντερικὰ πάθη ὑπερβολὴν οὐκ ἀπολείποντα τοῦ ἐν ἑαυτοῖς μεγέθους· ἀντιπαρετάττετο δὲ πᾶσι τούτοις τὸ κατὰ ψυχὴν χαῖρον ἐπὶ τῶν ηγεγονότων ἡμῖν διαλογισμῶν μνήμη. Cic. de Fin. II, 30. convertit hanc epiſtolam. Cf. Sen. Ep. XCII, 24.

47 Aeque fortis esse potest, qui pro vallo securus excubuit, nullis hostibus castra tentantibus: et qui succisis poplitibus in genua se excepit, nec arma dimisit. Macte virtute esto, sanguinolentis et ex acie redeuntibus dicitur. Itaque haec magis laudaverim bona exercitata et fortia, et cum fortuna rixata. Ego dubi-
48 tem, quin magis laudem truncam illam et retorridam manum Mucii, quam cuiuslibet fortissimi salvam? Stetit hostium flammarumque contemtor, et manum suam in hostili foculo distillantem perspectavit, donec Porsenna, cuius poenae favebat, gloriae invidit, et ignem invito eripi iussit. Hoc bonum quidni inter prima numerem, tantoque maius putem, quam illa secura et intentata fortunae, quanto rarius est hostem amissa manu vicisse, quam armatâ? Quid ergo, in-
49 quis, hoc bonum tibi optabis? Quidni? hoc enim, nisi qui potest et optare, non potest facere. An potius optem, ut [m] malaciſſandos articulos exoletis meis porrigam? ut muliercula, aut aliquis in mulierculam ex viro versus, digitulos meos ducat? Quidni ego feliciorem putem Mucium, qui sic tractavit ignem, quasi illam manum tractatori praestitisset? In integrum restituit, quidquid erraverat. confecit bellum inermis ac mancus, et illa manu trunca reges duos vicit.

EPISTOLA LXVII.

Paucis quibusdam de senectutis suae imbecillitate praemissis, eius oblectationem, libellos laudat, et epistolas a Lucilio sibi missas. Qui quum

m. *malaciſſandos.* Sic annotaverat Rud. Agricola et vehementer placuit Erasmo, cuius editio habet *male laxandos:* alii codd. omittunt τὸ *male.* Pinciano melius videbatur *malaxandos,* quod Lipsius in codd. inveniebat.

49. *tractatori.*] Ita dicti, quos in prioribus lineis descripsit, qui manu artifice membra et plurimum manus digitosque ducebant et leniter trahebant. Martialis III, 82, 13. Percurrit agili corpus arte tractatrix.

quum nuper e noſtro quaeſiviſſet, an omne bonum optabile ſit, huius epiſtolae occaſionem praebet, in qua hanc quaeſtionem explicat et affirmat. Etiamſi materia, ait, in malis numeranda ſit, tamen in ea virtutem oſtendi, ut in morbo, tormentisve. Fortitudinem et patientiam, addit, eſſe optabile bonum, non mortem, tormentum etc. ſi per ſe conſiderantur. Accedit, quod virtutes inter ſe aptae nexaeque ſint. — Sunt et haec pulchra, fortis, germani Stoici, recte ait Lipſius.

Ceterum hanc epiſtolam cum ſuperiore arcte cohaerere, et in ea ſemina eorum quae hic dilatantur iacta eſſe, quivis intelliget. Conf. Argument.

Vt a communibus initium faciam, ver aperire ſe coepit: ſed iam inclinatum in aeſtatem, quo tempore calere debebat, intepuit: nec adhuc illi fides eſt, ſaepe enim in hiemem reſolvitur. Vis ſcire, quam dubium adhuc ſit? nondum me committo [a] frigidae: adhuc rigorem eius infringo. Hoc eſt, inquis, nec calidum, nec frigidum pati. Ita eſt, mi Lucili. iam aetas mea contenta eſt ſuo frigore: vix media regelatur aeſtate. Itaque maior pars in veſtimentis degi- 2
tur. Ago gratias ſenectuti, quod me lectulo affixit.

a. *frigidae.* Sic Eraſmus et optimi codd. et edd. Alii: *frigido aëri.*

1. *Vis — infringo.*] Significat, ſe *frigida* aqua plane nondum uti ad lavandum, ut alioquin ſolitus ſit, idque ob aëris adhuc intemperiem. Sed, inquit, *rigorem eius infringo*, mitigo tepida aqua infuſa. Hinc *nec calidum — pati* explices. Noſtrum autem fuiſſe alias pſychroluten, numquam balneis et lotione calida uſum, patet ex Epiſt. LIII init. et LXXXIII, 5. ubi ipſa haec interpretatur. *iam aetas mea contenta eſt ſuo frigore:* h. frigus quod aetati meae proprium eſt, cogit eam, hos ſibi fines conſtituere, extra quos egredi non debet. Sic continentur i. temperantur, reguntur cupiditates etc. Alii interpretantur: aetas mea acquieſcit in frigore ſuo.

3. *Quod me lectulo affixit*] ſtudendi cauſa. Egregie uſus eſt poſt Muretum hoc loco Bentleius ad Horat. I Serm. I, 80. 81. At ſi condoluit tentatum frigore corpus, Aut alius caſus lecto te adfixit, ad lectionem ap. Horat. vulgatam defendendam.

Quidni gratias illi hoc nomine agam? quidquid debebam nolle, non poſſum. Cum libellis mihi plurimus ſermo eſt. ſi quando interveniunt epiſtolae tuae, tecum eſſe mihi videor: et ſic afficior animo, tanquam tibi non reſcribam, ſed reſpondeam. Itaque et de hoc quod quaeris, quaſi colloquar tecum: quale ſit, unâ
3 ſcrutabimur. Quaeris, „an omne bonum optabile ſit. Si bonum eſt,“ inquis, „fortiter torqueri, et magno animo uri, et patienter aegrotare, ſequitur ut iſta optabilia ſint. nihil autem video ex iſtis voto dignum. Neminem certe adhuc ſcio eo nomine votum ſolviſſe, quod flagellis caeſus eſſet, aut podagrâ distortus, aut
4 equuleo longior factus.“ Diſtingue, mi Lucili, iſta; et intelliges eſſe in his aliquid optandum. Tormenta abeſſe a me velim: ſed ſi ſuſtinenda fuerint, ut me in illis fortiter, honeſte, animoſe geram, optabo. Quidni ego malim non incidere bellum? ſed ſi inciderit, ut vulnera, ut famem, et omnia quae bello-
5 rum neceſſitas fert, generoſe feram, optabo. Non ſum tam demens, ut aegrotare cupiam: ſed ſi aegrotandum fuerit, ut nihil intemperanter, nihil effeminate faciam, optabo. Ita non incommoda optabilia ſunt,

3. *Quaeris — longior factus.*] Hanc propoſitionem, ſ. ſoriten: Bonum omne eſſe optabile, ideoque expetendum, et laudabile: laudabile autem omne honeſtum, igitur omne bonum honeſtum, a Platonicis et Peripateticis acerrime eſſe impugnatam, conſtat. Vide modo Cic. de Fin. IV, 18. Recte reſpondit noſter: bonum non contra naturam eſſe poteſt: ſed hoc cadit interdum in materiam, in qua bene tractanda bonum cernitur. Nullum enim bonum ſine ratione eſt, quae ad naturam ſe attemperat. Quae hactenus optime cohaerent cum ſcito Stoicorum, quo nulla bona praeter animi agnoſcunt, atque ideo iubent, ut omnibus, quae ad corpus ſpectent, proinde omnibus externis deſpectis et calcatis, una ratio et virtus imperium habeant.

5. *incommoda.*] ἀποπροηγμένα, reiecta, omni aeſtimatione carentia. Opponuntur commo-

ſunt, ſed virtus quâ perferuntur incommoda. Qui- 6
dam ex noſtris exiſtimant, [b] omnium tormentorum fortem tolerantiam non eſſe optabilem, ſed nec abominandam quidem: quia voto purum bonum peti debet, et tranquillum, et extra moleſtiam poſitum. Ego diſſentio. Quare? primum quia fieri non poteſt, ut aliqua res bona quidem ſit, ſed optabilis non ſit: deinde ſi virtus optabilis eſt, nullum autem ſine virtute bonum, et omne bonum optabile. Deinde etiam, ſi 7
tormentorum fortis patientia optabilis non eſt, etiamnunc interrogo: Nonne fortitudo optabilis eſt? atqui pericula contemnit et provocat. Pulcherrima pars eius, maximeque mirabilis illa eſt, non cedere ignibus, obviam ire vulneribus, interdum tela ne vitare quidem, ſed pectore excipere. Si fortitudo optabilis eſt; et 8
tormenta patienter ferre optabile eſt. hoc enim fortitudinis pars eſt: ſed ſepara iſta, ut dixi, nihil erit quod tibi faciat errorem. Non enim pati tormenta optabile eſt, ſed pati fortiter. Illud opto fortiter,

 quod

b. *omnium tormentorum.* Sic Pincianus ſcribendum prodit, tum ex veteri lectione, tum quod ſubiiciat auctor: *tormentorum fortis patientia.* Aſſentitur Gruterus, quamquam eius membranae praeſtant: *omnium noſtrorum fortem*: ita et Eraſmus et editio vetus. Muretus: *omnino aſperorum f.*, quam lectionem ex ora edit. Eraſmicae deſumſiſſe videtur. Gronovius tamen putat antiquam lectionem fuiſſe *durorum*, aut *noxiorum*, ſuſpicans in libro, unde haec lectio manavit, fuiſſe, *urorum* ambigua nota *rou· u* ſicut *n* credi poſſet.

commodis, quae uſum, χρείαν, ſed nullam utilitatem, ὠφέλειαν, habent: hinc εὐχρηστήματα et δυσχρηστήματα vocata. Cf. ad Ep. LVI, 16.

6. *Quidam ex noſtris,*] quinam hi Stoici fuerint, ignoramus. Poſuiſſe autem fortem hanc tolerantiam in iis, quae neque bona, neque mala ſunt, ἐν τοῖς ἀδιαφόροις, facile patet.

7. *Nonne — pectore excipere.*] Bene cum his conveniunt, quae Cicero de Off. I, 19, 2. habet. Itaque probe definitur a Stoicis fortitudo, quam eam virtutem eſſe dicunt propugnantem pro aequitate.

quod est virtus. Quis tamen unquam hoc sibi optavit? Quaedam vota aperta et professa sunt, quum particulatim fiunt: quaedam latent, quum uno voto mul-
9 ta comprehensa sunt. Tanquam opto mihi vitam honestam: vita autem honesta actionibus variis constat. In hac est Reguli arca, Catonis scissum manu sua vulnus, Rutilii exsilium, calix venenatus qui Socratem transtulit e carcere in coelum. Ita quum optavi mihi vitam honestam, et haec optavi, sine quibus interdum honesta non potest esse.

> —— *O terque quaterque beati,*
> *Queis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis*
> *Contigit oppetere!*

10 Quid interest, optes hoc alicui, an optabile fuisse fatearis? Decius se pro Republica devovit, et in medios hostes concitato equo mortem petens irruit. Alter post hunc paternae virtutis aemulus, conceptis solennibus, ac iam familiaribus verbis, in aciem confertissimam incurrit, de hoc solicitus tantum ut litaret, optabilem rem putans bonam mortem. Dubitas ergo, an optimum sit memorabilem mori, et in ali-
11 quo opere virtutis? Quum aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus virtutibus utitur fortasse, quum una in promtu sit, et maxime appareat, patientia. ceterum illic est fortitudo: cuius patientia et perpessio, et tolerantia, rami sunt. illic est prudentia, sine qua nul-

9. Similia occurrunt, iisdem viris optimis in partem vocatis, in Sen. libro de Provid. c. 3, 5., ubi quaedam notavimus. Virgilii versus sunt ex Aen. I, 93 sqq.

10. *Decius*] pater et filius pro exercitu et populo Romano diis manibus se devoverant, formulam devovendi, *concepta sollennia* vocat noster, filio propter patrem iam familiaria, praeeunte Pontifice maximo. Liv. VIII, 9. X, 26. Cf. Heusinger ad Cic. Off. I, 18, 9. qui loca classica veterum de hac re collegit. *litaret* i. deos devotione sua sollenni propitiaret.

nullum initur consilium: quae suadet, quod effugere non possis, quam fortissime ferre. illic est constantia: quae deiici loco non potest, et propositum nulla vi extorquente dimittit. illic est individuus ille comitatus virtutum. Quidquid honeste fit, una virtus facit, 12
sed de consilii sententia: quod autem ab omnibus virtutibus comprobatur, etiam si ab una fieri videtur, optabile est. Quid? tu existimas ea tantum optabilia esse, quae per voluptatem et otium veniunt? quae excipiuntur foribus ornatis? Sunt quaedam tristes voluptates, sunt quaedam vota, quae non gratulantium coetu, sed adorantium venerantiumque celebrantur. Ita tu non putas Regulum optasse, ut ad Poenos per- 13
veniret? Indue magni viri animum, et ab opinionibus vulgi secede paulisper: cape quantam debes virtutis pulcherrimae ac magnificentissimae speciem, quae nobis non sertis, sed sudore et sanguine colenda est. Adspice M. Catonem, sacro illi pectori purissimas manus admoventem, et vulnera parum demissa laxantem. Vtrum illi tandem dicturus es, [c]Vellem quae velles: 14
et, Molestе fero? an, Feliciter, quod agis? Hoc loco

c. *Vellem quae velles.* Lectio est mss. Defendit eam Muretus IX, 8. Varr. Lect. Erasmus ex melioribus codd. eruisse Grutero videbatur: *Nollem, quae velles.*

12. *ab omnibus virtutibus*] nam Stoicorum scito nexae eae inter se sunt. Vide Lipsii Manud. III, 4. *foribus ornatis*, quae in re laeta lauru et lucernis solent obduci. Lipsii Elect. I, c. 3.

14. *Vellem quae velles:*] cui boni et secundi aliquid obtigerat, ei ominis causa gratulabundi dicere solebant, *Feliciter* aut *Feliciter quod agas*, quum significarent, cupere se, eum perpetuo eadem felicitate uti. Iuvenal. Sat. V, 119. Lipsius laudat Sueton. Claud. c. 7. Domit. c. 13. Contra cui male et adversus animi sententiam erat, eum alloquentes dicebant: *Vellem quae velles* i. vellem tibi ita esset, ut tu quoque velles. Plautus in Mostellar. III, 2, 51. Horat. Serm. I, 9, 5. Plaut. Amphitruon. Prolog.

loco mihi Demetrius noſter occurrit, qui vitam ſecuram et ſine ullis fortunae incurſionibus mare mortuum vocat. Nihil habere ad quod exciteris, ad quod te concites, cuius denuntiatione et incurſu firmitatem animi tui tentes: ſed in otio inconcuſſo iacere: non eſt tranquillitas; malacia eſt. Attalus Stoicus dicere ſolebat: „Malo me fortuna in caſtris ſuis, quam in deliciis habeat. torqueor, ſed fortiter: bene eſt. occidor, ſed fortiter: bene eſt.“ Audi Epicurum. dicet: „Et dulce eſt.“ Ego tam honeſtae rei ac ſeverae nunquam molle nomen imponam. Vror, ſed inviſtus. Quidni optabile ſit, non quod urit me ignis, ſed quod non vincit? Nihil eſt virtute praeſtantius, nihil pulchrius: et bonum eſt, et optabile, quidquid ex huius geritur imperio.

EPISTOLA LXVIII.

Aſſentitur amico, qui ſeſe otium electurum ſcripſerat: eſſe enim ſtoicum, modo ſit cum Philoſophia iunctum, et ab omni iactatione et oſtentatione remotum. Itaque hortatur, ne nimis ſed bene lateat, atque de uſu otii egregia quaedam adiungit: tecum loquaris et de te apud te male exiſtimes. Denique hoc otium, concludit, ſuper aliorum negotia eſſe, quoniam magnae reipublicae, mundo, ſervit.

Conſilio tuo accedo: absconde te in otio, ſed et otium tuum absconde. Hoc te facturum, Stoicorum etiamſi non praecepto, at exemplo licet ſcias: ſed ex praecepto quoque facies: id tibi, quum voles, approlog. 39. Haec fere Muretus in Var. Lect. IX, 8. p. 258. ed. Wolf. *Demetrius* cf. ad Ep. LXII. *Malacia*, μαλακία, quae in mari dicitur, quum ſtat ſine ventis et fere motu. Laudat Gruter. Schottum ad Aurel. Vict. de vir. ill. (c. 22. p. 126 ſqq. ed. Arnzen.) ubi mollities maris vocatur.

15. *Attalus*] cf. Ep. IX, 5 not. *Epicurum.* cf. Ep. LXVI, 17 not.

1. *Stoicorum.*] Totum hoc argumentum ex profeſſo tractavit noſter in libello de Brev. vit.

probabo. Nec ad omnem Rempublicam mittimus, nec ſemper, nec ſine ullo fine. Praeterea, quum ſapienti Rempublicam ipſo dignam dedimus, id eſt, mundum: non eſt extra Rempublicam etiamſi receſſerit. immo fortaſſe relicto uno angulo in maiora atque 2
ampliora transit, et coelo impoſitus, intelligit, quum ſellam aut tribunal aſcenderat, quam humili loco ſederit. Depono hoc apud te: nunquam plus agere ſapientem, quam quum in conſpectum eius divina atque humana venerunt. Nunc ad illud revertor, quod ſuadere tibi coeperam, ut otium tuum ignotum ſit. Non 3
eſt quod inſcribas tibi philoſophiam. atque etiam aliud propoſito tuo nomen impone: valetudinem, et imbecillitatem vocato, et deſidiam. Gloriari otio, iners ambitio eſt. Animalia quaedam, ne inveniri poſſint, veſti-

vit. c. 18 ſqq. et de Otio aut ſeceſſu ſapientis, ad quod fragmentum cf. Argum. *Nec ad — fine.* Noſter de Otio Sap. c. 30 ſqq. c. 32, 17. Negant noſtri ſapientem ad quamlibet Rempublicam acceſſurum. Nec tamen omni tempore, nec nulla quiete interpoſita, hoc fiet.

2. *quum ſellam*] curulem, *aut tribunal* in magiſtratu. L. Elegans Themiſtii Epigramma in ſemetipſum, a Iuliano Caeſare ad Conſulatum evectum, et a ſapientiae ſtudio abductum, laudat ex Mureto Lipſius. Invenies in Anal. Brunk. T. III. cf. de eo Fabric. Bibl. Graec. Vol. VIII, p. 5. et Wernsdorf. ad Himer. p. 31. *divina atque humana* i. ea omnia, quibus ſapientia continetur. Cic. Tuſc. V, 3. Divinas autem res ſ. theologiam naturalem Phyſica, res humanas dialecticen et doctrinam de moribus complexas eſſe vel ex Erneſti clav. Cic. voc. *Divinus* notum eſt.

3. *Non eſt, quod inſcribas tibi philoſophiam.*] Cave tibi otioſo imponas nomen philoſophi. Ne in otium recedas ſub praetextu philoſophiae. Sic nomen libris ſ. monumentis proprie inſcribitur: h. l. eſt i. q. aſſumere, arrogare. *atque etiam* i. e. potius. Laudat Lipſius ſimilia in Epp. V. XIV. XVIII. CIII. et illud quod Socrates olim Antiſtheni, Cynicae ſectae auctori, qui pallium tritum et ſciſſum obvertebat atque oſtendebat, Ὁρῶ σοῦ, ἔφη, διὰ τοῦ τρίβωνος τὴν κενοδοξίαν, video, dixit, per pallium tuam vanitatem. Diog. Laert.

veſtigia ſua circa cubile ipſum confundunt: idem tibi faciendum eſt, alioqui non deerunt qui perſequantur. Multi aperta transeunt, condita et obſtruſa rimantur: 4 furem ſignata ſollicitant. vile videtur, quidquid patet: aperta effractarius praeterit. Hos mores habet populus, hos imperitiſſimus quisque: in ſecreta irrumpere cupit. Optimum itaque eſt, non iactare otium ſuum. iactandi autem genus eſt, nimis latere, et a conſpectu hominum ſecedere. Ille Tarentum ſe abdidit, ille Neapoli incluſus eſt: ille multis annis 5 non transit domus ſuae limen. Convocat turbam, quisquis otio ſuo aliquam fabulam impoſuit. Quum feceſſeris, non eſt agendum hoc, ut de te homines loquantur, ſed ut ipſe tecum loquaris. Quid autem tecum loquaris? quod homines de aliis libentiſſime faciunt, de te apud te male exiſtima. Aſſueſce et dicere verum, et audire. Id autem maxime tracta, quod 6 in te eſſe infirmiſſimum ſenties. Nota habet quisque ſui corporis vitia. itaque alius vomitu levat ſtomachum, alius frequenti cibo fulcit, alius interpoſito ieiunio corpus exhaurit et purgat. Hi quorum pedes dolor repetit, aut vino aut balneo abstinent: in cetera negli-

Laert. VI, 8. *Multi οἱ πολλοὶ*, vulgus et imperiti, turba. Pertinent huc egregia Epicteti in Enchirid. c. 22 (H. Wolf. 29.).

4. *Tarentum — Neapoli*] Illa loca delicata et amoena petebantur a peregrinantibus, aut ſeceſſum quaerentibus. Cf. Noſter de Tranq. Anim. II, 11 et 12, ubi verba: *et tecta vel antiquae ſatis opulenta turbae* quae Pinciani exemplaribus duobus deſunt, at in Gruterianis codd. mendoſe repraeſentantur, foede interpolata ſunt. Dum meliora codd. dederint ope Lipſii in Elector. I, 10. ſic reſtituam locum, quem tamen non perſanatum puto: *et tecta Veliae, Antiique ſaxis opulenta turba.* De *Veliis* conf. Horat. Epp. I, 15, 1. qui et I Carm. 35, 1. *gratum Antium* laudat, cum Strabon. V, 3, 5. p. 158. Lipſ. (p. 232. Caſaub.)

5. *fabulam impoſuit.*] i. rumorem facit, nomen imponit ſingulare.

negligentes, huic, a quo saepe infestantur, occurrunt. Sic in animo nostro sunt quasi causariae partes, quibus adhibenda curatio est. Quid in otio fa- 7
cio? ulcus meum curo. Si ostenderem tibi pedem turgidum, lividam manum aut contracti cruris aridos nervos, permitteres mihi uno loco iacere, et fovere morbum meum: maius malum est hoc, quod non possum tibi ostendere. In pectore collectio et vomica est. Nolo laudes, nolo dicas: O magnum virum! contemsit omnia, et damnatis humanae vitae furoribus fugit. Nihil damnavi, nisi me: non est, quod pro- 8
ficiendi causa venire ad me velis. Erras, qui hinc aliquid auxilii speras. non medicus, sed aeger hic habitat. Malo illa, quum discesseris, dicas: „ego istum beatum hominem putabam, et eruditum: erexeram aures. destitutus sum, nihil vidi, nihil audivi, quod concupiscerem, ad quod reverterer.“ Si hoc sentis, si hoc loqueris, aliquid profectum est. Malo ignoscas otio meo, quam invideas. Otium, inquis, Seneca, 9
mihi commendas? ad Epicureas voces dilaberis. Otium tibi commendo, in quo maiora agas et pulchriora, quam, quae reliquisti. Pulsare superbas potentiorum fores, digerere in literam senes orbos, plurimum

6. *causariae partes.*] Causarii in militia, qui causam commeatus aut vacationis valetudinem allegant. Inde causarii pro aegris aut affectis, itemque *in causa esse* pro morbo. Nos in Militia, et Mercurialis lib. 6. Variar. c. 1. Restitui Senecae hanc vocem Consol. ad Marc. c. 11. L. Cf. et ad III de Ira X, *a*.

9. *Epicureos*] Noster de Otio sap. c. 30, 3. Duae maximae in hac re dissident sectae Epicureorum et Stoicorum: sed utraque ad otium diversa via mittit. Epicurus ait: Non accedet ad rempublicam sapiens, nisi si quid intervenerit. Zenon ait: Accedet ad rempublicam, nisi si quid impedierit. Cf. ibi not. *Pulsare — fores*, clientum erat. *digerere — orbos.* Heredipetarum erat, qui notarent litterarum ordine senes divites orbos, quorum

rimum in foro posse, invidiosa potentia ac brevis est, et, si verum aestimes, sordida. Ille me gratiâ forensi longe antecedit, ille stipendiis militaribus et quae-
10sita per hoc dignitate, [a]ille clientum turba. Tanti est ab hominibus vinci, dum a me fortuna vincatur! cuius turbae par esse non possum, plus habet gratiae. Vtinam quidem hoc propositum sequi olim fuisset animus tibi! utinam de vita beata non in conspectu mortis ageremus! sed nunc quoque non moremur. Multa enim, quae supervacua esse et inimica, crediturі
11 fuimus rationi, nunc experientiae credimus. Quod facere solent qui serius exeunt, et volunt tempus celeritate reparare, calcar addamus. haec aetas optime facit ad haec studia: iam [b]disputavit: iam vitia primo fervore adolescentiae indomita laſſavit: non multum supereſt, ut exstinguat. Et quando, inquis, tibi proderit istud, quod in exitu discis, aut in quam
12 rem? in hanc, ut exeam melior. Non est tamen quod

a. *ille clientum turba. Tanti est ab hominibus vinci, dum a me fortuna vincatur! cuius turbae par esse non possum, plus habet gratiae.* Haec est lectio editionis veteris, cui adsentitur quoque Erasmus, nisi quod is habet, *plus habeo gratiae.* Pincianus, quem Muretus sequutus est, suspicabatur, ordine verborum inverso, legendum esse: *ille cl. turba, cuius turbae par esse non possum, plus habet gratiae. Est tanti ab h. v. d. a. m. f. v.*

b. *disputavit.* Sic Erasmus, editio vetus et codd. Grut. Bona lectio est. Non amplius disputando tempus terendum est, sed nunc, hac senectute, in conspectu mortis positi experimentis ad bonam mentem pergere debemus. Pincianus homo elegantissimi ingenii memor nostri de Ira II, 20, 4. *nimiusque ille fervor despumat* legendum suasit: *despumavit.* Est enim metaphora sumta a musto.

rum opes maxima obsequiorum diversitate captarent. Cf. Gataker. ad M. Antonin. p. 256, 257. et Burmann. ad Petron. p. 538. *dignitate* vel equestri vel senatoria. Nam et qui primum pilum duxerant, Equites fiebant, et qui tribunatu militum functi, Senatores. Supra Ep. XLVII, 4. L.

11. *ut exeam melior.*] Ad vocem Solonis, qui moriturus audire aliquid cupidus, et *Quo fine* interrogatus, ut *doctior*, inquit, moriar. L.

quod existimes, ullam aetatem aptiorem esse ad bonam mentem, quam quae se multis experimentis, longa ac frequenti rerum patientia domuit: quae ad salutaria, mitigatis affectibus, venit. Hoc est huius boni tempus. quisquis senex ad sapientiam pervenit, annis pervenit.

EPISTOLA LXIX.

Ne loca mutet, hortetur, sed magis quiescat corpore, ut et animum continere possit, et emendare, ideoque affectibus liberare. Id potius agendum esse, monet, ut assidua vigilia et intentione se ad perfectum adducat, atque adeo morti se praeparet.

Mutare te loca, et in alium de alio transilire, nolo. Primum, quia tam frequens migratio instabilis animi est: [a]coalescere otio non potest, nisi desiit circumspicere et errare. Vt animum possis continere, prius corporis tui fugam siste. Deinde, plurimum remedia continuata proficiunt. interrumpenda non est quies, et vitae prioris oblivio. Sine dediscere oculos tuos: sine aures assuescere sanioribus verbis. quoties processeris, in ipso transitu aliqua quae renovent cupiditates

a. *coalescere otio non potest, nisi desiit.* Sic Pal. tert. editioque vetus, a quibus haud multum abludunt rel. codd. Grut et Erasm. Antea: *coal. otio n. potes, nisi desinas. Coalescere* habent omnes codd., quamquam *coolescere* scribendum esse Lambinus ad Lucret. VI, 1066. egregie docuit, analogia adstipulante. Vide Schnei-

12. *annis pervenit.*] i. beneficio annorum pervenit. aetati hoc dedit. L.

1. *Mutare — nolo.*] Hoc migrationis studium saepe reprehenditur in iis, qui sibi non constant, et locorum mutatione illam animi tranquillitatem comparare volunt, quae ab animo ipso manare debet. Cf. Senec. de Tranq. An. c. 11, 11 sqq. Gataker ad M. Antonin. IV, 3. p. 122. *Vt oblivio.* Si alia mox alia sequantur hac corporis instabilitate, omnis experimentorum et cogitationum priorum fructus et utilitas evanescant necesse est.

2 tes tuas, tibi occurrent. Quemadmodum ei, qui amorem exuere conatur, evitanda est omnis admonitio dilecti corporis, nihil enim facilius quam amor recrudescit: ita qui deponere vult desideria rerum omnium, quarum cupiditate flagravit, et oculos et aures ab his quae reliquit, avertat. Cito rebellat affectus. quocunque se verterit, pretium aliquod praesens occu-
3 pationis suae adspiciet. Nullum sine auctoramento malum est. Avaritia pecuniam promittit: luxuria multas ac varias voluptates: ambitio purpuram et plausum, et ex hoc potentiam, et quidquid potentia potest. Mercede te vitia solicitant: hic tibi gratis vivendum est. Vix effici toto seculo potest, ut vitia tam longâ licentiâ tumida subigantur, et iugum accipiant: nedum, si tam breve tempus [b] per intervalla
4 discindimus. Vnamquamlibet rem vix ad perfectum adducit assidua vigilia et intentio. Si me quidem velis audire, hoc meditare. exerce te, ut mortem et excipias, et si ita res suadebit, arcessas. interest nihil, an illa ad nos veniat, an ad illam nos. Illud impe-

der. in Indic. ad Scriptt. R. R. Mox §. 2. *amorem exuére* sincera lectio est, quam perperam mutatam vides in codd. nonnullis e. c. Norimberg. in ed. Lipsii, Gronovii aliisque in: *amorem exurere*. Eximas Ciceroni N. D. III, 3. idem vitium. Is enim haud dubie scripserat: *mihi quidem ex animo exui non potest, esse deos*, ubi nunc habetur: *exuri*. Sic Cic. de Fin. V, 12. dixit: *hominem ex homine exuens*.

b. *per intervalla*. Sic Erasm. et Mur. Gruterusque. *Per intervallum* ed. vet., codd. Grut., aut *ex intervallo* etc. Sed vulgatum bene habet. Sermo enim est de intervallis, quae mutationibus debentur.

3. *Nullum sine auctoramento malum est.*] i. sine mercede et pretio, quod antea dixit. L. Voluntariorum gladiatorum, liberorum quoque, qui pretio sua sponte se addicebant in servitutem, inprimis ad gladium, ideoque auctores libertatis amittendae fiebant, fuit auctoramentum, indeque *auctorati* dicti. Cf. Lipsii Saturnalia II, 5. et quem Ernesti in Clav. Cic. laudat, Salmas. de mod. Vsur. p. 861 sqq.

imperitiſſimi cuiusque verbum, falſum eſſe ipſe tibi perſuade: Bella res eſt, mori ſua morte. Illud praeterea tecum licet cogites: Nemo niſi ſuo die moritur. Nihil perdis ex tuo tempore: nam quod relinquis, alienum eſt.

EPISTOLA LXX.

Narrat amico ſe Pompeios vidiſſe et in admonitum praeteriti temporis adductum eſſe. Sic transit ad mortem, publicum ſ. communem generis humani finem, non cum ſcopulo ad quem adhaereſcimus, ſed cum portu numquam recuſando comparandam. Omnis quidem vita eo adducit, ſed non ſemper exſpectanda mors eſt. Nam ſapienti propoſitum eſt et bene vivere, et bene mori, itaque emittere ſe poteſt, attamen in vita quoque permanere usque ad mortem naturalem, ſi ita viſum fuerit. Exemplo ſunt Socrates Druſusque Libo. Sed enim temere hoc conſilium numquam inеundum eſt. Qui autem vim afferendam vitae ſuae negant, hi omnem hominis libertatem ingulant, ideoque exitus ex miſeria occludunt hominibus, qui utplurimum id ne cogitant quidem, aliquando et ſibi ex hoc corpuſculo eſſe exeundum, atque nonniſi magnis viris hoc robur emittendi ſe eſſe. Quem errorem convincit exemplis Germani cuiusdam, aliorumque, qui ad ludos beſtiariorum miſſi ſe ipſi interfecerint.

Saepius iam de hac re noſter expoſuit. Nec noſtris temporibus defuere, qui in hanc rem inquirerent. In quibus celeberrimus haud dubie eſt Io. Iac. Ruſſavius, cuius ſententiam in Nova Heloiſa expoſitam habemus. Non ſine laude de Suicidio, quod vocant, egit elegantiſſimus G. E. Groddeck, cuius commentatio ab Ordine Theolog. Gottingenſium anno Chr. 1785. praemio ornabatur: qui cum multis aliis, in quibus Troſchelius eminet, praecipuam Chriſti praeceptorum rationem habuit.

Poſt longum intervallum Pompeios tuos vidi. in conſpectum adoleſcentiae meae reductus ſum. quidquid illic

X 2

4. *mori ſua morte.*] Ita Sueton. Iul. c. 88. de Iulianis percuſſoribus: *neque triennio quisquam amplius ſupervixit, neque ſua morte defunctus eſt. Sua* i. ex naturae communi lege, quam manu non facis. Opponitur mors βιοθάνατος, violenta. L.

1. *Pompeios tuos*] i. tibi caros. Sic Ep. XLIX, 1. Pompeii quoque nominantur, et

Ep.

lic iuvenis feceram, videbar mihi facere adhuc posse, et paulo ante feciſſe. Praenavigamus, mi Lucili, vitam: et quemadmodum in mari, ut ait Virgilius noſter:

—— *Terraeque urbesque recedunt:*

2 ſic in hoc curſu rapidiſſimi temporis, primum pueritiam abscondimus, deinde adoleſcentiam, deinde quidquid eſt illud inter iuvenem et ſenem medium, in utriusque confinio poſitum, deinde ipſius ſenectutis optimos annos. noviſſime incipit oſtendi publicus finis generis humani. [a] Scopulum eſſe illum putamus dementiſſimi? portus eſt, aliquando petendus, nunquam recuſandus. In quem ſi quis intra primos annos delatus eſt, non magis queri debet, quam qui cito na-
3 vigavit. Alium enim, ut ſcis, venti ſegnes ludunt ac detinent, et tranquillitatis lentiſſimo taedio laſſant: alium pertinax flatus celerrime perfert. Idem evenire nobis puta. alios vita velociſſime adduxit, quo veniendum erat etiam cunctantibus: alios maceravit et coxit. quae, ut ſcis, non ſemper retinenda eſt. Non enim

a. *Scopulum eſſe illum putamus dementiſſimi?* Sic in libris ſcriptis invenit Modius Gruterusque et Seneca dignius eſt altero: *S. e. i. p.? Clementiſſimus portus eſt.* Probarunt illud Muretus, Lipſius et Gronovius.

Ep. LIII, 1. Parthenope, ſ. Neapolis. Fortaſſe poſſidebat ibi villas Lucilius, quae eſt Lipſii coniectura. *Virgilius* Aen. III, 72.

2. *portus eſt,*] Vitam cum mari conferri, et in eo agitatione, crebrum. Quies autem et portus in morte. Vide Senec. Conſol. ad Polyb. c. 28, 3. L. Conf. Gataker. ad M. Anton. III, 3. ἐνέβης, ἔπλευσας, κατήχθης, ἔκβηθι.

3. *maceravit et coxit.*] i. e. alios detinuit praeparans eos operoſe et maturans. Metaphora haec deſumta eſt e tinctorum officina. Sic noſter Nat. Qu. I, 3. Intereſt, quamdiu macerata ſit (purpura), craſſius medicamentum, an aquatius traxerit, ſaepius merſa ſit et ex-

enim vivere bonum eſt, ſed bene vivere. Itaque ſapiens vivit, quantum debet, non quantum poteſt. Videbit ubi victurus ſit, cum quibus, quomodo, quid 4
acturus. cogitat ſemper, qualis vita, non quanta ſit. Si multa occurrunt moleſta, et tranquillitatem turbantia, emittit ſe: nec hoc tantum in neceſſitate ultima facit, ſed, quum primum illi coeperit ſuſpecta eſſe fortuna, diligenter circumſpicit, numquid illo [b]die deſinendum ſit. Nihil exiſtimat ſua referre, faciat finem, an accipiat: tardius fiat, an citius. non tanquam de magno detrimento timet. Nemo multum ex 5
ſtillicidio poteſt perdere. Citius mori, vel tardius, ad rem non pertinet: bene mori, aut male, ad rem pertinet. bene autem mori, eſt effugere male vivendi periculum. Itaque effeminatiſſimam vocem illius Rhodii exiſtimo, qui quum in caveam coniectus eſſet a tyranno, et tanquam ferum aliquod animal aleretur,

X 3 ſua-

b. *die.* Haec quidem vox deeſt ap. Eraſm., et editionem veterem et quinque codd. Grut., qui probat. Bene, ait; *illo* enim locum deſignat, non tempus. Enimvero non de loco, ſed de tempore loquitur noſter, et cum Mureto, Lipſio Gronovioque tueor.

excocta, an ſemel tincta. Ep. LXXI, 30. Nihil autem tritius eſſe apud veteres illa vocum de tinctura ſollennium translatione ad animum formandum et indurandum, docent poſt Caſaubon. ad Perſii Sat. II, 74, p. 224 ſqq. Gataker ad M. Anton. III, 4. p. 95. et Ruhnken. ad Tim. p. 76. ed. II., quibus eleganter uſus eſt Boettiger ad Horat. III, Carm. 5, 28. pag. 57 ſqq.

4. *emittit ſe:*] ἐξάγει ἑαυτὸν, (Diog. Laert. VII, 130 Menag.) tamquam ex cuſtodia et vinculis. Eſt vocabulum ſtoicum. Ep. XXIV, 18 etc.

5. *bene mori* et ſupra *bene vivere.* Maſculae haec iam Epicurus ap. Diog. Laert. X, 126. expreſſerat. Vitam ibi vocat μελετὴν τοῦ καλῶς ζῆν καὶ τοῦ καλῶς ἀποθνήσκειν, meditationem bene i. honeſte vivendi et moriendi. *Rhodii* Telesphori a Lyſimacho in caveam coniecti et peſſime habiti. Cf. Senec. de Ira III, 17 fin. et Plutarch. de Exſilio T. X. p. 383 ſq. Hutten.

ſuadenti cuidam ut abstineret cibo: „Omnia," inquit,
6 „homini, dum vivit, ſperanda ſunt." Vt ſit hoc verum, non omni pretio vita emenda eſt. Quaedam, licet magna, licet certa ſint, tamen ad illa turpi infirmitatis confeſſione non veniam. Ego cogitem, in eo qui vivit, omnia poſſe fortunam, potius quam cogitem, in eo qui ſcit mori, nihil poſſe fortunam? Aliquando tamen, etiamſi certa mors inſtabit, et deſtinatum ſibi ſupplicium ſciet, non commodabit poenae ſuae manum. Stultitia eſt, timore mortis mori.
7 venit qui occidat. Exſpecta. quid occupas? quare ſuscipis alienae crudelitatis procurationem? utrum invides carnifici tuo, an parcis? Socrates potuit abstinentiâ finire vitam, et inediâ potius quam veneno mori. triginta tamen dies in carcere, et in exſpectatione mortis exegit: non [c]hoc animo, tanquam omnia fieri poſſent, tanquam multas ſpes tam longum tempus reciperet, ſed ut praeberet ſe legibus, ut fru-
8 endum amicis extremum Socratem daret. Quid erat ſtultius quam mortem contemnere, venenum timere? Scribonia

c. *hoc animo.* Non opus eſt ut cum Grutero legamus: *hoc Rhodii animo*, etſi ad illa Rhodii Teleſphori §. 5 extr. ſpectant. Mox

6. *timore mortis mori.*] Supra Ep. XXIV, 22. ex Epicuro ſimilia attulit, ubi cf. not. Eandem ſententiam praeter alios Arceſilaus ap. Plutarch. Conſol. ad Apoll. p. 339. T. VII Hutt. et Lucretius III, 79. Et ſaepe usque adeo mortis formidine vitae Percipit humanos odium lucisque videndae, Vt ſibi conſciſcant moerenti pectore letum, Obliti fontem curarum hunc eſſe timorem.

7. *Socrates*] Notum eſt, eum poſt damnationem triginta dies in carcere exegiſſe, quia Delia feſta, quotannis celebrari ſolita, intervenerant. Xenoph. Memorab. Socrat. IV, 8, 2 not. Epictet. IV Diſſ. Arrian. I, 159 ſq. Egregie haec expoſuit Meiners Geſch. der Wiſſ. Vol. II, p. 496 ſqq.

8. *Scribonia*] quae quondam Auguſti coniunx fuerat. Tacit. Annal. II, 27, qui tamen hanc

bonia gravis femina, amita Druſi Libonis fuit, adoleſcentis tam ſtolidi, quam nobilis, maiora ſperantis, quam aut illo ſeculo quisquam ſperare poterat, aut ipſe ullo. quum aeger a ſenatu in lectica relatus eſſet, non ſane frequentibus exſequiis, (omnes enim neceſſarii deſeruerant impie, iam non reum, ſed funus) habere coepit conſilium, utrum conſciſceret ſibi mortem, an exſpectaret. Cui Scribonia: „Quid te," inquit, „delectat alienum negotium agere? [d] Num perſuaſit illi? manus ſibi attulit, nec ſine cauſa. Nam poſt diem tertium aut quartum inimici moriturus arbitrio, ſi vivit, alienum negotium agit. Non poſſis itaque de re in univerſum pronuntiare, quum mortem vis externa denuntiat, occupanda ſit, an exſpectanda. Multa enim ſunt, quae in utramque partem trahere poſſunt. Si altera mors cum tormento, altera ſimplex et facilis eſt, quidni huic iniicienda ſit manus? 9

X 4 Quem-

§. 8. *Libonis — ſtolidi* ſincera lectio eſt, quam reſtituit Torrentius ad Sueton. Tib. 25. Nam antea male legebatur *ſolidi* in codd., ap. Eraſmum al. Sequitur *exſequiis*, quod ubique in codd. et edd. exſtat. Recte. Eſt acumen Seneca dignum. *Obſequiis* P. Fabro Semeſtr. I, c. 20. coniectanti remittamus.

d. *Num perſuaſit illi?* Eſt Gruteri emendatio. *Illi* eſt ap. Eraſm. ed. vet. et quinque codd. Grut. Antea: *Non perſuaſit.*

hanc rem non attigit. Coniuratio *Druſi Libonis* in Tiberium a. V. C. 769. ibidem exponitur. *illo — ullo.* Tantum aberat, ut *illo* Tiberiano, ut ne *ullo* quidem ſaeculo vel liberrimo auderet hoc, quia ingenio ad eminendum carebat. *omnes enim neceſſarii*, affinitate, amicitia, officiis coniuncti adeo eum deſeruerunt, ut nemo ipſi vocem adverſum pericula, advocationem praebere vellet, et Libo ſine patrono in curiam introire cogeretur. Tacit. l. l. *frequentibus exſequiis*, quibus ut iam mortuus deducebatur.

9. *Cui — agere?*] Perſuaſit ei, ut mortem ſibi conſciſceret: hoc ſequentia docent, in quibus Seneca factum στοϊκῶς probans, ait *alienum* etiam *negotium agere*, qui *alteri* vivunt, et animam in eius manu poſitam trahunt, recte obſervante Lipſio.

10 Quemadmodum navim eligam navigaturus, et domum habitaturus, ita mortem, utique quâ ſum exiturus e vita, [e]meliorem. praeterea quemadmodum non utique melior eſt longior vita, ſic peior utique mors longior. In nulla re magis quam in morte, morem animo gerere debemus. exeat qua impetum cepit: ſive ferrum appetit, ſive laqueum, ſive aliquam potionem venas occupantem, pergat, et vincula ſervitutis abrumpat.
11 Vitam et aliis approbare quisque debet, mortem ſibi. optima eſt, quae placet. Stulte haec cogitantur: Aliquis dicet, me parum fortiter feciſſe, aliquis, nimis temere, aliquis, fuiſſe aliquod genus mortis animoſius. Vis tu cogitare id in manibus eſſe conſilium, ad quod fama non pertinet? hoc unum intuere, ut te fortunae quam celerrime eripias. Alioqui aderunt qui de facto tuo male
12 exiſtiment. Invenies etiam profeſſos ſapientiam, qui vim afferendam vitae ſuae negent, et nefas iudicent ipſum interemtorem ſui fieri: exſpectandum eſſe exitum, quem natura decrevit. Hoc qui dicit, non videt ſe libertati viam claudere. Nil melius aeterna lex fecit, quam quod unum introitum nobis ad vitam de-
13 dit, exitus multos. Ego exſpectem vel morbi crudelitatem, vel hominis, quum poſſim per media exire tormenta, et adverſa discutere? Hoc eſt unum, cur de vita non poſſimus queri: neminem tenet. Bono loco

e. *meliorem* cum Eraſm. ed. vet. al. tueor contra Grut. codd., qui omittunt. Referas autem ad navem, domum et mortem.

11. *ad quod fama non pertinet?*] Nec enim ipſe eam auditurus es; atque eo ſenſu non pertinet: pertinet tamen, ſi poſt te etiam de ea curas. L. Senſus eſt: De omni mortis genere, quod eliges, homines male exiſtimabunt. De fama itaque cave ſis ſollicitus.

12. *profeſſos ſapientiam,*] Socratis omniumque Socraticorum, ideoque et Academicorum et Peripateticorum ſententia haec fuit, exſpectandum eſſe

loco res humanae ſunt, quod nemo niſi vitio ſuo miſer eſt. Placet? vive. non placet? licet eo reverti unde veniſti. Vt dolorem capitis levares, ſanguinem ſaepe emiſiſti; ad extenuandum corpus vena percutitur: non opus eſt vaſto vulnere dividere praecordia. ſcalpello aperitur ad illam magnam libertatem 14
via: et puncto ſecuritas conſtat. Quid ergo eſt, quod nos facit pigros, inertesque? Nemo noſtrum cogitat, quandoque ſibi ex hoc domicilio exeundum. Sic veteres inquilinos indulgentia loci et conſuetudo, etiam inter iniurias, detinet. Vis adverſus hoc corpus liber eſſe? tanquam migraturus habita: propone tibi, quandoque hoc contubernio carendum. fortior eris ad neceſſitatem exeundi. Sed quemadmodum ſuus 15
finis veniet in mentem omnia ſine fine concupiſcentibus? Nullius rei meditatio tam neceſſaria eſt. Alia enim [f]exercentur fortaſſe in ſupervacuum. „Adverſus paupertatem praeparatus eſt animus?“ permanſere divitiae. „Ad contemtum nos doloris armavimus?“ nunquam a nobis [g]exiget huius virtutis experimentum integri ac ſani felicitas corporis. „Vt fortiter amiſſorum deſideria pateremur, praecepimus nobis?“ omnes quos amabamus, ſuperſtites fortuna ſervavit. Huius unius rei uſum qui exigat dies, veniet. Non eſt 16

f. *exercentur*. Sic mss. Pinc. conſentiunt omnes Grut. At Eraſmus, et edit. vetus habent: *exercent*, nec ipſum male. *Ex.* ſc. nos.

g. *Exiget*. Sic omnes codd. et edd. Attamen Pinc. coni. *exegit* propter praeterita ſequentia *permanſere* etc. Haud dubie ingenioſe! Sed vulgata quoque bona eſt.

ſe exitum, quem natura decrevit.

13. *nemo niſi vitio ſuo miſer eſt.*] Quidni enim, dicebant Stoici, emiſit ſe, quum tam multi exitus ex hac miſeria ſint? *unde veniſti*, ad deum, cuius pars eſt animus.

14. *ſcalpello aperitur*] ſecta nimirum vena: quae crebra via mortis Senecae aevo, et ipſius Senecae fuit. L.

quod existimes, magnis tantum viris hoc robur fuisse, quo servitutis humanae claustra perrumperent. Non est quod iudices, hoc fieri nisi a Catone non posse, qui quam ferro non emiserat animam, manu extraxit. quum vilissimae sortis homines ingenti impetu in tutum evaserint, quumque [h] commodo mori non licuisset, nec ad arbitrium suum instrumenta mortis eligere: obvia quaeque rapuerunt, et quae natura non
17 erant noxia, vi sua tela fecerunt. Nuper in ludo bestiariorum, unus e Germanis, quum ad matutina spectacula pararetur, fecessit ad exonerandum corpus. nullum aliud illi dabatur sine custode secretum. ibi lignum id, quod ad emundanda obscoena adhaerente spongiâ positum est, totum in gulam farsit, et vi praeclusis faucibus spiritum elisit. Hoc fuit morti contumeliam facere. ita prorsus. Parum munde, et pa-
18 rum decenter! Quid est stultius, quam fastidiose mori? O virum fortem! o dignum, cui fati daretur electio! quam fortiter ille gladio usus esset! quam animose in profundam se altitudinem maris, aut abscissae rupis, immisisset! Vndique destitutus invenit, quemadmodum et mortem sibi deberet, et telum: ut scias

h. *commodo* vulgata et ubique probata lectio est. P. Faber Semestr. I, 4. emend. *cumque suo modo mori*. Male. Nam iis qui adservabantur, non licuit commode mori. Cf. Gronov. ad Liv. 26, 32.

16. *a Catone*] verbo monemus, quod v. c. ex Plutarchi vita Catonis Vticensis abunde constat, eum vulnus ferro sibi illatum, quod Buta deligaverat, rescidisse manu. Sed res notissima est.

17. *in ludo bestiariorum*,] qui ad pugnam cum bestiis damnati aut auctorati erant. *unus e Germanis*, qui bello captus aut emtus ex Gallia, aut Rhaetia Vindeliciave Romam missus erat. Sic Daci bello capti cum Suevis in ludis pugnare cogebantur. Dio Cass. LI, 22. Flor. IV, 11. *matutina spectacula*. cf. supra Ep. VII. Similia autem exempla habes et in Symmacho lib. 2, Ep. 46. Lips.

ſcias ad moriendum nihil aliud in mora eſſe, quam
velle. Exiſtimetur de facto hominis acerrimi, ut cui- 19
que viſum erit, dum hoc conſtet, praeferendam eſſe
ſpurciſſimam mortem ſervituti mundiſſimae. Quoniam
coepi ſordidis exemplis uti, perſeverabo. plus enim
a ſe quisque exiget, ſi viderit hanc rem etiam a con-
temtiſſimis poſſe contemni. Catones, Scipionesque,
et alios, quos audire cum admiratione conſuevimus,
ſupra imitationem poſitos putamus: iam ego iſtam vir-
tutem habere tam multa exempla in ludo beſtiario,
quam in ducibus belli civilis oſtendam. Quum adve- 20
heretur nuper inter cuſtodias quidam ad matutinum
ſpectaculum [i] miſſus, tanquam ſomno premente nuta-
ret, caput usque eo demiſit, donec radiis inſereret,
et tamdiu ſe in ſedili ſuo tenuit, donec cervicem cir-
cumactu rotae frangeret. eodem vehiculo quo ad poe-
nam ferebatur, poenam effugit. Nihil obſtat, erum-
pere et exire cupienti. In aperto nos natura cuſto-
dit. Cui permittit neceſſitas ſua, circumſpiciat exi- 21
tum mollem. cui ad manum plura ſunt, per quae ſe-
ſe aſſerat, is delectum agat, et quâ potiſſimum libe-
retur conſideret: cui difficilis occaſio eſt, is proxi-
mam quamque pro optima arripiat, ſit licet inaudita,
ſit nova. Non deerit ad mortem ingenium, cui non
defuerit animus. Vides quemadmodum extrema quo-
que

i. *miſſus.* Suſpicabar aliquando *Myſus*, ut ſupra *Germanus.* L. Nec ſpernas hanc coniecturam, ſi de Ciceronis loco pro Flacco c. 27. cogitaveris, ubi Myſorum ultimus habetur. Totam vero Aſiam mancipia praebuiſſe Romanis, utique Phrygiam, Cappadociam et omnes regiones circa Pontum eſt notiſſimum. Cf. Heynii Opuſcul. Acad. Vol. IV, p. 120 ſqq. Quaedam huc ſpectantia dedit Hemſterhuſ. ad Lucian. To. I. p. 379 ſqq.

20. *miſſus,*] aliunde, a praeſide Provinciae. Sed vid. Var. Lect. *radiis*, rotae, quam altiorem noſtris cogites. *In aperto — cuſtodit.* Quaſi dicat, liberi ſumus, et natura in aperto non in clauſo nos habet. Vitae alligavit ſed vinculis, quae quum voles, et ut voles, rumpas. L.

que mancipia, ubi illis ſtimulos adegit dolor, exci-
22 tentur, et intentiſſimas cuſtodias fallant? Ille vir magnus eſt, qui mortem ſibi non tantum imperavit, ſed invenit. Ex eodem tibi munere plura exempla promiſi. Secundo Naumachiae ſpectaculo, unus e barbaris lanceam, quam in adverſarios acceperat, totam iugulo ſuo immerſit. Quare, inquit, non omne tormentum, omne ludibrium iamdudum effugio? quare ego mortem armatus exſpecto? Tanto hoc ſpecioſius ſpectaculum fuit, quanto honeſtius mori diſcunt
23 homines, quam occidere. Quid ergo? quod animi perditi noxioſique habebunt, non habebunt illi, quos adverſus hos caſus inſtruxit longa meditatio, et magiſtra rerum omnium ratio? Illa nos docet, fati varios eſſe acceſſus, finem eundem. nihil autem intereſſe, unde incipiat quod venit. Eadem illa ratio monet, ut, ſi licet, moriaris ſine dolore: ſin autem non potes, fac quemadmodum potes, et quidquid obvenerit ad vim afferendam tibi, invadas. Iniurioſum eſt rapto vivere: at contra pulcherrimum, mori rapto.

EPISTOLA LXXI.

Lucilio de rebus ſingulis ſubinde conſulenti ſuadet Seneca, quoniam ſaepe propter longinquitatem conſilia non inſto tempore ad eum perferantur, ut non alios ſed ſe ipſum conſulat, ideoque ad ſummum bonum et propoſitum totius vitae reſpiciat, tamquam ad regulam certam nullumque errorem admittentem. Proinde hortatur, ut ſapiens fiat. Etenim eo ipſo ſapientem diſtingui a proficiente et ſapientiae ſtudio-

22. *Naumachiae*] In circo maximo praeſertim hae pugnae navales a naumachiariis i. mancipiis vel damnatis ad haec certamina, habebantur. Vetus erat in circo maximo. Suet. Tib. 7. Auguſtus lacum huic quidem pugnae deſtinatum ad Tiberim effodi iuſſit. Suet. Aug. 43. Tib. 72. Bis dedit naumachiam Nero, ait Lipſius: alteram intelligit. Poſſis et ad diem ſpectaculi alterum referre.

ſtudioſo, quin a ſtulto, ut ille ad unam normam totam ſuam vitam redigat hac ipſa virtute et ſapientia, notum Stoae decretum eſt. Illud autem ſummum bonum declarat, ut Stoicus, eſſe unum bonum quod honeſtum, cetera, i. externa eſſe falſa et adulterina bona, niſi virtus honeſtaverit. Iam quum omnia bona ab animo et virtute pendent, virtus autem perfecta i. iudicium verum et immotum, neque maior, neque minor fieri poteſt, ſequitur, omnia bona eſſe paria, nec malam fortunam a bona differre, ſi utrumque ab honeſto proficiſcatur. Dilatat hoc Catonis exemplo. Qua occaſione Academicos refutat, qui gradus beatitatis faciunt: hanc enim non magis quam honeſtum intendi poſſe. Itaque in equuleo et tormentis beatiſſimo eſſe licet ſapienti. Nam bona iſta aut mala non efficit materia ſed virtus. Quae ſi multis dura et difficilia videntur, id infirmitati eorum, ex qua de virtute ferunt ſententiam, tribuendum eſt. Neque tamen hoc ita intelligendum eſt, quaſi omnem humanam naturam deponat ſapiens. Nam quum ex duabus partibus conſtet, irrationali et rationali, negari nequit, in eum omne id cadere, quod in omnes homines cadit, ideoque et tremet ſapiens, et dolebit, et expalleſcet: hi enim omnes corporis ſenſus ſunt. Sed rationalis eius pars non iſtis ad querelas deiicitur, nec ad confeſſionem ſervitutis adducitur, nec virtutem ut omni vi carens damnabit. Vincit virtute fortunam. Si qui tamen profeſſi ſapientiam leviſſimis minis terreantur, reputandum eſt, hos non veros ſapientes ſed proficientes fuiſſe. Itaque operam demus, ut tota mente ad pulcherrima iſta, ad virtutem iſtam perfectam properemus. — Conf. Argum. Ep. LXVI. et Ep. LXXIV.

Subinde me de rebus ſingulis conſulis, oblitus vaſto nos mari dividi. quum magna pars conſilii ſit in tempore, neceſſe eſt evenire, ut de quibusdam rebus tunc ad te perferatur ſententia mea, quum iam contraria potior eſt. Conſilia enim rebus aptantur: res noſtrae feruntur, immo volvuntur. Ergo conſilium ſub die naſci debet: et hoc quoque tardum eſt nimis: ſub manu, quod aiunt, ſub manu naſcatur. Quemadmo-

1. *vaſto nos mari*] infero ſ. Tyrrheno inter Siciliam et Italiam. *ſit in tempore*, h. a tempore pendent. *res noſtrae*, humanae, τὰ τῆς τύχης, quae non ſunt in noſtra poteſtate et fluminis ritu feruntur, quin rapidiore curſu abeunt, ideoque aliae ex aliis fiunt. *ſub manu*, i. ſtatim. Lipſius confert

2 admodum autem inveniatur, oſtendam. Quoties quid fugiendum ſit, aut quid petendum, voles ſcire, ad ſummum bonum, et propoſitum totius vitae reſpice. Illi enim conſentire debet quidquid agimus. non disponet ſingula, niſi cui iam vitae ſuae ſumma propoſita eſt. Nemo, quamvis paratos habeat colores, ſimilitudinem reddet, niſi iam conſtet quid velit pingere. Ideo peccamus, quia de partibus vitae omnes delibe-
3 ramus, de tota nemo deliberat. Scire debet quid petat ille, qui ſagittam vult mittere: et tunc dirigere, et moderari manu telum. errant conſilia noſtra, quia non habent quo dirigantur. Ignoranti quem portum petat, nullus ſuus ventus eſt. Neceſſe eſt multum in vita noſtra caſus poſſit, quia vivimus caſu. Quibusdam autem evenit, ut quaedam ſcire ſe neſciant.
4 quemadmodum quaerimus ſaepe eos, cum quibus ſtamus: ita plerumque finem ſummi boni ignoramus appoſitum. nec multis verbis, nec circuitu longo, quid ſit ſummum bonum colliges: digito, ut ita dicam, demonſtrandum eſt, nec in multa ſpargendum. Quid enim ad rem pertinet, in particulas illud diducere? quum poſſis dicere, Summum bonum eſt, quod honeſtum eſt, et quod magis admireris, Vnum bonum eſt, quod honeſtum eſt: cetera falſa et adulterina bo-
5 na ſunt. Haec ſi perſuaſeris tibi, et virtutem adamaveris, (amare enim parum eſt) quidquid illâ contigerit,

fert Sueton. Aug. 49. Quo celerius ac ſub manu annunciari poſſet. Vid. ibi Caſaub. Graecis etiam eodem ſenſu familiare eſt: ὑπὸ χεῖρα. Cf. Wyttenbach. ad Plutarch. S. V. N. p. 15.

3. *Scire debet — telum.*] Laudat Lipſius Ariſtotel. I Ethic. Nicomach. c. 2. ubi ſimilia ſunt. *ſuus* i. bonus, ſecundus.

4. *appoſitum.*] quocum ſtamus, vicinum. *cetera* dicit adiaphora, indifferentia. Non ſunt bona: ſi tamen a nonnullis ita vocantur, falſa et adulterina ſunt.

5. *adamaveris,*] vides hic discrimen verborum plerumque a ve-

rit, id tibi, qualecunque aliis videbitur, fauſtum felixque erit: et torqueri, ſi modo iacueris ipſo torquente ſecurior, et aegrotare, ſi non maledixeris fortunae, ſi non ceſſeris morbo. Omnia denique quae ceteris videntur mala, et manſueſcent, et in bonum abibunt, ſi ſuper illa eminueris. Hoc liqueat, nihil 6
eſſe bonum, niſi honeſtum: et omnia incommoda ſuo iure bona vocabuntur, quae modo virtus honeſtaverit. Multis videmur maiora promittere, quam recipit humana conditio. non immerito. ad corpus enim reſpiciunt. revertantur ad animum: iam hominem Deo metientur. Erige te, Lucili virorum optime, et relinque iſtum [a]ludum literarium philoſophorum, qui rem magnificentiſſimam ad ſyllabas vocant, qui animum minuta docendo demittunt et conterunt: fies ſimilis

a. *ludum literarium.* Vnum ex elegantiſſimis Senecae dictis enervant magni viri Faber (ad lib. I. de Iuſt. et Iure) et Gruterus *literariorum*. Lipſius *litteralium* reſcribendo. Non enim ludus hic ludibrium ſignificat, ſed ſcholam. Et in hoc urbanitas quod iungit non iungenda: quaſi diceret: *Grammaticen philoſophorum.* Gronov. Cf. not. Mox *demittunt* plurimi codd. praeſtant, probatum a Lipſio et Gron. Alii: *dimittunt*, *diminuunt.*

a veteribus obſervatum. Spectat autem ad amorem, quem rationalem vocare poſſis, iudicio et ratione maxime natum et ad ſola bona relatum.

6. *Multis — conditio.*] Crebra fuit haec Stoicorum reprehenſio. Cf. Sen. de Conſt. Sap. c. 3, 1 not. *relinque iſtum ludum literarium — conterunt.* Reprehendit praeſertim Stoicos, quod ad ſyllabarum diſtinctionem et coniunctiones ac praepoſitionum proprietates deſcendendo et Grammaticis Geometrisque invidendo. (Epiſt. LXXXVIII, 36.) ingenio nimium exercito, animum relinquebant inexercitum, et illa vere magna atque animum emendatura aut omittebant, aut nimis differebant. Ita philoſophiam profeſſi videbantur *ludum literarium* ſcholam exercere, verba aucupantes et de phraſibus ſolliciti. Qui vel Lucianum legerit, hanc rerum faciem veram fatebitur. Nimios autem in Dialectica, ad quam et Grammaticen retulerunt, fuiſſe Stoicos, nota res eſt. Cf. Brucker. Hiſt. crit. Phil. Vol. I, p. 904 ſq.

milis illis, qui invenerunt ista, non qui docent, et id agunt ut philosophia potius difficilis, quam magna
7 videatur. Socrates, qui totam philosophiam revocavit ad mores, et hanc summam dixit esse sapientiam, bona malaque distinguere. [b] Sequere illos, si quid apud te habeo auctoritatis, ut sis beatus, et te alicui stultum videri sine. Quisquis volet, tibi contumeliam faciat, et iniuriam: tu tamen nihil patieris, si modo tecum erit virtus. Si vis, inquit, beatus esse, si
8 fide bona vir bonus, sine contemnat te aliquis. Hoc nemo praestabit, nisi qui omnia bona exaequaverit: quia nec bonum sine honesto est, et honestum in omnibus par est. Quid ergo? nihil interest inter praeturam Catonis, et repulsam? nihil interest utrum Pharsalica acie Cato vincatur, an vincat? hoc eius bonum, quo victis partibus non potest vinci, par erat illi bono, quo victor rediret in patriam, et componeret pacem?

b. *Sequere illos, si quid apud te habeo auctoritatis.* Vbique in codd. et edd. vett. haec verba posita sunt demum post illa: *bona malaque distinguere.* Atenim Muretus temere transpositis his verbis, nulla tamen eius transpositionis causa, ne mentione quidem, allata, collocavit post *videatur* et insarsit post *beatus* voculam: *inquit:* omnia ex ingenio! Enimvero nulla causa est, cur veterem scripturam relinquamus. Ex iis enim *qui invenerunt ista*, praecipue nominat Socratem additque bene: *Sequere itaque illos.* Erasmus tamen post *sequere* habet: *inquit.*

7. *Socrates — distinguere.*] Locus nobilissimus Ciceronis Tusc. V, 4. (cf. Davis. ibi p. 193 et 348.) apponi meretur: Socrates autem primus philosophiam devocavit e coelo et in urbibus collocavit, et in domos etiam introduxit, et coegit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere. Cf. Meiners l. l. II, p. 385 sqq. *inquit* aliquis, ut Graec. *φησί*. Vide Vpton. ad Epictet. Diss. Arrian. I, 4, 9. Praestat tamen Socratem hic intelligere cum Grutero.

8. *Quid ergo? nihil — repulsam?*] Bis Cato spe excidit honorum: primum repulsam praeturae, deinde et consulatus passus est. Hanc tam aequo animo tulit, ut eodem die in Campo Martio pila luderet. Cf. Plut. in Cato min. p. 783 ed. Frcf.

pacem? Quidni par sit? eâdem enim virtute et mala 9
fortuna vincitur, et ordinatur bona. virtus autem
non potest maior aut minor fieri. Vnius staturae est.
Sed Cn. Pompeius amittet exercitum: sed [c] illud pul-
cherrimum reipublicae praetextum, optimates, et pri-
ma acies Pompeianarum partium, senatus ferens arma,
uno proelio profligabuntur: et tam magni ruina im-
perii, in totum dissiliet orbem. aliqua pars eius in
Aegypto, aliqua in Africa, aliqua in Hispania cadet.
ne hoc quidem miserae reipublicae continget, semel
ruere. Omnia licet fiant. Iubam in regno suo non 10
locorum notitia adiuvet, non popularium pro rege suo
virtus obstinatissima: Vticensium quoque fides malis
fracta deficiat, et Scipionem in Africa nominis sui
fortuna destituat: olim provisum est, ne quid Cato
detrimenti capiat. Victus est tamen. Et hoc numera
inter repulsas Catonis. tam magno animo feret, ali-
quid sibi ad victoriam, quam ad praeturam obstitisse.
Quo die repulsus est, lusit: qua nocte periturus fuit, 11
legit. eodem loco habuit, praeturâ et vitâ [d] excidere.
omnia quae acciderent, ferenda esse persuaserat sibi.
Quidni ille mutationem Reipublicae forti et aequo pa-
teretur animo: Quid enim mutationis periculo exce-
ptum?

c. *illud pulcherrimum reip. praetextum.* Sic Erasmus, omnes libri scripti et editi. Muretus tamen: *ille pulcherrimus reip. praetextus*, merito a Grutero et Gronovio repulsus.

d. *excidere.* Sic nonnulli codd. Grut. inque iis cod. Col. Recte sic iam emendaverat Grut. Nam praetura *excedere*, quae erat vulgata, non poterat eam ambiens, sed *excidere*, *ἐκπίπτειν*, ab ea repulsus. Praetulit et Lipsius.

9. Quae de *Cn. Pompeio* eius- Sic Epictet. Diss. Arrian. I, 2, 18. *πορφύρα*: vide ibi Upton. p. 32 ed. Schweighaeuf. add. III, 1, 23.

que partium fato narrantur, omnia nota sunt ex Plutarchi Pompeio, Catone et Iul. Caesare.

reipublicae praetextum i. ornamentum et decus, ex eo, quod praetexta magistratus ornabat.

11. *qua nocte — legit.*] Platonis Phaedonem s. de immortalitate animi. *praeturâ — exci-*

ptum? non terra, non coelum, non totus hic rerum omnium contextus, quamvis Deo agente ducatur. non ſemper tenebit hunc ordinem: ſed illum ex
12 hoc curſu aliquis dies deiiciet. Certis eunt cuncta temporibus: naſci debent, creſcere, exſtingui. Quaecunque vides ſupra nos currere, et haec quibus innixi atque impoſiti ſumus veluti ſolidiſſimis, carpentur ac deſinent. nulli non ſenectus ſua eſt. inaequalibus iſta ſpatiis eodem natura demittit. quidquid eſt, non erit, nec peribit, ſed reſolvetur. Nobis ſolvi perire eſt.
13 Proxima enim intuemur: ad ulteriora non proſpicit mens hebes, et quae ſe corpori addixerit: alioqui fortius finem ſui ſuorumque pateretur, ſi ſperaret omnia illa ſic in vitam mortemque per vices ire, et compoſita diſſolvi, diſſoluta componi: in hoc opere aeternam artem cuncta temperantis Dei verti. Itaque Cato quum aevum animo percurrerit, dicet: Omne humanum genus, quodque eſt, quodque erit, morte
14 damnatum eſt. omnes quae usquam rerum potiuntur, urbes, quaeque alienorum imperiorum magna ſunt decora, ubi fuerint, aliquando quaeretur, et vario exitii genere tollentur. alias deſtruent bella, alias deſidia, paxque ad inertiam verſa conſumet, et magnis opibus exitioſa res luxus. Omnes hos fertiles campos repentina maris inundatio abscondet, aut in ſubi-
15 tam cavernam conſidentis ſoli lapſus abducet. Quid eſt ergo, quare indigner, aut doleam, ſi exiguo momento publica fata praecedo? magnus animus Deo pareat: et quidquid lex univerſi iubet, ſine cunctatione patiatur. Aut in meliorem emittitur vitam, lucidius tran-

excidere vide ſupra §. 8. *ſed illum deiiciet*, aut conflagratione omnia reſolventur ut Stoici docebant, ἐκπυρώσει, aut repentina maris inundatione, κατακλυσμῷ. Vid. Tiedemann. Syſt. der St. Phil. II. p. 102.

12. *quidquid — reſolvetur.*] in prima principia, ignem et materiam. L. Cf. Cic. N. D. II, 46.

tranquilliusque inter divina manſurus: aut certe ſine
ullo futurus incommodo, naturae ſuae remiſcebitur,
et revertetur in totum. Non eſt ergo M. Catonis 16
maius bonum honeſta vita, quam mors honeſta: quo-
niam non intenditur virtus. Idem eſſe dicebat Socra-
tes veritatem et virtutem: quomodo illa non creſcit,
ſic nec virtus quidem. habet numeros ſuos, plena eſt.
Non eſt itaque quod mireris paria eſſe bona, et quae
ex propoſito ſumenda ſunt, et quae ſubita res tulit.
nam ſi hanc inaequalitatem receperis, ut fortiter tor-
queri in minoribus bonis numeres, numerabis etiam
in malis: et infelicem Socratem dices in carcere, in- 17
felicem Catonem vulnera ſua animoſius, quam fecerat,
retractantem: calamitoſiſſimum omnium Regulum, fi-
dei poenas etiam hoſtibus ſervatae pendentem. Atqui
nemo hoc dicere, ne ex molliſſimis quidem, auſus
eſt. negant enim illum eſſe beatum, ſed tamen ne-
gant miſerum. Academici veteres beatum quidem eſſe
etiam inter hos cruciatus fatentur, ſed non ad perfe-
ctum, nec ad plenum: quod nullo modo poteſt reci-
pi. Niſi beatus eſt, in ſummo bono non eſt. Quod 18

II, 46. Senec. Conſ. ad Marc. c. 26, 5 not.

15. *inter divina*] inter aut iuxta fidera. Lipſius, qui laudat ſuam Stoic. Phyſiol. III, 11. Stoicos hac de re fluctuaſſe ſupra iam monuimus. Cf. Senec. Conſol. ad Marc. 19, 4. Gataker. ad M. Antonin. IV, 19 p. 139 ſq.

16. *Idem — virtutem:*] Eo ſenſu, quod virtus ſit ſcientia: omnis autem ſcientia veritas eſt. Cf. Meiners II, p. 425 ſq. *nam ſi hanc — maius:* vid. Ep. LXVII, 6.

17. *Regulum.*] Explicat haec Ciceronis de Off. I, 13. locus nobilis. Regulus primo bello Punico captus a Poenis quum de captivis commutandis Romam miſſus eſſet, iuraſſetque ſe rediturum: primum ut venit, captivos reddendos in ſenatu non cenſuit: deinde quum retineretur a propinquis et amicis, ad ſupplicium redire maluit, quam fidem hoſti datam fallere. Cf. ad III de Provid. §. 5 not. *Academici veteres — plenum:* Vide ad Ep. XXXI, 6. et ct. Cic. Tuc. V, 7 — 13.

ſummum bonum eſt, ſupra ſe gradum non habet: ſi modo illi virtus ineſt, ſi illam adverſa non minuunt, ſi manet etiam comminuto corpore incolumis. manet autem. Virtutem enim intelligo animoſam et excelſam, quam incitat, quidquid infeſtat. Hunc animum quem ſaepe induunt generoſae indolis iuvenes, quos alicuius honeſtae rei pulchritudo percuſſit, ut omnia fortuita contemnant, profecto ſapientia infundet, et tradet: perſuadebit unum bonum eſſe, quod honeſtum.
19 Hoc nec remitti nec intendi poſſe, non magis quam regulam, qua rectum probari ſolet: quam ſi flectes, quidquid ex illa mutaveris, iniuria eſt recti. Idem ergo de virtute dicemus: et haec recta eſt. flexuram non recipit. [e] rigida eſt: amplius intendi non poteſt. Haec de omnibus rebus iudicat, de hac nulla. Si rectior ipſa non poteſt fieri; nec quae ab illa quidem fiunt, alia aliis rectiora ſunt. huic enim neceſſe eſt
20 reſpondeant. ita paria ſunt. Quid ergo? inquis, iacere in convivio, et torqueri, paria ſunt? Hoc mirum videtur tibi? illud licet magis admireris. Iacere in convivio, malum eſt: torqueri in equuleo, bonum eſt: ſi illud turpiter, hoc honeſte fit. bona iſta aut mala non efficit materia, ſed virtus. haec ubicunque
21 apparuit, omnia eiusdem menſurae ac pretii ſunt. In oculos nunc mihi manus intentat ille, qui omnium animum aeſtimat ex ſuo, quod dicam, paria bona eſſe adverſa fortiter portantis, et proſpera honeſte iudicantis: quod dicam, paria bona eſſe eius qui triumphat,

e. *rigida eſt: amplius intendi non poteſt.* Cum Mureto hanc ſcripturam nonnullorum codd. mss. ap. Pinc. praefero alteri, quam pleraque exemplaria ſervant: *rigidari quidem a. i. n. p.* quam Grut. et Gronov. tuentur. Sententia auctoris poſtulat lectionem, quam repoſui. *Rigidari* eſſet, Grutero et Gron. explicantibus, rigidior ſ. rectior fieri. Enimvero Virtus, ait noſter, eſt ſummum bonum, ideoque nec ſupra ſe gradum habet: itaque rectior fieri nequit. Pauciora hic exemplaria et ea ſaniora, quia menti auctoris conveniunt, ſequi malui, quam plurimas edd. et membranas noſtrum manifeſto depravantes.

phat, et eius, qui ante currum vehitur invictus animo. Non putant enim fieri, quidquid facere non possunt: ex infirmitate sua de virtute ferunt sententiam. Quid miraris, si uri, vulnerari, occidi, alligari iuvat, aliquando etiam libet? Luxurioso frugalitas poe- 22
na est, pigro supplicii loco labor est, [f]delicatis miseria est continentia, indoctis industria, desidioso studere torqueri est. Eodem modo haec, ad quae omnes imbecilli sumus, dura atque intoleranda credimus, obliti quam multis tormentum sit vino carere, aut prima luce excitari. Non ista difficilia sunt natura, sed nos fluidi et enerves. Magno animo de rebus magnis iudicandum est: alioqui videbitur illarum vitium esse quod nostrum est. Sic quaedam rectissima, quum in 23
aquam demissa sunt, speciem curvi praefractique visentibus reddunt. Non tantum quid videas, sed quemadmodum, refert. animus noster ad vera perspicienda caligat. Da mihi adolescentem incorruptum, et ingenio vegetum, dicet fortunatiorem sibi videri, qui omnia rerum adversarum onera rigidâ cervice sustollit, qui supra fortunam exstat. Non mirum est, in tran- 24
quillitate non concuti: illud mirare, ibi extolli aliquem, ubi omnes deprimuntur; ibi stare, ubi omnes iacent. Quid est in tormentis, quid est in aliis quae adversa appellamus, mali? hoc, ut opinor, succidere mentem, et incurvari, et succumbere: quo-

f. *delicatis miseria est continentia, indoctis industria.* Hanc lectionem invenit Grut. in quibusdam mss. et Lipsius in suo. Haud dubie praeferenda est vulgatae: *delicatus miseretur industrii.*

21. *alligari*] deportatus esse in insulam cum custodia. Cf. Ep. XXIV, 16 not. Spectat eo Ep. XXVI, 9. una est catena, quae nos alligatos tenet.

23. *Sic quaedam — reddunt.*] Idem observaverat Nat. Qu. I, 3. Remus integer in tenui aqua fracti speciem reddit. *Da mihi — exstat.* Paria in libro de Provid. c. 2.

rum nihil ſapienti viro poteſt evenire. Stat erectus ſub quolibet pondere. nulla illum res minorem facit,
25 nihil illi eorum quae ferenda ſunt, displicet. Nam quidquid cadere in hominem poteſt, in ſe cecidiſſe non queritur. vires ſuas novit: ſcit ſe eſſe oneri ferendo. Non educo ſapientem ex hominum numero, nec dolores ab illo, ſicut ab aliqua rupe nullum ſenſum admittente, ſubmoveo. memini ex duabus partibus illum eſſe compoſitum. Altera eſt irrationalis. haec mordetur, uritur, dolet. altera rationalis. haec inconcuſſas opiniones habet, intrepida eſt, et indomita.
26 In hac poſitum eſt ſummum illud hominis bonum. quod antequam impleatur, incerta mentis volutatio eſt: quum vero perfectum eſt, immota illa ſtabilitas eſt. Itaque inchoatus, ad ſumma procedens, cultorque virtutis, etiamſi appropinquat perfecto bono, ſed ei nondum ſummam manum impoſuit, ibi interim ceſſabit, et re-
27 mittet aliquid ex intentione mentis. nondum enim incerta transgreſſus eſt, etiam nunc verſatur in lubrico. beatus vero, et virtutis exactae, tunc ſe maxime amat, quum fortiſſime expertus eſt: et metuenda ceteris, ſi alicuius honeſti officii pretia ſunt, non tantum fert, ſed amplexatur, multoque audire mavult, Tanto me-
28 lior, quam felicior. Venio nunc illo, quo me vocat exſpectatio tua. Ne extra rerum naturam vagari virtus noſtra videatur, et tremet ſapiens, et dolebit, et expalleſcet: hi enim omnes corporis ſenſus ſunt. Vbi ergo

24. *Stat erectus ſub quolibet pondere.*] Horat. Carm. III, 3, 7 et 8. Si fractus illabatur orbis Impavidum ferient ruinae.

25. *Non educo — ſubmoveo.*] Saepiſſime hanc ἀπαθείας deſcriptionem dedit noſter e. c. de Provid. 2. de Ira I, 3, 16. Cf. Lipſii Manud. III, 7. et Meiners philoſ. Schriften, Vol. II. ubi de apathia ſtoica egregie egit.

26. *inchoatus.*] Eſt ille proficiens et τυπούμενος, coeptus formari et doceri, nondum doctus. Explicat noſter infra §. 33.

ergo eſt origo calamitatis? ubi illud malum verum eſt? illic ſcilicet, ſi iſta animum detrahunt, ſi ad confeſſionem ſervitutis adducunt, ſi illi poenitentiam ſui faciunt. Sapiens quidem vincit virtute fortunam. 29
„At multi profeſſi ſapientiam leviſſimis nonnunquam minis exterriti ſunt.“ Hoc loco noſtrum vitium eſt, qui quod dicitur de ſapiente, exigimus et a proficiente. Suadeo adhuc mihi iſta quae laudo, nondum perſuadeo: etiamſi perſuaſiſſem, nondum tam parata haberem, aut tam exercitata, ut ad omnes caſus procurrerent. Quemadmodum lana quosdam colores ſe- 30
mel ducit, quosdam niſi ſaepius macerata et recocta non perbibit: ſic alias diſciplinas ingenia quum accepere, protinus praeſtant: haec niſi alte deſcendit, et diu ſedit, animum non coloravit, ſed infecit, nihil ex his quae promiſerat, praeſtat. Cito hoc poteſt 31
tradi, et pauciſſimis verbis, unum bonum eſſe virtutem: nullum certe ſine virtute: et ipſam virtutem in parte noſtri meliore, id eſt, rationali poſitam. Quid erit haec virtus? iudicium verum, et immotum: ab hoc enim impetus veniet mentis, ab hoc omnis ſpecies, quae impetum movet, redigetur ad liquidum. Huic iudicio conſentaneum erit, omnia quae virtute 32
contacta ſunt, et bona iudicare, et inter ſe paria. Corporum autem bona corporibus quidem bona ſunt, ſed in totum non ſunt bona. His pretium quidem

28. *poenitentiam ſui faciunt.*] Brutum exempli cauſa affert Lipſius. Quum enim audiſſet, Caſſium eſſe defunctum, virtutem ut verba accuſavit, ſibique manus violentas intulit.

30. *Quemadmodum lana — perbibit*] Fucum, unde hodieque Lacca muſica ſ. muſiva conficitur, qui ſubſternebatur conchyliis, ſ. purpurae in lana tingenda, ſemel ducit. Cf. ad Conſolat. ad Helv. 5, 6 not. Sed purpuram niſi ſaepius *macerata* mollita et recocta non trahit. Vide ad Ep. LXX, 3. *infecit*, leviter, obiter tinxit.

32. *His — dignitas non erit:*] Recorderis linguam Stoae. Loqui-

erit aliquod, ceterum dignitas non erit: magnis inter se intervallis distabunt, alia maiora, alia minora
33 erunt. Et in ipsis sapientiam sectantibus magna discrimina esse, fateamur necesse est. alius iam in tantum profecit, ut contra fortunam audeat attollere oculos, sed non pertinaciter: cedunt enim nimio splendore praestricti. alius in tantum, ut possit cum illa conferre vultum: si iam pervenit ad summum, et fi-
34 duciae plenus est. Imperfecta necesse est labent, et modo prodant, modo sublabantur, aut succidant. Sublabentur autem, nisi ire et niti perseveraverint: si quidquam ex studio et fideli intentione laxaverint, retro eundum est. Nemo profectum ibi invenit, ubi reliquerat. Instemus itaque, et perseveremus. plus quam profligavimus, restat: sed magna pars est pro-
35 fectus, velle proficere. Huius rei conscius mihi sum: volo, et totâ mente volo. Te quoque instinctum esse, et magno ad pulcherrima properare impetu video. Properemus. ita demum vita beneficium erit: alioqui mora est, et quidem turpis inter foeda versantibus. Id agamus, ut nostrum omne tempus sit. non erit
36 autem, nisi prius nos nostri esse coeperimus. Quando contingent contemnere utramque fortunam? quando

quitur de indifferentibus rebus: quaedam *dignationem*, aestimationem, ἀξίαν, habent (producta, προηγμένα), quaedam ea carent (remota, ἀποπροηγμένα), quaedam sunt neutra, media, τὰ οὐδετέρως ἔχοντα. Diog. Laert. VII, 104 sq. Menag.

33. *audeat attollere oculos,*] Haec simili modo expressit Plutarchus de Tranq. An. To. X, p. 31 Hutt. ἀγνοοῦντες ὅσον ἐστὶ πρὸς ἀλυπίαν ἀγαθὸν, τὸ μελετᾶν καὶ δύνασθαι πρὸς τὴν τύχην ἀνεπηγόσι τοῖς ὀφθαλμοῖς ἀντιβλέπειν: quem locum debeo Bentleio, qui in praeclara nota ad Horat. I Carm. 3, 18. τὰ· *tollere*, *attollere oculos* eorum esse, qui minas et terrores impavide contemnunt, exemplis adstruxit, Senecae locis et hoc ipso opportune admotis. Quaedam huc spectantia dedit Interpres ad Epict. Diss. Arr. III, 24, 76. p. 782.

do contingeт omnibus oppreſſis affectibus, et ſub arbitrium adductis, hanc vocem emittere: Vici. Quem vicerim, quaeris? Non Perſas, nec extrema Medorum, nec ſi quid ultra [g]Dahas bellicoſum iacet: ſed avaritiam, ſed ambitionem, ſed metum mortis, qui victores gentium vicit.

EPISTOLA LXXII.

Excuſat ſe apud Lucilium, quod petitionem eius multum operae et diligentiae in discutiendo poſcentem ad liquidum deducere non poſſit. Differendam hanc rem eſſe in tempus quietius. Qua occaſione dilationis queritur, boni ſtudium a nobis differri, quum tamen non otioſus, ſed omnibus aliis negotiis neglectis philoſophiae aſſidendum ſit. Nihil incidere poſſe, quod ſapientem impediat, quum ſint, quae proficientem abſtrahant. Quaenam illum ſapientem, cuius ſummum bonum iam fixum eſt et immutabile, turbare poſſent! Nam externa ſunt levia et ſummam tantum cutem ſtringunt. Aliter res ſe habet in proficiente, qui niſi attendit, gravatur: a quo illa externa avide exſpectantur et nactis ſemper ſpes novorum beneficiorum fortunae creſcit: ſed ſapiens illorum non indiget: ſecure accipit quae obveniunt, ſemper laetitia maxima fruitur.

Quod quaeris a me, liquebat mihi, [a]ſi remeditarer, per ſe: ſed diu non retentavi memoriam meam. Itaque non facile me ſequitur. quod evenit libris ſitu co-

g *Dahas.* Haud multum refert, *Dahas* an *Dacos* legas: exſtat utrumque in codd. Attamen *Dahas*, qui cum Maſſagetis aliisque interioris Aſiae populis tributarii quondam Perſis, dein Alexandro M. facti ſunt, potiorem hic habere locum patet, quam *Dacos* ad Danubium, ubi nunc Moldavia et Wallachia eſt, inhabitantes. Extrema Medorum ſunt ipſi Dahae.

a. *ſi remeditarer, per ſe.* Lipſio adiutore hanc ſcripturam praetuli, quam Seneca digniſſimam puto. Si mihi, ait, longior nunc eſſet mora, retractandi ea, quae a me quaeris, liquerent per ſe i. ultro. Sed differenda ſunt in aliud tempus commodius. Eraſmus: *ſi rem ediderem per ſe*, notatumque ad marginem: alias

1. *Si remeditarer, — meam.*] Haud dubie propter malam valetudinem, cuius reſtaurandae cauſa Baiarum thermis uſus erat, et

haerentibus, hoc eveniſſe mihi ſentio: explicandus eſt animus, et quaecunque apud illum depoſita ſunt, ſubinde excuti debent, ut parata ſint quoties uſus exegerit. Ergo hoc in praeſentia differamus: multum enim operae, multum diligentiae poſcit. Quum primum longiorem eodem loco ſperavero moram, tunc iſtud in manus ſumam. Quaedam enim ſunt, quae poſſis et [b]in ciſio ſcribere: quaedam lectum, et otium, et ſecretum deſiderant. nihilominus his quoque occupatis diebus agatur aliquid, et quidem totis. nunquam enim non ſuccedent occupationes novae. ſerimus illas. itaque ex una exeunt plures, deinde ipſi nobis dilationem damus: quum hoc peregero, toto animo incumbam,

ediſcerem. Sic quoque eſt in cod. Col. ap. Gruterum. Vnum exemplar Pinciani *ſic rem edidiſceram*, *ſed diu*, unde nonnullae edd. fecerunt: *ſic rem edidiceram*, mente auctoris repugnante. Alii ap. Grut. *ſi rem aedificarem per ſe.* Feſtus, notante Lipſio, *Liquebat mihi ſcire, modo ediſſerere* (vel *edicere*) *poſſem Sed diu.* Addit Lipſius: *Quid? imo aliter: liquebat mihi, ſi remeditari poſſem. et rem attigi Remeditari, ut reminiſci.* Equidem puto, librariis voc. *remeditari* anſam praebuiſſe ad ſcripturam corrumpendam

b. *in ciſio.* A Pinciani ſagacitate eſt, quum libri fere habeant: *inſciſio.* Minus placet *in circo*, quod quidam codd. dant. Locus Sueton. in vita Octav. 45. huc allatus a Grut. et Lipſio parum prodeſt. *Ciſium* autem eſt genus vehiculi geſtatorii. Quaedam, ait, per iter aut geſtationem etiam ſcribi.

et hoc ipſo tempore, quo hanc et plurimas hasce epiſtolas ſcriberet, in illis amoenis Campaniae locis commorabatur velut in receſſu. Hinc lucem accipiunt, quae mox ſequuntur: *Quum primum longiorem eodem loco ſperavero moram, — libris ſuis cohaerentibus.* Libri veterum vel papyro vel pergamena charta ſcribi ſoliti cohaereſcere debebant diu non uſurpati, quoniam convolvebantur, ideoque indureſcere debebant, nec ſine labore explicari poterant. Monſtrarunt haec v. c. codices illi Herculanenſes.

2. *Lectum*] ſc. lucubratorium. Sic Horat. Serm. I, 4, 133. neque enim quum lectulus aut me Porticus excepit, deſum mihi. *occupatis diebus — totis.* Erat in commentariis aliisque libris philoſophicis com-

bam, et, si hanc rem molestam composuero, studio me dabo. Non quum vacaveris, philosophandum est: 3
omnia alia negligenda, ut huic assideamus, cui nullum tempus satis magnum est, etiamsi a pueritia usque ad longissimos humani aevi terminos vita protenditur. Non multum refert, utrum omittas philosophiam, an intermittas. non enim ubi interrupta est manet, sed [c]eorum more, quae intenta dissiliunt, usque ad initia sua recurrit, quod a continuatione discessit. Resistendum est occupationibus, nec explicandae, sed submovendae sunt. „Tempus quidem nullum 4
est parum idoneum studio salutari.“ Atqui multi inter illa non student, propter quae studendum: incidet aliquid quod impediat. Non equidem eum, cuius animus in omni negotio laetus atque alacer est. Imperfectis adhuc interscinditur laetitia: Sapienti vero 5
contexitur gaudium, nullâ rumpitur causâ, nullâ fortunâ: semper et ubique tranquillum est. Non enim ex alieno pendet, nec favorem fortunae, aut hominis exspectat: domestica illi felicitas est. exiret ex animo, si intraret: ibi nascitur. Aliquando extrinse- 6
cus, quo admoneatur mortalitatis, intervenit: sed id leve, et quod summam cutem stringat. Aliquo, inquam,

c. *eorum more, quae intenta dissiliunt, usque ad initia sua recurrit, quod continuatione discessit* Sic omnes fere codd. et edd. Erasmus al. habent: *continuatione sua.*

componendis qui maxime occupatus. Cf. Ep. XXXIX init. *studio* philosophiae.

3. *intenta dissiliunt.*] ut funes.

4. *nec explicandae,*] i. e. non disponendae per tempora et digerendae sunt: quod faciunt tamen homines serioli. L. Quamquam omne tempus, pergit S., idoneum est huic studio, obiiciat aliquis. Enimvero, respondet, non philosophantur inter illa negotia, et quaecunque eos impediunt, quia adhuc proficientes sunt: quod multo aliter se habet in Sapiente, qui semper in gaudio est, ex dogmate stoico.

quam, incommodo afflatur [d] maximus is: illud bonum
est fixum. Ita dico, extrinsecus aliqua sunt incom-
moda, velut in corpore interdum robusto solidoque,
eruptiones quaedam pustularum, et ulcuscula: nullum
7 in alto malum est. Hoc, inquam, interest inter con-
summatae sapientiae virum, et alium procedentis, quod
inter sanum, et ex morbo gravi ac diutino emergen-
tem: cui sanitatis loco est levior accessio. Hic, nisi
attendit, subinde gravatur, et in eadem revolvitur.
Sapiens recidere non potest, ne incidere quidem am-
8 plius. Corpori enim ad tempus bona valetudo est,
quam medicus etiamsi reddidit, non praestat. saepe
ad eundem quem [e] advocaverat, excitatur: animus se-
mel in totum sanatur. Dicam quomodo intelligas sa-
num. si se ipse contentus est, si confidit sibi; si scit,
omnia vota mortalium, omnia beneficia quae dantur
petunturque, nullum in beata vita habere momentum.
9 Nam cui quid accedere potest, id imperfectum est:
cui quid abscedere potest, id imperpetuum est. cuius
per-

d. *maximus is.* Sic Erasm. et ed. vetus. Antea: *afflatur: maximum eius illud bonum est fixum.*

e. *advocaverat* omnium librorum lectio est. Lipsius emend. *ad eundem qui adv.* Muretus temere fecit: *quem excitaverat advocatur.* Gronovius *avocaverat* ex uno Palat., aut *adinverat.* Sed vulgata ex Senecae usu loquendi defendi potest. Itaque retinui. Sequitur: *animus semel non totum sanatur*, ubi vox *animus* a Mureti coniectura necessaria est. Mox *cui quid abscedere potest, id imperpetuum est* e cod. Col. recepi, Grutero, Lipsio et Gronovio probantibus. Alias: *cui quid absc. non potest.* Muretus: *c. q. a. n. p. id perpetuum est.*

7. *consummatae sapientiae.*] Iterum hic discrimina perfecti sapientis et inchoati, de quibus saepe iam vidimus. Lipsius laudat Manuduct. II, 9. *accessio* febris. *Sapiens recidere — amplius.* Argutatur, ait Lipsius, in vocibus venuste: neque recidere in eundem morbum, nec incidere in alium.

8. *saepe ad eundem — excitatur:*] i. saepe quem adiuverat, convenire iubetur, ut opem ferat. Verbum *advocare* hoc Senecae aevo ponitur eodem sensu, quo adiuvare collocant.

perpetua futura laetitia eſt, is ſuo gaudeat. Omnia autem quibus vulgus inhiat, ultro citroque fluunt: nihil dat fortuna mancipio. Sed haec quoque fortuita tunc delectant, quum illa ratio temperavit ac miſcuit. Haec eſt etiam quae externa commendet, quorum avidus uſus ingratus eſt. Solebat Attalus hac imagine 10 uti: Vidiſti aliquando canem miſſa a domino fruſta panis aut carnis aperto ore captantem? quidquid excepit, protinus integrum devorat, et ſemper ad ſpem futuri hiat. Idem evenit nobis. quidquid exſpectantibus fortuna proiecit, id ſine ulla voluptate demittimus, ſtatim ad rapinam alterius erecti et f attenti. Hoc ſapienti non evenit: plenus eſt. etiamſi quid ob- 11 venit, ſecure excipit, ac reponit. laetitia fruitur maximâ, continuâ, ſuâ. Habet aliquis bonam voluntatem, habet profectum, ſed cui multum deſit a ſummo? hic deprimitur alternis, et extollitur, ac modo in coelum allevatur, modo defertur ad terram. Imperitis ac rudibus nullus praecipitationis finis eſt: in Epicureum illud chaos decidunt inane, ſine termino.

f. *attenti*. Muretus hoc habet ab aliquot mss. Pinciani. Eraſm., edit. vetus et nonnulli codd. ap. Grut. *attoniti*: quod Lucani V, 476 verſu, quem Gottl. Kortte, Profeſſor olim Lipſiae eruditiſſimus, margini editionis veteris, qua beneficio Harleſii, Viri egregii, utor, adleverat *Caeſaris attonitum miſcenda ad proelia mentem Ferre moras ſcelerum partes inſſere relictae* defendi fortaſſe poſſit. Gruterus tamen damnat.

locant. Senec. de Brevit. vit. c. 2, 4.

9. *Nihil dat fortuna mancipio.*] Similiter Lucret. III, 984. Vitaque mancupio nulli datur, omnibus uſu. *Sed haec — miſcuit.* Plane Stoico dignum eſt illud Horatii III Carm. 29, 49 ſq. Fortuna ſaevo laeta negotio ut Ludum inſolentem ludere pertinax Transmutat incertos honores Nunc mihi nunc alii benigna. Laudo manentem etc.

10. *Attalus.*] vide de eo ad Epiſt. IX, 5.

11. *Epicureum,*] quod a Democrito deſumtum defendiſſe Epicurum conſtat. Cf. Lucret. I, 378. 968. Diog. Laert. X, 41.

12 no. Adhuc est genus tertium eorum qui sapientiae alludunt: quam non quidem [g] contigerunt, in conspectu tamen, et ut ita dicam, sub ictu habent: hi non concutiuntur; ne defluunt quidem: nondum in sicco, iam in portu sunt. Ergo quum tam magna sint inter summos imosque discrimina, quum medios quoque sequatur fructus suus, sequatur ingens periculum ad deteriora redeundi: non debemus occupationibus indulgere. excludendae sunt, si semel intraverint, in locum suum alias substituent. Principiis illarum obstemus. melius non incipient, quam desinent.

EPISTOLA LXXIII.

Errorem eorum, qui philosophos esse contumaces existiment, refutat. Etenim veri philosophi amant potius magistratus ac reges, iisque parent, quia iis securitatem publicam debent. E contrario ambitione ducti in hanc reprehensionem cadunt: hi enim semper appetunt, invident, perpetuo inquieti et saepe irati: philosophi autem amant auctores huius boni, quoniam tranquillo otio frui licet: imputant quoque iis hoc beneficium, etsi pluribus contingat, philosophia ipsa hunc gratum animum docente, inprimis erga eos, qui hoc otium praestant. Quod ut maximi faciat, hortatur Lucilium, et ad virtutem i. e. Deum assurgat.

Saepissime observare licet, si rerum memoriam nobiscum reputamus, eo nomine reprehensos esse philosophos et philosophiam, quod mala inde et calamitates manarent ad rempublicam concutiendam, quin adeo evertendam: adeoque sapientes vel publice accusatos et male habitos, vel haud semel e civitate in exilium electos esse. Cuius quidem rei plu-

g. *contigerunt.* Pinciani aliorumque codd. scripta lectio est. Caesar de Bello Gall. I, 38. 5 ed. Cellar. Senec. de Ira I, 15, 1. *facturi peiora, quae contingunt.* Gronovius. Antea: *attigerunt.*

12. *Adhuc est genus tertium*] Idem discrimen fecit noster Ep. LXXV, 6 sq., ubi tres proficientium classes constituit, et paulo accuratius rem definit. *sub ictu habent*, i. prope sunt: metaphora vel a sagittariis, vel a gladiatoribus sumta, qui in eo sunt, ut scopum feriant. Cf. de Benef. II, 29. Consol. ad Marc. 9, 2 etc.

plures fuerunt causae, quae tamen omnes commode vel ab imprudentia philosophorum, vel ab ignorantia magistratuum, vel a malevolentia eorum qui sapientiores seque impedientes quominus rerum potirentur summovere cuperent, deduci possunt. Et antiqui et nostri temporis historia satis multa et ea tristia exempla praestat, inde ab Anaxagora usque ad Fichtium. Ex hac autem epistola magnam rerum mutationem Romae abhinc quinquaginta ferme annis factam videmus. Nam quum Augustus et literarum studiis animos a republica capessenda removere studeret, ideoque iis tractandis faveret; Neronis contra tempore istam malevolorum et imperitorum exprobrationem in philosophos concitatam intelligimus, quam Seneca dignam iudicaret, ut refelleret. Enimvero mox tantopere recruduit ista calumnia, ut adeo Vespasianus, quod merito mireris, philosophos praeter unum Musonium omnes Roma expelleret. Cf. egregiam Heynii disputationem, Litterarum bonarum studia perperam proscripta, Opusc. acad. Vol. IV, p. 416 sqq.

Errare mihi videntur, qui existimant, philosophiae fideliter deditos, contumaces esse ac refractarios, et contemtores magistratuum ac regum, eorumve per quos publica administrantur. E contrario enim, nulli adversus illos gratiores sunt: nec immerito. nullis enim plus praestant, quam quibus frui tranquillo otio licet. Itaque hi, quibus [a]aptum ad propositum bene vivendi aditum confert securitas publica, necesse est auctorem huius boni, ut parentem colant: multo quidem

a. *aptum* e cod. Col. ap. Grut. recepi. Alii autem habent: *altum a. p b. vi endi conf s p* alii *in altum* etc. alii *a terum*, omissa voce *aditum*. Erasmus verusque editio, et Muretus cum Lipsio et Gronovio: *quibus ad propositum bene vivendi confert s. p.*

1. *Errare mihi — administrantur*] Saepe haec criminatio prolata est in philosophos, indeque maxima persecutionum pars orta est, quibus philosophia et philosophi premebantur. Sic Socratem eo nomine accusabant concitasse iuvenes ad contemnendam rempublicam. Xenoph. Memor. I, 2, 9. Stoicos in eandem reprehensionem incurrisse videmus tum ex hoc loco, tum e II de Clem. 5, 2. ubi vid. not. Idem refellit Epictetus, (quem sub Domitiano cum ceteris philosophis Roma expulsum esse constat,) Diss. I, 29, 9. Vos ergo phi-

dem magis, quam illi inquieti, et in medio positi;
2 qui multa principibus debent, sed multa et imputant: quibus nunquam tam plene occurrere ulla liberalitas potest, ut cupiditates illorum quae crescunt, dum implentur, exsatiet. Quisquis autem de accipiendo cogitat, oblitus accepti est. nec ullum habet malum cu-
3 piditas maius, quam quod ingrata est. Adiice nunc, quod nemo eorum qui in republica versantur, quos vincat, sed a quibus vincatur, adspicit: et illis non tam iucundum est, multos post se videre, quam grave, aliquem ante se. Habet hoc vitium omnis ambitio: non respicit. Nec ambitio tantum instabilis est, verum cupiditas omnis: quia incipit semper a fine.
4 At ille vir sincerus ac purus, qui reliquit et curiam et forum, et omnem administrationem reipublicae, ut ad ampliora secederet, diligit eos per quos hoc ei facere tuto licet, solusque illis gratuitum testimonium reddit, et magnam rem nescientibus debet. Quemadmodum praeceptores suos veneratur ac suspicit, quorum beneficio [b]illis inviis exiit: sic et his, sub quorum tutela posi-

b. *illis inviis exiit.* Sic Erasm. et editio vetus: conveniunt mss. Sensus expeditus est: Stulti, ait Lipsius, semper extra viam et errabundi. In recto et alto Sapiens. Qui invia loca, s. stultitiam relinquunt, sapientiae appropinquant. Muretus e coni. dederat: *illis se vitiis exuit.* Gruterus locum fractum habet, quem non redintegrat: inclinat tamen in hanc, quam Lipsio et Gronovio probantibus, recepimus lectionem.

philosophi docetis contemnere reges? add. Disc. IV, 7, 33. *in medio positi:* i. non seducti et a turba remoti, ut philosophi. L.

2. *sed multa imputant:*] postulant multa a principibus pro ministeriis et officiis, quae iis exhibent.

3. *Adiice nunc, quod*] His similia aut gemina vide II de Benef. 27. et III de Ira c. 30 et 31. L.

4. *artes bonas*] i. Philosophiam. Optimae, ingenuae, liberales a Cic. et aliis vocantur. Sapientia ars est, ait noster Ep. XXIX, 2. Persius V, 104. Tibi recto vivere talo Ars dedit.

positus exercet artes bonas. Verum alios quoque rex 5
viribus suis protegit. quis negat? Sed quemadmodum
Neptuno plus debere se iudicat, ex his qui eadem
tranquillitate usi sunt, qui plura et pretiosiora illo ma-
ri vexit: et animosius a mercatore, quam a vectore
solvitur votum; et ex ipsis mercatoribus effusius gra-
tus est, qui odores ac purpuras et auro pensanda por-
tabat, quam qui vilissima quaeque et saburrae loco fu-
tura congesserat: sic huius pacis beneficium ad omnes
pertinentis, altius ad eos pervenit, qui illa bene utun-
tur. multi enim sunt ex his togatis, quibus pax ope-
rosior bello est. An idem existimas pro pace debere 6
eos, qui illam ebrietati aut libidini impendunt, aut
aliis vitiis, quae vel bello rumpenda sunt? nisi forte
tam iniquum putas esse sapientem, ut nihil viritim se
debere pro communibus bonis iudicet. Soli lunaeque
plurimum debeo: et non uni mihi oriuntur. anno,
temperantique annum Deo, privatim obligatus sum:
quamvis [c]nihil in meum honorem descripta sint. Stul- 7
ta avaritia mortalium possessionem proprietatemque dis-
cer-

c. *nihil* omnes mss. praestant loco τοῦ· *non.*

5. *qui odores et purpuras et auro pensanda.*] Thus, myrrha, costum, nardum aliosque odores pretiosos, (Plin. XII, 12.) *purpuras*, inprimis Tyrias, (cf. Heeren Ideen II, p. 598 sqq.) et gemmas, uniones etc. quae idem cum auro pretium habent. Haec omnia ex portubus Asiae Africaeque Romam *advehi* solita esse constat.

7. *Stulta avaritia mortalium*] Spectant ad paradoxon illud stoicum: Omnia sapientis. Cf. Lipsii Manud. III, 11. Virtutes ideoque et pax atque libertas quum sola bona viderentur Stoicis, cetera omnia autem indifferentia, sequitur, sapientem solum divitem esse: quippe qui, si quidem velit, animo et contemplatione istis ceteris quae pro bonis habentur, solus recte uti possit, eorumque ad veram felicitatem non indigeat. Ergo omnia sapientis sunt, non occupatione, sed animo, nec ex difficili tuenda. Vide Cic. Parad. VI, 1. de Fin. III, 22. Senec. de Benef. VII, 3 et 4.

cernit, nec quidquam suum credit esse, quod publicum est: at ille sapiens nihil iudicat suum magis, quam cuius illi cum humano genere consortium est. Nec enim essent ista communia, nisi pars illorum pertineret ad singulos. socium efficit, etiam quod ex mi-
8 nima portione commune est. Adiice nunc, quod magna et vera bona non sic dividuntur, ut exiguum in singulos cadat: ad unumquemque tota perveniunt. Ex congiario tantum ferunt homines, quantum in capita promissum est: epulum et visceratio, et si quid aliud capitur manu, discedit in partes: at haec individua bona, pax, et libertas, tam omnium tota quam sin-
9 gulorum sunt. Cogitat itaque sapiens, per quem sibi horum usus fructusque contingat, per quem non ad arma illum, nec ad servandas vigilias, nec ad tuenda moenia, et multiplex belli tributum, publica necessitas vocet: agitque gubernatori suo gratias. Hoc docet philosophia praecipue, bene debere beneficia, bene solvere. interdum autem solutio est ipsa confessio.
10 Confitebitur ergo, multum se debere ei, cuius administratione ac providentia contingit illi pingue otium, et arbitrium sui temporis, et imperturbata publicis occupationibus quies.

O Meliboee, Deus nobis haec otia fecit.
Namque erit ille mihi semper Deus. ——

Si

8. *Ex congiario — partes:*] Dona, e. c. oleum et pecunia, qua congius olei emi poterat inter populum urbanum distribui solita, et *epula visceratioque* publica, quum princeps aut magistratus daret. In epulis autem et sacrificiis publicis etiam caro et talia partibus distributa: quod Plutarchus, Lipsio citante, argumentum priscae frugalitatis habet, Quaest. convival. II. cap. ult. To. XI, p. 97. Hutt. In Senec. Ep. IX, 10. de visceratione privata sermo est, quum ex sacrificio aut tali causa caro uberior esset nec soli consumenda. Cf. Ernesti Clav. Cic. *Congiarium* et *Visceratio*.

10. Virgilii versus sunt notissimi Eclog. I, 6. 7. 9. 10.

Si illa quoque otia multum auctori suo debent, quorum munus hoc maximum est:

Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
Ludere, quae vellem, calamo permisit agresti:

quanti aestimamus hoc otium, quod inter deos agitur, 11
quod deos facit? Ita dico, Lucili, et te in coelum compendiario voco. Solebat Sextius dicere, Iovem plus non posse quam bonum virum. Plura Iupiter habet, quae praestet hominibus: sed inter duos bonos non est melior, qui locupletior. non magis, quam inter duos, quibus par scientia regendi gubernaculum est, meliorem dixeris, cui maius speciosiusque navigium est. Iupiter quo antecedit virum bo- 12
num? diutius bonus est. Sapiens nihilo se minoris aestimat, quod virtutes eius spatio breviore claudantur. Quemadmodum ex duobus sapientibus, qui senior decessit, non est beatior eo, cuius intra pauciores annos terminata virtus est: sic Deus non vincit sapientem felicitate, etiamsi vincit aetate. non est virtus maior, quae longior. Iupiter omnia habet, sed 13
nempe aliis tradidit habenda. ad ipsum hic unus usus pertinet, quod utendi etiam omnibus causa est: sapiens tam aequo animo omnia apud alios videt, contemnitque, quam Iupiter. et hoc se magis suspicit, quod Iupiter uti illis non potest, sapiens non vult.

11. Otio philosophico sapientem, quinetiam proficientes lubentissime frui, et Deo similes, atque adeo deos fieri, dogma Stoicum erat. Cf. Sen. de Provid. I. De Constant. Sap. c. 8. Ep. XXXI, 7. LIII, 11. LIX, 18. Dei socii sumus et membra. Paradoxon hoc e dogmate illorum de origine animorum manasse ibidem monuimus, et unice ad sapientem pertinere, quo tamen potentiorem et diutius bonum esse Iovem concedebant. Melius modestiusque antiquiores Stoici de hac re iudicabant, v. c. Archytas, Stobaei Serm. I, p. 29 ed. Schow. *Sextius.* Vide de eo ad Ep. LIX, 6.

Credamus itaque Sextio, monſtranti pulcherrimum iter, et clamanti, Hac itur ad aſtra: hac, ſecundum frugalitatem; hac, ſecundum temperantiam; hac, ſe-
14 cundum fortitudinem. Non ſunt dii faſtidioſi, non invidi: admittunt, et aſcendentibus manum porrigunt. Miraris hominem ad deos ire? Deus ad homines venit, immo, quod propius eſt, in homines venit. Nulla ſine Deo mens bona eſt. Semina in corporibus humanis divina diſperſa ſunt. quae ſi bonus cultor excipit, ſimilia origini prodeunt, et paria his ex quibus orta ſunt ſurgunt: ſi malus, non aliter quam humus ſterilis ac paluſtris, necat, ac deinde [d] creat purgamenta pro frugibus.

EPISTOLA LXXIV.

Amicum de ſummo bono parum ſtoice cogitantem refutaturus repetit ea, quae Ep. LXVI. al. iam tractaverat, unum bonum eſſe, quod honeſtum ſit. Qui enim alia ideoque fortuita, quae non ſunt in poteſtate noſtra, pro bonis habet, e. c. honores, vitam, is in fortunae veniat neceſſe eſt poteſtatem, et in continuo vivat timore atque perturbatione. Itaque hanc imaginem proponat animo ſuadet, ludos facere fortunam, neque ſinere, ut gaudio imperturbato fruamur. — Iterandum eſt, ait Lipſius, o pulchra, o honeſta! qui mentem talem habes, fruere.

Epiſtola tua delectavit me, et marcentem excitavit: memoriam quoque meam, quae iam mihi ſegnis ac lenta eſt, evocavit. Quidni tu, mi Lucili, maximum putes inſtrumentum beatae vitae hanc perſuaſionem, unum bonum eſſe, quod honeſtum eſt? Qui omne bonum honeſto circumſcripſit, intra ſe felix eſt. nam

d. *creat* plurimorum librorum ſcriptt. et edd. eſt. Alii dant: *curat*. Sed *creat* praeferas i. producit. Vt enim cultor *curare* dicatur, tamen non cadit in humum. Cf. modo Indicem ad Scriptt. de Re Ruſt.

1. *memoriam — evocavit.*] Simile quid conqueſtus erat Ep. LXXII, 1. *circumſcripſit*, definivit. Cic. Sext. 45. ſed genus univerſum brevi circumſcribi et definiri poteſt.

nam qui alia bona iudicat, in fortunae venit poteſta-
tem, alieni arbitrii ſit: hic amiſſis liberis moeſtus, 2
hic ſolicitus aegris, hic turpibus et aliquam paſſis in-
famiam triſtis. illum videbis alienae uxoris amore cru-
ciari, illum ſuae. Non deerit, quem repulſa diſtor-
queat: erunt, quos honor ipſe vexet. [a]Illa vero ma-
xima eſt ex omni mortalium populo turba miſerorum,
quam exſpectatio mortis exagitat, undique impendens:
nihil enim eſt, unde non ſubeat. Itaque ut in hoſti- 3
li regione verſantibus, huc et illuc circumſpiciendum
eſt, et ad omnem ſtrepitum circumagenda cervix: niſi
hic timor e pectore eiectus eſt, palpitantibus praecor-
diis vivitur. Occurrent acti in exſilium, et evoluti
bonis: occurrent (quod genus egeſtatis graviſſimum
eſt) in divitiis inopes: occurrent naufragi, ſimiliave 4
naufragis paſſi, quos aut popularis ira, aut invidia,
pernicioſum optimis telum, inopinantes ſecurosque
disiecit, procellae more, quae in ipſa ſereni fiducia
ſolet emergere, aut fulminis ſubiti, ad cuius ictum
etiam vicina tremuerunt. Nam ut illic quisquis ab
igne propior ſtetit, percuſſo ſimilis obſtupuit: ſic in

a. *Illa vero maxima eſt ex omni mortal. p.*, ubi *eſt* Eraſmus, editio vetus et Muretus tuentur.

2. *ſuae*] nimio aut ſuſpicioſo (quod adhaeret) amore. Maecenas aliquis in hac ſorte. L.

3. *evoluti bonis*] i. ſpoliati. Sic Tacitus Annal. XIII, 15. de Brittannico: conſtanter exorſus eſt carmen, quo evolutum eum ſede patria rebusque ſuis ſignificabatur. *in divitiis inopes:* propter avaritiam. Eſt Horatii Carm. III, 16, 28. *Magnas inter opes inops:* cf. ibi Bentl. qui noſtri loci memor fuit.

4. *optimis*] ſenſu proprio. Apud Ciceronem ſaepe boni et optimi ſunt ii, qui a partibus nobilium ſtant, χρηστοὶ, χρήσιμοι. *fulminis ſubiti,* Similia occurrunt ap. noſtrum I de Clem. 8, 4. Vt fulmina paucorum periculo cadunt, omnium motu. *tremuerunt* ἀορίστως poſitum, ut ſaepe apud noſtrum,

his per aliquam vim accidentibus, unum calamitas opprimit, ceteros metus; paremque passis tristitiam facit, pati posse. Omnium animos mala aliena ac repentina sollicitant. Quemadmodum aves etiam inanis fundae sonus territat: ita nos non ad ictum tantum exagitamur, sed ad crepitum. Non potest ergo quisquam beatus esse, qui huic se opinioni credidit. non enim beatum est, nisi quod intrepidum. inter suspecta male vivitur. Quisquis se multum fortuitis dedit, ingentem sibi materiam perturbationis, et inexplicabilem fecit: una haec via est ad tuta vadenti, et externa
6 dispicere, et honesto contentum esse. Nam qui aliquid virtute melius putat, aut ullum praeter illam bonum; ad haec quae a fortuna sparguntur, sinum expandit, et solicitus missilia eius exspectat. Hanc imaginem animo tuo propone, ludos facere fortunam, et in hunc mortalium coetum honores, divitias, gra-
7 tiam excutere: quorum alia inter diripientium manus scissa sunt, alia insida societate divisa, alia magno detrimento eorum, in quos devenerant, prensa: ex quibus quaedam aliud agentibus inciderunt, quaedam quia nimis captabantur, amissa, et dum avide rapiuntur, excussa sunt. Nulli vero, etiam cui rapina se-
8 liciter cessit, gaudium rapti duravit in posterum. Itaque

strum; tremere solent. *paremque — posse* i. et metus, ne pati possent illa, in eandem eos tristitiam coniicit, qua afliguntur ii, qui revera passi sunt.

6. *missilia,*] a ludis sumtum, in quibus tesserulae spargi donorum indices, aut ipsa etiam dona solent. Quia ex alto mittebantur in forte capientes, *missilia* dicta. *Hanc imaginem — fortunam.* Respexit fortasse ad Horat. Carm. III, 29, 50. Fortuna — ludum insolentem ludere pertinax. Occurrit quoque ibid. II, 1, 13. Ludus fortunae. Egregie adumbratum habes talem fortunae ludum ap. Lucian. Nigrin. c. 20. p. 43 sq. To. I. Opp. Bipont. Quaedam attulit Schweighaeuser ad Polyb. I, 4, 5.

que prudentiſſimus quisque, quum primum induci videt munuſcula, a theatro fugit, et ſcit magno parva conſtare. Nemo manum conſerit cum excedente, nemo exeuntem ferit: [b]circa praemium rixa eſt. Idem in his evenit, quae fortuna deſuper iactat. aeſtuamus miſeri, diſtringimur, multas habere cupimus manus: modo in illam reſpicimus: nimis tarde nobis mitti vi- 9
dentur, quae cupiditates noſtras irritant, ad paucos perventura, exſpectata omnibus. Ire obviam cadentibus cupimus: gaudemus ſi quid invaſimus, [c]invidemusque alii, quos ſpes vana deluſit. vilem praedam magno aliquo incommodo luimus, aut inde fallimur. Secedamus itaque ab iſtis ludis, et demus raptoribus 10
locum. Illi ſpectent bona iſta pendentia, et ipſi magis pendeant. Quicunque beatus eſſe conſtituit, unum eſſe bonum putet, quod honeſtum eſt. Nam ſi ullum aliud exiſtimat, primum male de providentia iudicat: quia multa incommoda iuſtis viris accidunt: et quia quidquid nobis dedit, breve eſt et exiguum, ſi comparas mundi totius aevo. Ex hac deploratione naſci- 11
tur, ut ingrati divinorum interpretes ſimus. querimur, quod non ſemper, et quod pauca nobis, et incerta, et abitura contingant. Inde eſt quod nec vi-

 vere,

b. *circa praemium rixa eſt.* Duo Palat. inque his Col. et Eraſmus. Editio vetus, Pinc., Muretus, rel. *circa primum rixa eſt.* Mox *modo in illam* codd. Grut. editio vetus et Eraſm. at Muretus neſcio unde dedit: *modo in hunc, modo in illum.* Reſpiciunt autem ad fortunam raptores iſti morae omnis impatientes.

c. *invidemusque alii, quos.* Sic fere Palat. ſec. alii aliter. cf. Gruter. Mox *aut inde fallimur* corruptum. Fortaſſis *aviditate fallimur*, aut *avidique.* Tentabam etiam, *aut hiando.* L. Codd. nihil mutant.

8. *Itaque prudentiſſimus quisque,*] Plebeia enim haec oblectamenta (miſſilia puta) aut capturae: honeſtiores ſpernebant. L. Tuto relinquit theatrum, omnibus in munuſcula intentis.

10. *incommoda,*] ſtoica lingua: quae alias mala dicuntur. Ipſe noſter explicat §. 17.

vere, nec mori volumus. vitae nos odium tenet, timor mortis. Nutat omne consilium, nec implere nos ulla felicitas potest. Causa autem est, quod non pervenimus ad illud bonum immensum et insuperabile, ubi necesse est resistat voluntas nostra, quia ultra sum-
12 mum non est locus. Quaeris, quare virtus nullo egeat? praesentibus gaudet, non concupiscit absentia: nihil non illi magnum est, quia satis. Ab hoc discede iudicio: non pietas constabit, non fides: multa utramque praestare cupienti patienda sunt ex his, quae mala appellantur: multa impendenda sunt ex his,
13 quibus indigemus tanquam bonis. Perit fortitudo, quae periculum facere debet sui: perit magnanimitas, quae non potest eminere, nisi omnia velut minuta contemserit, quae pro maximis vulgus optat: [d] perit gratia, et relatio gratiae aestimatur labor, si quidquam pretiosius fide novimus, si non optima spectamus. Sed ut illa praeteream, aut ista bona non sunt quae vocantur,

d. *perit gratia, et relatio gratiae aestimatur labor.* Sic distinxit Grut. e cod. Col. et probat Lipsius. Antea: *Perit gratia et relatio gratiae. Aestimatur* etc.

12. *Quaeris, quare virtus nullo egeat?*] Epicureo haec quaestio digna est, quippe qui voluptatis et utilitatis causa virtutem et optabilem et expetendam esse contendebat. Hinc orta est illa Epicureorum et Stoicorum acerrima pugna. Cf. Tiedemann Syst. der stoisch. Philos. III, p. 89 sq. Nisi ab hoc iudicio abscesseris, pergit noster, omnes virtutes evanescent; nam illę nec sapientiam nec virtutem colere potest, qui voluptatem et utilitatem concupiscit: quum omnia ea, quae mala et pericula vitae vocantur, nullo pretio subire, ideoque pietatem, fidem rel. nihili facere debet, quandoquidem iis in cursu vitae amoeno et delicato impedietur. Vide Sen. de Vit. beat. c. 6. 9. 10.

13. Sed est quoque, pergit, contra dignitatem hominis, una voluptate et utilitate duci ad virtutem: et negari nequit, hoc Epicureorum dogmate concesso, deum et infra hominem et infra animalia detrudi, quippe quae feliciora deo et homine sint.

tur, aut homo felicior Deo eſt. quoniam quidem quae parata nobis ſunt, non habet in uſu Deus: nec enim 14
libido ad illum, nec epularum lautitia, nec opes, nec quidquam ex his hominem ineſcantibus, et vili voluptate ducentibus, pertinet. [e]Ergo aut, quod incredibile eſt, bona Deo deſunt; aut hoc ipſum argumentum eſt, bona non eſſe quae Deo deſunt. Adiice, quod multa quae bona videri volunt, animalibus quam homini pleniora contingunt. Illa cibo avidius utun- 15
tur: Venere non aeque fatigantur: virium illis maior eſt et aequabilior firmitas. ſequitur ut multo feliciora ſint homine. Nam ſine nequitia, ſine fraudibus degunt; fruuntur voluptatibus, quas et magis capiunt, et ex facili, ſine ullo pudoris aut poenitentiae metu. Conſidera tu itaque, an id bonum vocandum ſit, quo Deus ab homine vincitur. Summum bonum in animo 16
[f]contineamus. obſoleſcit, ſi ab optima noſtri parte ad peſſimam transit, et transfertur ad ſenſus, qui agiliores ſunt animalibus mutis. Non eſt ſumma felicitatis noſtrae in carne ponenda. Bona illa ſunt vera, quae ratio dat: ſolida ac ſempiterna, quae cadere non poſſunt, nec decreſcere quidem aut minui. cetera opinione bona ſunt: et nomen quidem habent com-

e. *Ergo aut, quod incredibile eſt, bona Deo deſunt*, Mureto haec adſcribit Gruter., quum Eraſmus rel. habeant: *Ergo aut incredibile eſt, bona Deo deeſſe.* Mureti emendatio optima eſt.

f. *contineamus.* Sic mss. et editio vetus. Hoc eſt, Gronovio interprete, intra animum claudamus et arctemus. Antea: *conſtituamus.*

16. *Non eſt ſumma — in carne ponenda.*] Haec vox σὰρξ, caro, proprie adhibita eſt ab Epicureis in efferendo dogmate ſuo de ſummo bono. Sic, ut plura omittam, apud Diog. Laert. X, 145. Ἡ μὲν σὰρξ ἀπέλαβε τὰ πέρατα τῆς ἡδονῆς, ἀπέραντον δὲ καὶ ἀπείρου πάθος χρόνου παρεσκεύασεν (e Gaſſendi emendatione), et X, 124. ἐπεὶ πᾶν ἀγαθὸν καὶ κακὸν ἐν αἰσθήσει.

17 mune cum veris, proprietas in illis boni non eſt. Itaque commoda vocentur, et, ut noſtrâ linguâ loquar, producta: ceterum ſciamus mancipia noſtra eſſe, non partes; et ſint apud nos, ſed ita ut meminerimus extra nos eſſe. Etiamſi apud nos ſint, inter ſubiecta et humilia numerentur, propter quae nemo ſe attollere debeat. quid enim ſtultius, quam aliquem eo ſibi placere, quod ipſe non fecit? Omnia iſta nobis accedant, non haereant: ut ſi abducantur, ſine ulla no-
18 ſtri laceratione discedant. Vtamur illis, non glorie-mur: et utamur parce, tanquam depoſitis apud nos, et abituris. Quisquis illa ſine ratione poſſedit, non diu tenuit. ipſa enim felicitas ſe niſi temperat, premit: ſi fugaciſſimis bonis credidit, cito deſeritur; et ut non deſeratur, affligitur. Paucis deponere felicitatem molliter licuit: ceteri, cum his inter quae eminuere, labuntur, et illos degravant ipſa quae extule-
19 rant. Ideo adhibebitur prudentia, quae modum illis ac parſimoniam imponat. quoniam quidem licentia opes ſuas praecipitat, atque urget: nec unquam immodica durarunt, niſi illa moderatrix ratio compeſcuit. Hoc multarum tibi urbium oſtendet eventus, quarum in ipſo flore luxurioſa imperia ceciderunt, et quidquid virtute erat partum, intemperantiâ corruit. Adverſus hos caſus muniendi ſumus. nullus autem contra fortunam
20 inexpugnabilis murus eſt: intus inſtruamur. Si illa pars tuta eſt, pulſari homo poteſt, capi non poteſt. Quod ſit hoc inſtrumentum, ſcire deſideras? nihil indignetur ſibi accidere, ſciatque, illa ipſa quibus laedi vide-

17. *commoda — producta:*] Commoda dicuntur, quia aliquid commodant: Graecis εὔχρηστα. Lipſius, qui laudat Manuductionem ſuam III, 22. Iam ſupra quaedam de hoc vocis uſu ſtoico notavimus ad Ep. LXVII, 5.

18. *ut non deſeratur,*] i. ſi maneant opes et potentia, cadunt ſuper ipſum et deiiciunt. Lipſ.

videtur, ad conſervationem univerſi pertinere, et ex his eſſe, quae curſum mundi officiumque conſummant. Placeat homini, quidquid Deo placuit: ob hoc ſeipſum ſuaque miretur, quod non poteſt vinci, quod mala ipſa ſub ſe tenet, quod ratione, quâ valentius nihil eſt, caſum doloremque et iniuriam ſubigit. Ama ra- 21
tionem: huius te amor contra duriſſima armabit. Catulorum amor in venabula impingit feras, quas feritas et inconſultus impetus praeſtat indomitas: iuvenilia nonnunquam ingenia cupido gloriae in contemtum tam ferri, quam ignium, miſit: ſpecies quosdam, atque umbra virtutis, in mortem voluntariam trudit. quanto his omnibus fortior ratio eſt, quanto conſtantior, tanto vehementior. per metus ipſos et pericula exibit. Nihil agitis, inquit, quod negatis 22
ullum eſſe aliud ab honeſto bonum. non faciet vos haec munitio tutos a fortuna, et immunes. Dicitis enim, inter bona eſſe liberos pios, et bene moratam patriam, et parentes bonos. horum pericula non poteſtis ſpectare ſecuri; perturbabit vos obſidio patriae, liberorum mors, parentum ſervitus. Quid adverſus hos pro nobis reſponderi ſoleat, ponam: deinde tunc 23
adiiciam, quid praeterea reſpondendum putem. Alia conditio eſt in his, quae ablata in locum ſuum aliquid incommodi ſubſtituunt: tanquam bona valetudo vitiata, in malam transfertur: acies oculorum exſtincta, caecita-

20. *Placeat homini — quidquid Deo placuit:*] Hic enim finis hominis, Naturam i. e. Deum, ſequi. L. M. Anton. II, 3. V, 8. *καὶ οὕτως ἀσπάζου πᾶν τὸ γινόμενον, κἂν ἀπηνέστερον δοκῇ, διὰ τὸ ἐκεῖ ἄγειν, ἐπὶ τὴν τοῦ κόσμου ὑγίειαν καὶ τὴν τοῦ Διὸς εὐοδίαν καὶ εὐκραγίαν· οὐ γὰρ ἂν τοῦτό τι ἔφερεν, εἰ μὴ τῷ ὅλῳ συνέφερεν.* Vid. ibi Gataker. p. 194 ſq.

22. *Nihil agitis, inquit,*] adverſarius, Epicureus. *Dicitis enim — bonas.* Noſter Ep. LXVI. affirmat hoc, et recte, quatenus virtutes iis inſunt.

23 et ſqq. Tota haec argumentatio hoc ſibi vult: noſtram vir-

citate nos afficit: non tantum velocitas perit poplitibus inciſis, ſed debilitas pro illa ſubit. Hoc periculum non eſt in his, quae paulo ante retulimus. quare? ſi amicum bonum amiſi, non eſt mihi pro illo perfidia patienda: nec ſi bonos liberos extuli, in il-
24 lorum locum impietas ſuccedit. Deinde non amicorum ille, aut liberorum interitus, ſed corporum eſt. Bonum autem uno modo perit, ſi in malum transit, quod natura non patitur: quia omnis virtus et opus omne virtutis incorruptum manet. Deinde, etiamſi amici perierunt, etiamſi probati reſpondentesque voto patris liberi: eſt quod illorum expleat locum. Quid
25 ſit, quaeris? quod illos bonos fecerat, virtus. Haec nihil vacare patitur loci: totum animum tenet, deſiderium omnium tollit: ſola ſatis eſt. Omnium enim bonorum vis et origo in ipſa eſt. Quid refert, an aqua decurrens intercipiatur atque abeat, ſi fons ex quo fluxerat, ſalvus eſt? Non dices vitam iuſtiorem ſalvis liberis, quam amiſſis, nec ordinatiorem, nec prudentiorem, nec honeſtiorem: ergo nec meliorem quidem. Non facit collectio amicorum ſapientiorem, non facit ſtultiorem detractio? ergo nec beatiorem, aut miſeriorem. quamdiu ſalva fuerit virtus, non ſen-
26 ties quid abſceſſerit. Quid ergo? non eſt beatior et amicorum et liberorum turbâ ſuccinctus? Quidni non ſit? Summum enim bonum nec infringitur, nec augetur: in ſuo modo permanet: utcunque fortuna ſe geſſit, ſive illi ſenectus longa contigit, ſive citra ſenectutem finitus eſt, eadem menſura ſummi boni eſt, quamvis aetatis diverſa ſit. Vtrum maiorem an minorem

virtutem perfectam neque decreſcere neque minui his incommodis malisve, amicorum liberorum rel. amiſſione. Fides enim non in perfidiam, nec pietas in impietatem transit. Accedit, quod virtus ſibi ſola ſatis eſt. Nota Stoae dogmata ſunt.

rem circulum ſcribas, ad ſpatium eius pertinet, non ad formam: licet alter diu manſerit, alterum ſtatim obduxeris, et in eum in quo ſcriptus eſt pulverem ſolveris, in eâdem uterque formâ fuit. Quod rectum 27
eſt, nec magnitudine aeſtimatur, nec numero, nec tempore: non magis produci, quam contrahi poteſt. Honeſtam vitam ex centum annorum numero in quantum voles corripe, et in unum diem coge: aeque honeſta eſt. modo latius virtus funditur, regna, urbes, provincias temperat, fert leges, colit amicitias, inter propinquos liberosque dispenſat officia: modo arcto ſine circumdatur paupertatis, exſilii, orbitatis: non tamen minor eſt, ſi ex altiore faſtigio in privatum, ex regio in humilem ſubducitur, ex publico et ſpatioſo iure in anguſtias domus vel anguli coit. Ae- 28
que magna eſt, etiamſi in ſe receſſit, undique excluſa. nihilominus enim magni ſpiritus eſt et erecti, exactae prudentiae, indeclinabilis iuſtitiae. Ergo aeque beata eſt: beatum enim illud in uno loco poſitum eſt, in ipſa mente, ſtabile, grande, tranquillum: quod ſine ſcientia divinorum humanorumque non poteſt effici. Sequitur illud, quod me reſponſurum eſſe dice- 29
bam: Non affligitur ſapiens liberorum amiſſione, non amicorum. eodem enim animo fert illorum mortem, quo ſuam exſpectat. non magis hanc timet, quam illam

26. *in quo ſcriptus eſt pulverem*] Mathematici veteres non creta in tabula, ut hodie, ſed radio in pulvere per menſam ſ. abacum ſparſo ſcribebant (et lineas figurasque ducebant) atque inde Ciceroni (Nat. Deor.) II, 18.) *pulvis eruditus*. L. Hinc Archimedes Cic. Tuſc. V, 23. dicitur homo a pulvere et radio. Sed res notior eſt, quam ut amplius ei exponendae immoremur.

27. *Honeſtam vitam — orbitatis:*] Idem paradoxon affert Cicero de Finib. III, 14.

29. Sapiens mortem ſuorum ita fert ut ſuam, aequo animo; nam virtus ſibi conſtare debet propter convenientiam, ὁμολογίαν

30 lam dolet. Virtus enim convenientiâ conſtat: omnia opera eius cum ipſa concordant, et congruunt: haec concordia perit, ſi animus, quem excelſum oportet eſſe, luctu aut deſiderio ſubmittitur. Inhoneſta eſt omnis trepidatio et ſolicitudo, et in ullo actu pigritia. Honeſtum enim ſecurum et expeditum eſt, interritum eſt, in procinctu ſtat. Quid ergo? non aliquid perturbationi ſimile patietur? non et color eius mutabitur, et vultus agitabitur, et artus refrigeſcent? et quidquid aliud, non ex imperio animi, ſed inconſul-
31 to quodam naturae impetu geritur? Fateor: ſed permanebit illi perſuaſio eadem: nihil illorum malum eſſe, nec dignum, ad quod mens ſana deficiat. Omnia quae facienda erunt, audacter facit et promte. Hoc enim ſtultitiae proprium quis non dixerit, ignave et contumaciter facere quae facit, et alio corpus impellere, alio animum, distrahique inter diverſiſſimos motus? Iam propter illa ipſa, quibus extollit ſe miraturque, contemta eſt, et ne illa quidem quibus glo-
32 riatur, libenter facit. Si vero aliquod timetur malum, eo perinde, dum exſpectatur, quaſi veniſſet urgetur: et quidquid ne patiatur timet, iam metu patitur. Quemadmodum in corporibus futuri languoris ſigna praecurrunt: quaedam enim ſegnitia nervis inest, et ſine labore ullo laſſitudo et oſcitatio et horror membra percurrens: ſic infirmus animus, multo ante quam opprimatur malis, quatitur. praeſumit illa, et
33 ante tempus cadit. Quid dementius autem, quam angi

λογίαν Zenonis, ideoque nec trepidare nec ſollicita eſſe, quamquam motus naturales et ipſum ſapientem ut hominem ferient, ſed numquam ex iſta animi conſtantia deiicient. Cf. Ep. LVII, 3 not. Sapiens enim omnibus perturbationibus caret; Cic. Acad. Qu. IV, 43. ſapientis animum numquam nec cupiditate moveri, nec laetitia (i. geſtientis animi elatione voluptaria, Cic. de Fin. III, 10 fin.) efferri. Similia prioribus habet Epictet. Enchirid. 26, 3. ſane quam egregia.

angi futuris, nec se tormento reservare, sed arcessere sibi miserias, et admovere: quas optimum est differre, si discutere non possis? Vis scire, futuro neminem debere torqueri? quicunque audierit post quinquagesimum annum sibi patienda supplicia, non perturbatur, nisi si medium spatium transilierit, et se in illam seculo post futuram solicitudinem immiserit. Eodem modo fit, ut animos libenter aegros, et captantes causas doloris, vetera atque obliterata contristent. et quae praeterierunt, et quae futura sunt, absunt: neutra s sentiamus! non est autem, nisi ex eo quod sentias, dolor.

EPISTOLA LXXV.

Amico minus sibi accuratas ab Seneca epistolas mitti questo respondet, epistolas decere illum sermonem illaboratum et facilem, qui est una sedentium et ambulantium: deinde philosophiam verba non captare, nec tamen ingenio aut eloquio renuntiare. Praecipuum est: sit vita ut sermo: quod sentimus loquamur, quod loquimur sentiamus. Deinde tentemus progredi, quoniam per gradus ascenditur ad sapientiam. Cum quibusdam tres statuit classes proficientium.

Videmus ex hac epistola, fuisse vel vivo Seneca, qui hunc auctorem reprehenderent, nec Quintil. X, 1, 130. unum eius censorem exstitisse.

Minus tibi accuratas a me epistolas mitti quereris. quis enim accurate loquitur, nisi qui vult putide loqui? Qualis sermo meus esset, si unâ sederemus, aut

g. *sentiamus.* Omnium codd. et edd. lectio est male a Stephano Prood. II, 3. e coni. in *sentimus* mutata et probata a Mureto, Grutero, Lipsio, Gronovio, sensu prorsus repugnante. Vetera et obliterata contristare solent animos libenter aegros. Atqui futura et praeterita pariter absunt: ergo neutra haec sentiamus, sentire debemus.

1. *putide loqui?*] affectatum et nimia cura et delectu operoso elaboratum sermonem intelligit. Mox appellat *arcessitum* et

aut ambularemus, illaboratus et facilis: tales esse epistolas meas volo, quae nihil habeant arcessitum, nec fictum. Si fieri posset, quid sentiam, ostendere quam loqui mallem. Etiamsi disputarem, nec supplo-derem pedem, nec manum iactarem, nec attollerem vocem: sed ista oratoribus reliquissem, contentus sen-sus meos ad te pertulisse, quos nec exornassem, nec abiecissem. hoc unum plane tibi approbare vellem, omnia me illa sentire quae dicerem: nec tantum sen-
2 tire, sed amare. Aliter homines amicam, aliter li-beros osculantur: tamen in hoc quoque amplexu tam sancto et moderato, satis apparet affectus. Non me-hercules ieiuna esse et arida volo, quae de rebus tam magnis dicentur: [a] neque enim philosophia ingenio re-nuntiat: multum tamen operae impendi verbis non oportet. Haec sit propositi nostri summa: quod sen-
3 timus, loquamur; quod loquimur, sentiamus. Con-cordet sermo cum vita. ille promissum suum implevit, qui et quum videas illum, et quum audias, idem est. Vide-

a. *neque enim philosophia ingenio renuntiat.* Meus: *ingeniorum velut renuntiat.* Quidam *ingeniorum velut gelu renuntiat.* Quid fuerit non educo. L.

et *fictum*, et §. 2. *multum tamen operae impendi verbis non oportet.* Cic. Or. III, 13. con-iungit cum *molesto*, de quo vi-de Ernesti Lex. Technol. Lat. p. 32. *nec supplo-derem — vo-cem:* partes actionis contentio-ris oratoribus propriae esse fa-cile apparet. *abiecissem*, triviali dicendi genere expressissem. Cf. Ernesti Lex. Techn. Lat. init.

2. *ieiuna esse et arida*] i. non omnem sermonis elegan-tiam et nitorem spernam, nul-la quidem oblectationis lecto-rum ratione habita. Eodem modo *aridam et ieiunam nar-rationem* appellat Quintil. II, 4, 3. et 3, 1. *ieiunam* et *aridam tractationem:* quae loca debeo Ernesti Lex. laud. p. 33 et 201. *neque enim — renunciat:* ad inveniendum orationis orna-tum. Haec erat obiectio in Stoicos satis crebra, nec ipsa a Cic. Orat. c. 16. reiecta: in Eloquentia non ut in philoso-phia res tantum sed etiam ver-ba penduntur.

Videmus qualis sit, quantus: unus sit. Non delectent verba nostra, sed prosint. Si tamen contingere eloquentia non solicito potest, aut si parata est, aut parvo constat, adsit, et res pulcherrimas prosequatur. Sit talis, ut res potius quam se ostendat. Aliae ar- 4
tes ad ingenium totae pertinent: hic animi negotium agitur. Non quaerit aeger medicum eloquentem, sed sanantem: sed si ita competit, ut idem ille qui sanare potest, comte de his quae facienda sunt disserat, boni consulet: non tamen erit, quare gratuletur sibi, quod inciderit in medicum etiam disertum. hoc enim tale est, quale si peritus gubernator etiam formosus est. Quid aures meas scalpis? quid oblectas? aliud 5
agitur. urendus, secandus, [b]abstinendus sum. Ad haec adhibitus es: curare debes morbum veterem, gravem, publicum. Tantum negotii habes, quantum in pestilentia medicus: circa verba occupatus es? iamdudum gaude, si sufficis rebus. Quando multa disces? quando quae didiceris affiges tibi, ita ut excidere non possint? quando illa experieris? Non enim ut cetera memoriae tradidisse satis est: in opere tentanda sunt. Non est beatus qui scit illa, sed qui facit. Quid ergo? 6
infra illum nulli gradus sunt? statim [c]ad sapientiam prae-

b. *abstinendus.* Omnium fere codd. et edd. lectio bona est. Plautus Trin. II, 1, 30. *amor — abstinendus* dixit. Quidam codd. *abscindendus.* Vtrumque reprobat Stephanus Ep. 30. ad Dalecamp. Perperam.

c. *ad sapientiam praeceps est?* Plurimorum codd. lectio est. Nonnulli ap. Modium: *ab sapientia.*

3. *unus sit.*] Convenientia sit in vita. Ep. CXX. *magnam rem puta, unum hominem agere.* L. Iam supra monuimus hac re potissimum sapientem a proficiente s. stulto seiparari. Observavit quoque Garve (Uebersicht der vornehmsten Principien der Sittenlehre p. 71 sq.).

5. *Quid aures meas scalpis?*] i. delectas. Sic Persius Sat. I, 21. tremulo scalpuntur ubi intima versu.

praeceps est? Non existimo. Nam qui proficit, in numero quidem stultorum est, magno tamen intervallo ab illis diducitur: inter ipsos quoque proficientes sunt magna discrimina. In tres classes (ut quibusdam placet) dividuntur: primi sunt qui sapientiam nondum habent, sed iam in vicinia eius constiterunt. tamen et-
7 iam quod prope est, [d]ex ora est. Qui sint hi, quaeris? qui omnes iam affectus ac vitia posuerunt: quae erant complectenda, didicerunt: sed illis adhuc inexperta fiducia est. bonum suum nondum in usu habent. Iam tamen in illa quae fugerunt, [e]decidere non possunt: iam ibi sunt, unde non est retro lapsus: sed hoc illis de se nondum liquet, et quod in quadam epistola scripsisse me memini, scire se nesciunt. Iam con-
8 tigit illis bono suo frui, nondum confidere. Quidam hoc proficientium genus, de quo locutus sum, ita complectuntur, ut illos dicant iam effugisse morbos animi, affectus nondum, et adhuc in lubrico stare: quia nemo sit extra periculum malitiae, nisi qui totam eam excussit. nemo autem illam excussit, nisi qui pro illa
9 sapientiam assumsit. Quid inter morbos animi intersit et

d. *ex ora* i. extremitate. Sic Erasm., editio vetus et codd. Gruter. Antea: *extra est.*

e. *decidere.* Codd. Grut. et Erf. sic habere notat Gronov., qui laudat Ep. XCII, 21. Sic et Erasm. et editio vetus. Antea: *recidere.*

6. *primi sunt*] Hos Chrysippi verbis describi video ap. Stob. Serm. CI. ὁ δ' ἐπ' ἄκρον, φησὶ, προκόπτων ἅπαντα πάντως ἀποδίδωσι τὰ καθήκοντα, καὶ οὐδὲν παραλείπει· τὸν δὲ τούτου βίον οὐκ εἶναί πώ φησιν εὐδαίμονα, ἀλλ' ἐπιγίνεσθαι αὐτῷ τὴν εὐδαιμονίαν, ὅταν αἱ μέσαι πράξεις προσλάβωσι τὸ βέβαιον καὶ ἕπτικον καὶ ἰδίαν πῆξίν τινα λάβωσι. L.

7. *et quod in quadam epistola*] Respexit Ep. LXXI, 3. Quibusdam autem evenit, ut quaedam scire se nesciant.

9. *inter morbos animi*] Ex perturbationibus s. affectibus, si inveteraverint, oriri docebant

et affectus, saepe iam dixi: nunc quoque te admonebo. Morbi sunt inveterata vitia, et dura, ut avaritia, ut ambitio nimia: factu haec animum implicuerunt, et perpetua esse mala eius coeperunt. Vt breviter finiam, morbus est iudicium in pravo pertinax, tanquam valde expetenda sint, quae leviter expetenda sunt. vel, si mavis, ita finiamus: nimis imminere leviter petendis, vel ex toto non petendis, aut in magno pretio habere in aliquo habenda, vel in nullo. Affectus, sunt motus animi improbabiles, subiti et concitati: qui frequentes neglectique, fecere morbum. sicut distillatio una, nec adhuc in morem adducta, tussim facit; assidua et vetus, phthisin. Itaque qui plurimum profecere, extra morbos sunt: affectus adhuc sentiunt, perfecto proximi. Secundum genus est eorum, qui et maxima animi mala et affectus deposuerunt, sed ita, ut non sit illis securitatis suae certa possessio: possunt enim in eadem relabi. Tertium illud genus extra multa et magna vitia est, sed non extra omnia. effugit avaritiam; sed iram adhuc sentit. iam non sollicitatur libidine: sed habet etiamnunc ambitionem. iam non concupiscit; sed adhuc timet.

f. *actu*. Sic unus Pal. et editio vetus. at Col. habet *actum*. *Actus* de quocunque rei exercitio dicitur: e. c. *actus vitae* ap. nostrum de Vit. beat. 26, 4. Cf. Gruter. Antea: *postquam haec anim.* etc.

bant Stoici, passiones, quae vel morbi (νοσήματα) vel aegrotationes (ἀῤῥωστήματα) appellantur. De quibus distinguendis etsi non prorsus conveniunt Cicero, Stobaeus et Diogenes Laertius, tamen si propius rem inspexeris, nullum remanet dubium, quin avaritia, ambitio et reliqua inveterata et perpetua vitia ad morbos, ira vero, ebrietas, timiditas aliique in consuetudinem adducti affectus ad aegrotationes, semper cum imbecillitate coniunctas, sed non perpetui, pertineant. Noster tamen aegrotationes hic non nominat, re tamen agnoscit. Cf. quem iam ad Ep. VII, 1. hac in re laudavi, Tiedemann Syst. d. stoisch. Phil. III, p. 165 sq. 261 sqq.

et in ipso metu ad quaedam satis firmus est, quibusdam cedit: mortem contemnit, dolorem reformidat.
12 De hoc loco aliquid cogitemus: bene nobiscum agetur, si in hunc admittimur numerum. Magna felicitate naturae, magnaque et assidua intentione studii, secundus occupatur gradus: sed nec hic quidem contemnendus est color tertius. Cogita, quantum circa te videas malorum: adspice, quam nullum sit nefas sine exemplo, quantum quotidie nequitia proficiat, quantum publice privatimque peccetur: intelliges satis
13 nos consequi, si inter pessimos non sumus. „Ego vero," inquis, „spero me posse et amplioris ordinis fieri." Optaverim hoc nobis magis, quam promiserim. praeoccupati sumus: ad virtutem contendimus, inter vitia districti: pudet dicere, honesta colimus, quantum vacat. At quam grande praemium nos exspectat, si occupationes nostras, et mala tenacissima, abrumpimus? Non cupiditas nos, non timor pellet: inagitati terroribus, incorrupti voluptatibus, nec mortem horrebimus, nec deos: sciemus mortem malum
14 non esse, deos malos non esse. Tam imbecillum est, quod nocet, quam cui nocetur: optima vi noxia carent. Exspectant nos, si ex hac aliquando face in illud evadimus sublime et excelsum, tranquillitas animi, et expulsis erroribus absoluta libertas. Quaeris, quae sit ista? non homines timere, non deos: nec turpia velle, nec nimia: in seipsum habere maximam potestatem. Inaestimabile bonum est, suum fieri.

14. *Tam imbecillum — nocetur.*] Timere enim videtur: Lips. ideoque vel cavere vel ulciſci.



ROTANOX
2014